Pugin

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 — C
42

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

33 B 24
33-B-19
33. D. 24

Digitized by Google

Digitized by Google

RESOLVTIONES
CASVVM CONSCIENTIAE

HABITÆ IN CLERICORVM CONGREGATIONE cogi conſueta ſingulis menſibus intra Epiſcopales Vrbiſueteris ædes

AB ADMOD. REVERENDO P. FR.

ALPHONSO REGIO
VRBEVETANO

ORDINIS EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI, ſacræ Theologiæ Magiſtro, ac olim Bononiæ in Academia S. Iacobi ſtudiorum Regente.

IN QVIBVS DE BONIS CVM FORTVNÆ, TVM FAMÆ reſtituendis, & de humanis, ac diuinis contractibus, alijſq. multis copioſè, ac dilucidè diſſeritur, quæ animarum curatoribus, confeſſarijs præcipuè ſunt ſcitu neceſſaria.

Cum Summarijs, & gemino Indice.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. D.

D. CARDINALI CRESCENTIO
DICATÆ.



Ex legato M. Cecini

ROMÆ, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. M. DC. XXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Ego Frater Gaſpar Romanus, Religionis Aug. Alumnus; & ſacræ Theologiæ Doctor. De mandato Reuerendiſsimi Patris Magiſtri Fulgentij à Montegeorgio, totius Auguſtinianæ Reipub. Generalis; diligentiori qua potui accuratione, perlegi retroſcriptas lxv. Reſolutiones caſuum conſcientiæ, editas ab Adm. R. P. Magiſtro Alphonſo Vrbeuetano, Auguſtinenſis Familiæ Doctore Theologo; illaſque reperi, non tantum fidei, & bonis moribus conſonas; ſed vndequaque in ſuo genere egregias, ac præclaras. Quare vt typis mandentur, digniſſimas aſſero.

Frater Gaſpar Romanus.

Magiſter Fr. Fulgentius à Monte Georgio Ord. Eremit. S. Auguſtini Prior Generalis indignus.

Tenore præſentium, & noſtri muneris auctoritate facultatem concedimus, vt opus inſcriptum, *Reſolutiones caſuum conſcientiæ habitæ in Clericorum Congregatione cogi conſueta, &c.* à Ven. P. Fr. Alphonſo Regio Vrbeuetano ſacræ Theologiæ Magiſtro, ac olim Bononiæ in Academia S. Iacobi ſtudiorum Regente Ordinis noſtri compoſitum, Venerabilis Patris ſacræ Theologiæ Magiſtri Gaſpari Romani, cui id demandauimus, iudicio examinatum, & approbatum, typis excudatur, ad confeſſariorum, omniumq. curam animarum habentium profectum, cunctorumq. Chriſtifidelium vtilitatem. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die iv. Auguſti 1620.

Noſtri Officij affixo ſigillo.

Fr. Fulgentius Generalis indignus.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

EX *commiſſione Reuerendiſſimi P. Hyacinthi Petronij digniſſimi Magiſtri ſacri Palatij Apoſtolici, omnia quæ potui diligentia perlegi opus Reu. admodum P. Alphonſi Regij Vrbeuetani Ordinis S. Auguſtini, cui titulus eſt,* Reſolutiones caſuum conſcientię habitę in Clericorum Congregatione, &c. *nihilq. in eo, quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus ſit diſſentaneum, aut repugnans reperi; & propterea typis mandari poteſt. Datum Romæ in loco noſtro S. Bonauenturæ die* 15. *Auguſti* 1620.

Fr. Franciſcus à Coriolano Capuccinus manu propria.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Bartolus Magiſter, & Soc. Reuerendiſs. P. Fr. Hyacinthi Petronij Rom. ſacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, Ord. Prædicatorum.

Digitized by Google

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.
D. PETROPAVLO CRESCENTIO S.R.E. CARD. AMPLISSIMO, AC VRBISVETERIS EPISCOPO vigilantiſsimo.

FR. ALPHONSVS REGIVS S. D.

NON potui non acquieſcere (Cardinalis Ampliſsime) cùm precibus amicorum, tùm Religioſorum hominum hortatui, & imperio aliorum, quos ſpeciali veneratione colo, quin hos meos quantiloſcunque labores ederem in lucem: quos ſicuti ex præcepto piæ memoriæ Cardinalis Sanneſij tui prædeceſſoris, intra Epiſcopales ædes palàm communi ſacerdotum cœtui, eorum præcipuè, qui animarum curæ inuigilant, libenti animo propoſui, dum trium conſcientiæ caſuum menſtrua collatio perficiebatur: ita modò Tuo nomini dico, duabus præſertim de cauſis: Tùm quòd in ea Vrbe ſunt nati, quam tu ſingulariter diligis, & charam habes, quamq. tu aliquot annis ante tanta cum laude, & gloria tua gubernaſti, & cuius tandem à Sanctiſs. D. N. Papa Gregorio XV. es conſtitutus Epiſcopus, tranſlatus à Reatina eccleſia, non leui illius detrimento, ad hanc Vrbeuetanam, maximo eius emolumento, atque ciuium omnium immenſo gaudio. Tùm quia nulli poteram, vel committere ſecuriùs, vel digniùs conſecrare hoc meæ tenuiſsimæ facultatis, & inopis ingenij opuſculum, quàm Cardinali Ampliſsimo, Antiſtitiq. præclariſſimo, qui & dignitate opus illuſtrare, & aucto-

ritate protegere facilè poſſet. Admonuit etiam me ipſius operis argumentum: nam cùm in eo de rebus ad conſcientiarum quietem, & ſalutem animarum ſpectantibus ſpeciatim, & in particulari diſſeratur, (ſermones enim morales, vt docet Ariſt. in Ethicis, ſi generatim proponantur, parum afferunt vtilitatis) cui potius inſcriptum, atque dicatum emitti decebat, quàm Tibi vigilantiſſimo Præſuli, cuius omnis cura eſt, vt ſubditorum conſcientię mundæ ſint, & ab omnibus liberæ maculis, vt demum ad Deum, qui vera, & vltima quies noſtra eſt, perducere valeas? Nam beati mundo corde, (veritas dicit) quoniam ipſi Deum videbunt. Fateor ſanè exile munus, magnumq. ſatis nomen, cui dicatur; verùm tua ſingularis humanitatis virtus, & mira quędam beneuolentia, qua ſemper Vrbeuetanos ciues proſequutus es, animum meum pellexit, vt tam exiguum donum, tamq. meritis tuis impar, magnitudini Tuæ offerre non formidarem. Artaxerſes enim Perſarum Rex, non minus animi ſapientia, quàm forma, & corporis robore ornatus, ſolitus erat dicere, Principum magnificentiam non ſolum in eo eſſe, vt magna munera largiantur, ſed vt hilariter, ac benigne à ſuis ſubditis oblata excipiant; cùm nihil referat, quod vnuſquiſque, ſed quo animo, & quàm liberaliter offerat. Igitur & Tu Illuſtriſsime, & Reuerendiſſime Princeps, in his caſuum reſolutionibus, quas nomini Tuo nuncupo, non tam ad munus, quàm ad mentis deſiderium aſpice. quod enim poſſum, id hilari fronte, & hilariori animo affero, offero, dono: maiora, altiora, digniora, quoniam dare non poſſum, ſupernè dari cupio, exopto, atque tibi precor. Vale, Vrbeueteri. xiv. kalendas Nouembris. MDCXXI.

AD

AD AVCTOREM

Fratris Hippolyti Buſtigalli Corani, Gymnaſij Anconitani Regentis,Ord. Eremitarum Sancti Auguſtini.

EPIGRAMMA.

OBſcuris latitat tenebris mens neſcia veri,
Conſcia multorum lumine vbique micat.
Alphonſe, vt poſsis tenebras expellere, & vmbras,
Dogmata trina doces, lumina terna cupis.
En datus eſt Veteri Præſul Creſcentius Vrbi,
Cælica qui præfert ſtemmata clara nimis.
Hæc ſemper Romæ Creuerunt Lumine terno,
Quæ micuere polo, quæ micuere ſolo.
Prouidus hæc libro CRESCENTIA *lumina præfers:*
Hæc munimen erunt, gloria, ſplendor, honor.
Si vnum forte cadat lumen, iam bina ſuperſunt.
Quàm benè, quàm ſapidè conſulis ipſe tibi!

AD AVCTORIS LIBRVM

Fratris Alphonſi Siracuſani,Regentis Gymnaſij S. Auguſtini Recanatenſis

TETRASTICON.

I Precor, i fœlix: quid nam cunctare? libelle:
Ire opibus tantis nauis onuſta potes.
Anne times pelagi inuidioſas forte procellas?
Securus vadas, en tibi Luna comes.

D. Alexandri Mazzantij Canonici Vrbeuetani, & ſacræ Theologiæ Doctoris, in Auctoris librum

EPIGRAMMA.

Ambiguus quiſquis per tot diſcrimina rerum
In vaſto ſcelerum gurgite ſæcla trahit,
Ambageſque inter mentis, morumque procellas
Naufragus æthereas neſcit adire vias:
En polus, Alphonſi monumentum ſurgit, amica
Creſcenti & monſtrat Luce ſalutis iter.

Reu.adm.Patris Ioannis Angeli Fadda Societatis Doctrinæ Chriſtianæ Doctoris Theologi, & Philoſophiæ profeſſoris, in laudem Auctoris

EPIGRAMMA.

Ardua firmatis minitetur mœnibus aſtra
Vrbs licet inuicto ſaxea cincta ſolo.
Sæua ſonet bombis, iteret licèt æmula cælo
Fulgura, mille vomat ſulphure cita globos.
Diruitur tandem ſenio ſuperata vetuſto,
Ni doctæ inſtaurent, ſollicitæque manus.
Vrbſuetus inuictis celſo ſtat vertice muris:
Mœnibus aſt veris (quid?) malefida cadit.
Alphonſus patriam, præbens documenta ſalutis,
Confirmat; pietas mœnibus vna præit.
Ecce laborabat morum quaſſata veterno:
His ſtabit monitis Vrbs renouata Vetus.

INDEX

INDEX CASVVM.

PRIMVS CASVS.

ANTONIVS vendit poſſeſſionem mille aureis Benedicto, qui ei ſoluit tempore contractus quingentos in numerata pecunia, & alios quingentos ſe enumeraturum ſpondet ad tres annos à die celebrationis inſtrumenti, & interim daturum aureos viginti ſingulis annis ratione fructuum. Quæritur, an hic contractus ſit licitus, & dictus Antonius ſine labe vſuræ hanc penſionem accipere poſsit. pag. 2

2 *Baſilius emit bona fide equum à latrone, quem poſtea ſcit eſſe alienum; & vt pretium pro illo ſolutum recuperet, reddit eum latroni, non vero domino reſtituit.* Quæritur, an ſit tutus in conſcientia, & ſine alia obligatione à confeſſario debeat abſolui. 16

3 *Infans quidam eſt morti vicinus, quia peſte laborat, aut alia incurabili infirmitate abſque ſpe viuendi; cùmq. baptiſmo indigeat, nec aliquis poſſit ei ſacramentum conferre ſine periculo propriæ vitæ, vel propter morbum contagioſum, vel propter tyrannum mortem baptizanti minantem:* Quæritur, an cum tanto periculo teneatur quilibet ei ſuccurrere, ipſumq. baptizare. 24

4 *Cæſar dat cuidam ſicario triginta aureos, vt Aemilium necet; quod prænoſcens quidam Aemilij cognatus, & non valens hunc à tali perpetrando homicidio neque verbis, neque precibus abducere, dat ei quinquaginta, vt ab illo deſiſtat: qui accepta pecunia mutat conſilium, & abſtinet ab opere.* Quæritur, an tota hæc pecunia à ſicario accepta ſit reſtitutioni obnoxia: & quid confeſſor debeat huic pœnitenti iniungere. 28

Digitized by Google

I N D E X

5 *Dionyſius ſurripit centum aureos Domitio, quos negociationi exponens, ſuperlucratur quinquaginta ſpatio vnius anni: exinde noſcit illos centum furto fuiſſe ablatos cuidam mercatori.* Quæritur cui, & quantum dictus Dionyſius reſtituere teneatur; quidue conſulere ei debeat confeſſarius. 34

6 *Cùm Euſebius legitima de cauſa totam quadrageſimam non valeat ieiunare, poſſit tamen partem, vel aliquot dies, & cibis quadrageſimalibus veſci ſine periculo; attamen quærit, & obtinet licentiam veſcendi non ſolum ouis, & lacticinijs, ſed etiam carnibus, nec vllo vult die ieiunare.* Quæritur, an non ieiunando, & cibis non quadrageſimalibus veſcendo peccet mortaliter. 39

7 *Franciſcus furatus eſt decem rubia tritici kalendis Februarij Gregorio, qui ſeruaturus illa erat in aliud tempus, & venditurus menſe Maij, in quo ob ſuperuenientem rei frumentariæ copiam non valuerunt niſi quinquaginta aureos: latro verò non expectato illo tempore vendidit ſtatim, accepitq. centum.* Quæritur, ſufficiatne latroni reſtituere vero domino quinquaginta, ſiue decem frumenti rubia, an teneatur reſtituere illa centum? 44

8 *Gaſpar vir nobilis, & diues, ac potens alienare, captus amore Flaminiæ viduæ pollicetur ei centum aureos, ſi copiam ſui faciat: quæ pretio tandem inducta conſentit ad venereum actum, ſed non recipit pecuniam.* Quæritur, an poſt commiſſum ſcelus Gaſpar pretium promiſſum, teneatur in foro conſcientiæ ſoluere, & illa poſſit acceptum retinere. & quid confeſſarius Gaſpari conſulere debeat? 50

9 *Cùm lex ieiunij prohibeat ſæpius quàm ſemel in die comedere, Hortenſius iam violato ieiunio per ſecundam refectionem, tertio, & quarto cibum aſſumit.* Quæritur, an toties peccet nouo peccato, quoties eo die poſt primum prandium comederit. 58

10 *Mercator quidam pluribus annis merces ſuas ementibus pecunia præſenti vendidit iuſto pretio; ementibus verò pecunia credita carius, puta cum dilatione vnius anni cum auctario nouem pro centum.* Quæritur, an id ei liceat, & quomodo confeſſarius cum illo ſe gerere debeat. 61

11 *Hector commiſit delictum dignum confiſcatione bonorum; & interrogatus à iudice ſecundum ordinem iuris, negat veritatem, quam fateri tenetur: propter quod abſoluitur à pœna, ad quam reuera, & per iuſtum iudicium fuiſſet condemnatus.* Quæritur, an teneatur in conſcientia illam perſoluere. 68

12 *Iulius puellam quandam domi ab obſtetrice baptizatam, tenuit parentum deſignatione in Eccleſia, cùm catechizaretur, & vngeretur*

tur chriſmate, fuitq. deſcriptus in parochi libro pro compatre. Nunc vellet eam ducere in vxorem. Quæritur, an licitè poſſit ducere, & matrimonium ſit validum, ſi ducat. 72

13 *Hortenſius cupiens habere agrum Liuij, qui poſſeſſioni ſuæ vicinus eſt, emit illum à domino ſexcentis aureis pecunia numerata; quia non poteſt eum habere pro minori pretio, quamuis reuera æſtimatione hominum peritorum non valeat plusquàm quingentos. Cumque ſecundum leges contractus hic ſit validus:* Quæritur, an ſit etiam iuſtus, & venditor peccati immunis. 77

14 *Lucius pecuniarum indigens, cùm non valeat eas habere mutuo à mercatore, petit ab illo vendi ſibi credito de mercibus ſcuta ducenta, quas eaſdem reuendit ſtatim in numerato eidem mercatori pretio minori, quàm illas emerit, ſed tamen iuſto.* Quæritur, an mercator teneatur Lucio aliquid reſtituere. 84

15 *Quidam puer, cùm periculo mortis ſubeſſet, baptizatus fuit domi: quem poſtea ad Eccleſiam ductum, Parochus re cognita, ac nullum periculum imminere putans, iterum ſub conditione ſacro fonte baptizauit, inquiens: Si baptizatus es, non te rebaptizo; ſed ſi non dum es baptizatus, ego te baptizo, &c.* Quæritur, an hic ſacerdos grauiter peccauerit, & in irregularitatem inciderit? 89

16 *Mutius nuptui tradens filiam ſuam Claudio, conſtituit ei duo millia ſcutorum pro dote: quæ cum nequeat cuncta ad numeratum ſoluere, dat Genero mille in celebratione contractus, & alia mille ſe daturum pollicetur ad quatuor annos, & interim ei ſoluit ſingulis annis ſcuta quinquaginta ad rationem quinque pro centenario.* Quæritur, an Gener tuta conſcientia poſſit illa recipere, non computando in ſortem principalem. 93

17 *Nicolaus, qui iniuria affecit Marcum, eius famam, & honorem lædendo, pro quo iuſte poſſet in iudicium vocari, pecuniaq. ſatisfactione mulctari, dat læſo, quem audit pecunia indigere, aureos centum mutuo, ea lege, vt liti cedat, & iniuriam remittat.* Quæritur, an hic contractus ſit licitus. 100

18 *Puellæ cuidam ingenuæ, ac nobili accidit ſæpius mentalem conſenſum in rem veneream præbuiſſe: & quia dum confitetur, maximo ſuffunditur pudore exprimere circumſtantiam, ſit ne virgo, nec ne, eam ſilentio præterit.* Quæritur, an circunſtantiam neceſſario confitendam reticuerit. 105

19 *Hortenſius poſtulat à Fabritio aliquot menſuras tritici: dicit autem Fabritius, mutuabo tibi triticum iſtud, ſed hac lege, vt ſicut ego mutuo tibi triticum, quo indiges, ita tu quoque mutues mihi oleum,*

quo

quo ego egens ſum, aliter nolo tibi triticum, quod poſtulas mutuare. Quæritur, an hic contractus ſit licitus, vel vſurarius. 110

20 *Paulus quibuſdam ſuis famulis mandauit, vt Ioannem interficerent, & ſtatim effugerent, data illis pecuniarum ſumma: illi non modo Ioannem interemerunt, ſed etiam ex eius crumena centum aureos ſurripuerunt: cuius furti nunc conſcius Paulus, diſplicet ei plurimum, agitq. cum homicidis, vt reſtituant, ſed operam ludit.* Quæritur, an Paulus in foro animæ teneatur ad illud damnum compenſandum, videlicet ad illos centum aureos ſoluendos. 117

21 *Philippus graui morbo oppreſſus votum emiſit ieiunandi die ſabbati, quouſque viuet, ad D. Mariæ Virginis honorem, ſi priſtinam recuperaret ſanitatem: qua habita, multis annis ſtetit promiſſis. Sed nunc cùm difficile onus ſuſtinere ſibi videatur, nec eius fuerit recordatus durante iubilæo, quo concedebatur facultas cuiuſcumque voti commutandi, religionis, & caſtitatis votis exceptis, poſtulat à confeſſario, vt illud ſibi commutet virtute præteriti iubilæi.* Quæritur, an poſsit confeſſarius votum iſtud Philippo commutare. 121

22 *Quintilianus multos annos vſuras exercens, ampliſsimas pecunias cumulauit: & quamuis memoria mutuatarios retineat, à quibus illas extorſit, ac quibus reſtituere tenetur; maluit tamen dictas pecunias in fundo fructifero collocare, quàm reſtituere.* Quæritur, an fundi fœneratitijs pecunijs empti verum dominium acquiſiuerit? 125

23 *Robertus luſit cum Pamphilo, qui eſt ſui iuris, alearum ludo, perdiditq. ſcuta quinquaginta, quæ pridie ſine fraude lucratus fuerat ab eodem Pamphilo. Ludo finito Robertus reperitur eſſe filius familias ætatis triginta annorum, vel circa, qui non poſſidet aliqua bona caſtrenſia, vel aduentitia, nullaſque alias pecunias habet, præter quàm centum aureos, quos à patre ſingulis annis ratione alimentorum recipit, cùm moretur extra patriam.* Quæritur, an Pamphilus ſit tutus in foro poli, vel reſtitutioni obnoxius. 131

24 *Sabina vxor de viri ſui fidelitate ſuſpecta, ſecreto eum in adulterio comprehendit: quamobrem multis ab hinc retro menſibus debitum matrimonij eidem petenti, & pluribus verbis roganti reddere recuſat: neque ab hac ſententia vult decedere, niſi vir iureiurando promittat in ſimile peccatum ſe in poſterum non caſurum.* Quæritur, an Sabina, niſi ſententiam mutet, abſolutionis beneficium à confeſſario obtinere valeat. 136

25 *Tiberius dat Petro nonaginta ducatos in promptu pro debito centum ducatorum, quos Paulus debet ipſi Petro in fine vnius anni illi ſoluen-*

ſoluendos omni intereſſe ceſſante, nulloq. periculo in debiti recuperatione exiſtente. Quæritur, vtrum iſte contractus ſit licitus, an vſurarius. 142

26 *Vlyſſes ludendo taxillis cum Tullio certam pecuniæ quantitatem perdidit fide data de ſoluendo, ſi perdiderit; ita vt pecunia in ludo præſens non fuerit, ſed tantum loco illius fuerit fides data.* Quæritur, num Vlyſſes poſſit ſibi retinere dictam pecuniam, an ſoluere teneatur. 149

27 *Albertus ſine debita diſpoſitione, attritionem tamen habens imperfectam, peccata ſua integrè confeſſario confitetur, & verè abſolutionem percipit, ſibi tamen inefficacem propter obicem ſacramento poſitum: culpabili enim ignorantia putat ſe eſſe legitimè diſpoſitum, cum verè non ſit.* Quæritur, vtrum hæc confeſſio, quæ dici ſolet informis, ſit valida, an neceſſariò reiteranda. 153

28 *Bernardus vendidit Cæſari Kalendis Nouembris currentis anni quinque tritici rubia ſcutis quadraginta, recepturus pretium menſe Maij, quo tempore veriſimiliter creditur tanti valitura; cùm de præſenti pretio rigoroſo non valeant niſi triginta quinque: non tamen venditor erat triticum ſuum vſque ad illud tempus ſeruaturus.* Quæritur, an hic contractus ſit licitus: quod eſt quærere, num potuerit Bernardus triticum carius vendere propter dubium de valore, quem in tempore ſolutionis habebit. 159

29 *Cornelio ad ædem D. Mariæ Lauretanæ profecturo deuotionis cauſa, Bonifacius promiſit equum ſuum gratis ſe commodaturum, non ſcripto, aut coram teſtibus, ſed ſimplici verbo, accepitq. promiſſionem Cornelius: ſed cùm tempus iter aggrediendi aduenit, non ſtetit promiſſis Bonifacius, allata quadam excuſatione non vera.* Quæritur, an violando promiſsionem Bonifacius peccauerit lethaliter contra iuſtitiam. 166

30 *Cùm inter circumſtantias peccatum aggrauantes, quædam ſint, quæ mortalitèr ſpeciem in genere moris mutant, de quibus non eſt ambigendum, quòd ſunt confeſſu neceſſariæ: aliæ vero, quæ aggrauant notabili modo peccatum, ſed tamen ſpeciem non mutant.* Quęritur, vtrum ſolæ mutantes ſpeciem, an etiam notabiliter aggrauantes circumſtantiæ de neceſsitate confeſsionis ſint? 172

31 *Cæſarius equum vitio quodam occulto affectum venum exponit: cùmq. emptor non interroget venditorem de aliquo defectu, venditor illum minime patefacit: non pluris tamen eum vendit, quàm cum tali vitio valet: quod certè ſi ſciret emptor, neutiquam equum illum emeret, ſaltem pro tali pretio.* Quæritur, an Cæſarius venditor peccauerit

Digitized by Google

caverit mortaliter, & ad aliquam reſtitutionem in foro animæ teneatur. 180

32 *Dominicus volens aliquas merces emere ad creditum à Mercatore, vel officium aliquod, & munus à Repub. obtinere, cùm non poſſit ſui voti compos fieri, niſi fideiuſſorem præſtet, rogat Andream, vt pro eius debitis fidem ſuam offerat, promittitq. illi aliquod pretium ſe daturũ, cum intelligat ipſum nolle gratis fideiubere.* Quæritur, an Andreas fideiuſſor pro huiuſmodi fideiuſsione poſsit aliquid tuta conſcientia accipere? 188

33 *Eugenia mulier eximia pulchritudine cuidam iuueni, qui eius amore ardebat, ſuum corporis copiam fecit, & ſcit veriſimiliter, quod ſi peccatum hoc ſuo ſacerdoti confiteatur, in libidinem excitabitur, eamq. ſollicitabit.* Quæritur, an ad euitandum huiuſmodi ſcandalum confeſſoris, teneatur Eugenia peccatum illud in confeſsione reticere. 194

34 *Aegidius vendit pretio quingentorum aureorum poſſeſsionem cum pacto retrouendendi Aſcanio, qui cùm non habeat certam illius cognitionem, locat eam ſtatim venditori ad rationem ſex pro centenario.* Quęritur, an hic contractus ſit licitus. 200

35 *Fabius videns Ioannem in tanta eſſe neceſſitate, quòd niſi ſuam operam illi impendat, aut eum ab iniuria defendat, bona ipſius Ioannis periclitabuntur, aut perſona ſua notabilem iniuriam patietur: vult quidem Fabius Ioannem iuuare, atque defendere, non tamen niſi pecunia data, qua accepta operam alioqui debitam Ioanni impendit.* Quęritur, an ſic acceptum ſit reſtitutioni obnoxium. 210

36 *Gerardus iuuenis fornicatus cum Euſebia virgine non poteſt peccatum ſuum in confeſſione exprimere, quin confeſſarius ſimul intelligat talem puellam fuiſſe complicem, & nequit alteri confiteri, vel quia eſt articulus mortis, vel quia Parochus non vult concedere licentiam, curritque præceptum confitendi, & communicandi, nullumque aliud remedium eſt occultandi crimen Euſebiæ, quàm proprium tacere.* Quæritur, an Gerardus in caſu teneatur manifeſtare circumſtantiam complicis, vel peccet lethaliter manifeſtando. 216

37 *Cùm in quadam Vmbriæ ciuitate caritas annonæ contigiſſet, Mercator quidam Picenus magnam tritici copiam ad eam attulit, venditq. illud pretio communi, & currenti, quod inuenit tempore ſuæ venditionis, quamuis ſciret, multos alios Mercatores ſtatim illuc peruenturos, futuramq. magnam frumenti abundantiam, ob quam vilius venderetur.* Quęritur, an hic Mercator Picenus iuſtè potuerit

merces

merces ſuas pro pretio tunc currenti vendere, vel debuerit aliquid de pretio diminuere. 221

38 *Hieronymus quandam vineam legitimè præſcripſit cum conditionibus ad præſcribendum requiſitis, & poſtea inſtructus à viro fide digno, credit rem illam alienam fuiſſe, quam ſuam eſſe putauerat.* Quæritur, an Hieronymus, ſit poſtea in conſcientia tutus, vel teneatur dictam vineam priori domino reddere. 228

39 *Iacobus in articulo mortis conſtitutus, quando iam loqui non poteſt, & vix aliquid ſentire, & in eo ſtatu eſt, vt non poſſit ſpeciale aliquod peccatum explicare, neque confeſſor per interrogationes, vel ſigna valet ab eo aliud intelligere, quàm peccaſſe, & deſiderare abſolui.* Quæritur, an id ſufficiat, vt abſoluendus ſit. 235

40 *Laurentius accuſatus apud Iudicem de quodam crimine à Fabritio, verè quidem, ſed iniuſte: quia non ſunt teſtes ſufficientes ad eius probationem, negat crimen obiectum, ex quo indirectè accuſatoris fama læditur.* Quæritur, an peccet mortaliter Laurentius, & aliquam reſtitutionem facere teneatur. 243

41 *Mauritius accipit mutuo centum à Ioanne, eidemq. reſtituit illam pecuniam: at reſtitutionem non poteſt Mauritius in iudicio probare, & conuenitur à Ioanne exigente ab eo in iudicio ſolutionem centum: ſi Mauritius fateatur coram Iudice ſe accepiſſe centum mutuo à Ioanne, ſed totidem reſtituiſſe, condemnabitur à Iudice, vt iterum reſtituat totidem.* Quæritur, an Mauritius poſſit in huiuſmodi caſu iurare, nihil ſe debere Ioanni, nihilq. mutuo ſe ab eo accepiſſe. 252

42 *Camilla ex non licito coitu grauidata, cùm eam pater interrogaret, quo cum viro concubuiſſet, & illa timens magna inde ſcandala ſecutura, nollet rem aperire, interimitur à patre ira, animiq. perturbatione incitato.* Quæritur, an fornicator in irregularitatem incurrerit, inhabiliſque ſit ad Eccleſiaſticos ordines ſuſcipiendos. 257

43 *Nicolaus mutuat Ludouico centum aureos reddendos illi certo præfixo termino, ea conditione, vt niſi in termino illos reſtituerit, in pœnam moræ debeat illi Ludouicus vnum aureum vltra ſortem ſoluere: admittit Ludouicus conditionem, & illi pœnæ, quæ conuentionalis eſt, ſeipſum ſubijcit.* Quæritur, an hic contractus ſit licitus, & teneatur mutuatarius poſt moram in conſcientia aureum illum perſoluere vltra ſortem mutuatori exigenti, etiam ſi nullum intereſſe ex mora illa patiatur. 265

44 *Olympius habet multa bona, cuncta tamen, quæ poſſidet, ſunt reſtitutioni obnoxia: hic videns Amianum pauperem extremam, vel*

quaſi

quaſi extremam neceſsitatem habentem, vt eius egeſtati ſubueniat, de illis aliqua dicto pauperi elargitur, cùm alia via præfatæ neceſsitati ſuccurrere non valeat. Quæritur, an Olympius deobligetur à reſtitutione facienda in ea parte, quam huiuſmodi pauperi erogauit; an potius teneatur, cùm ad pinguem deuenerit fortunam, tantundem reſtituere. 273

45 *Petruspaulus inuaditur iniuſtè ab Octauiano, vt bonis ſuis ſpolietur, nec poteſt illa defendere, niſi occidendo, vel mutilando: interficit itaq. Octauianum, & ita res ſuas conſeruat.* Quæritur, an Petruspaulus inciderit in irregularitatem. 278

46 *Quintilius nummorum indigens centum aurèos à Franciſco mutuo petit: hic ſciens Quintilium ſolere gratum eſſe de beneficio accepto, libenter ei mutuat centum abſque pacto tacito, vel expreſſo quidquam accipiendi vltra ſortem, ſperans tamen ſe inde aliquod lucrum reportaturum, quod niſi intenderet, minime mutuaret.* Quæritur, an hic contractus ſit licitus, vel vſurarius. 284

47 *Rutilius reuelauit quoddam occultum Gregorij delictum nonnullis ſuis amicis, vnde exiſtimatio integritatis, & honeſtæ eius vitæ grauiter offenſa eſt, ac fama notabiliter læſa. Cùmq. manifeſtum ſit detractorem ad reſtitutionem ablatæ famæ teneri, & omnes alij modi reſtituendi apud peritos, & ſapientes videantur inſufficientes:* Quęritur, an pręfatus Rutilius infamator poſſit, & debeat ijs, quibus occultum crimen Gregorij iniquè reuelauit, affirmare ſe falſum, & mendacium dixiſſe, vt hoc modo reſtituat. 291

48 *Simon crimen morte plectendum commiſit, qui captus, & à Iudice iuris ordine ſeruato interrogatus negat veritatem, etſi per legitimos teſtes eſt conuictus: & cùm quaſtiones, & tormenta Iudex minitetur, timens ne in illis extremum vitæ diem conficiat, accerſit confeſſarium, cui aperit ſe metu mortis verum negaſſe crimen.* Quæritur, an confeſſarius teneatur illi abſolutionem negare, ſi nolit retractare dictum ſuum: vel fiet irregularis, ſi eius ſuaſione reus crimen in iudicio fateatur. 300

49 *Stephanus debebat Thadæo ſcuta decem, quæ clam ab eo abſtulerat, & totidem debebat Thadæus Sabino: ſed Sabinus ob defectum probationis non poterat iuridicè, nec alia via ſua decem ſcuta recuperare. defunctus eſt Thadæus, cui Stephanus decem debebat: Stephanus autem ſciens Thadæum tantundem Sabino debere, ſoluit Sabino ſcuta decem, quæ Thadæo debebat.* Quęritur, an Stephanus potuerit tuta conſcientia hoc facere, maneatque à reſtitutione liber. 306

Vale-

50 *Valerius iurauit, vel vouit ſe non blaſphematurum, neque fornicaturum: paucis poſt diebus blaſphemauit, ac fornicatus eſt: & poſt hæc pœnitentia ductus, acceſſit ad proprium ſacerdotem, confeſſuſq. eſt illi blaſphemiam, & fornicationem: ſed non expreſſit circumſtantiam illam, ſcilicet, quòd blaſphemauerit, atque fornicatus fuerit contra iuramentum, aut votum, quia ſibi in mentem non venerat.* Quæritur, an ſatis ſit Valerio dicere in ſecunda confeſſione, accuſo me, quòd ter licitum, ac ſanctum iuramentum, vel votum fuerim tranſgreſſus: an opus ſit, vt iterum confiteatur, ſe ter blaſphemando, & fornicando licitum iuramentum violaſſe, vel votum. 313

51 *Antonius mutuo tradidit Bernardo ſcuta ducenta: hic poſtea dat Antonio mutuatori aliquod vltra ſortem gratis, & liberaliter, credens illum nihil lucri ex mutuo velle habere; ſed Antonius id accipit animo, & intentione vſuraria, nimirum ratione mutui.* Quæritur, an Antonius vſurarius mentalis ad reſtitutionem accepti teneatur. 319

52 *Bonifacius vir magnus, diues, ac ſummæ exiſtimationis famam Marini priuati hominis, ac plebei iniuſtè læſit: impoſuit enim ei falſum crimen: & quoniam cum famæ propriæ detrimento quilibet famam alterius inique denigratam regulariter reparare tenetur,* Quæritur, an Bonifacius cum iactura ſuæ famæ, & opinionis famam Marino reſtituere teneatur: vel ſatis ſit in alijs bonis illam recompenſare. 326

53 *Claudius matrimonium contraxit cum Dominica, ſed ante conſumationem ſacramenti ingreſſus eſt Religionem Equitum D. Ioannis, ſeu Melitenſium, & in ea poſt annum votum ſolemne emiſit. Cùmque votum Religionis ſolemne matrimonium ratum dirimat:* Quæritur, an in tali caſu Dominica poſſit alteri nubere. 332

54 *Diomedi parato furari centum aureos cuidam ciui, cùm nullis precibus Cæſarius ab hoc magno furto diuertere eum poſſit, conſulit, vt non tantum damnum ciui illi inferat, ſed contentus ſit ſolum quinquaginta furari.* Quæritur, an Cæſarius conſulens ad reſtitutionem minoris damni teneatur. 339

55 *Eugenius, qui à multis annis concubinam detinet, & in peccato mortali perſiſtit, in infirmitatem grauem incidens, teſtamentum facit, multaq. legata pia pro ſalute animæ ſuæ relinquit: poſtea de peccatis ſuis dolens, & de illis in confeſſione ſacramentali ſe accuſans beneficium abſolutionis recipit, animamq. agit in Dei gratia.* Quæritur, an legata iſta proſint animæ teſtatoris quoad meritum æternę gloriæ, & ad ſatisfactionem pœnarum, quas in purgatorio eſt ſolutura. 348

Fabius

56 *Fabius habet propoſitum interimendi hominem, cum quo graues gerit inimicitias, illudq. in confeſſione ſacerdoti aperit, ſed non declinat ab eo: & cùm certum ſit apud omnes ſigillum confeſsionis obligare ad vniuerſa peccata mortalia facta, & confeſſa celanda.* Quæritur, an hoc peccatum non factum, ſed perpetrandum, ſub ſigillo confeſſionis cadat. 355

57 *Debet Gregorius inops, & pauper aureos quinquaginta Fulgentio: hic conſiderans illum non habere, vnde alieno ære ſe liberet, dicit apud ſe interius; bonum eſt remittere debitum Gregorio pauperi; & ex tunc debitori pecunias creditas condonat: poſtea aliquanto ſententiam mutat, ac remiſsionem debiti Gregorio factam reuocat, cùm nullis verbis, aut ſignis illam explicauerit.* Quæritur, an teneatur Fulgentius in conſcientia à debitore nihil accipere, ac condonationi ſtare. 362

58 *Cùm Hilarius haberet læſam famam apud multos de ciuitate, vel quia delictum ab eo commiſſum eſt publicum; vel quia publicè propter illud fuit punitus, Gaſpar de eodem crimine eum diffamauit detegens illud alijs in locis, vbi infamatus non erat.* Quæritur, an Gaſpar peccauerit mortaliter, obnoxiuſq. ſit reſtitutioni. 376

59 *Ioſeph iam ſenio confectus, etſi ad generandum eſt impotens, & videtur ſpadoni comparandus, cupit contrahere matrimonium cum Lauinia vidua, quæ eius impedimentum non ignorat.* Quæritur, an ſi contrahat, matrimonium ſit validum? 376

60 *Ludouicus deponit mille aureos apud Ioannem vſurarium non habentem alias pecunias præter illas, bono tamen animo, nimirum, vt apud eum ſecurius cuſtodiantur; verum Ioannes pecunias illas ſub vſuris, & fænore mutuat.* Quęritur, an Ludouicus cooperetur peccato Ioannis, & ad aliquam reſtitutionem teneatur. 383

61 *Martinus presbyter curam animarum habens in Monteſaliſco, Viterbium profectus, & apud D. Lucium Parochum amicum ſuum diuerſatus, rogatur à Parocho, vt nonnullorum ſuorum parochianorum hoc quadrageſimali tempore confeſsiones velit audire. quo reſpondente ſe non eſſe expoſitum ab Epiſcopo Viterbienſi: ait ei Parochus, ego do tibi huiuſmodi licentiam. audit igitur Martinus confeſsiones Viterbij in Eccleſia parochiali D. Lucij, beneficiumq. abſolutionis pœnitentibus impendit.* Quæritur, an dictæ confeſſiones ſint validę, vel iterandæ. 390

62 *Nicolaus exacta ætate matrimonium contraxit cum Iuſtina; cum qua, cùm ſit virgo, ineptus eſt ad coeundum; eſt tamen idoneus ad coeundum cum corrupta.* Quęritur, an hęc impotentia coeundi reſpectiua,

ſpectiua, videlicet reſpectu huius mulieris, & non reſpectu alterius irritum reddat matrimonium cum iſta, & non cum alia. 398

63 *Habet Octauius aureos mille dicatos, & deliberatè paratos ad negotium, in quo detractis impenſis, laboribus, ac periculis, probabiliter lucraretur quinquaginta. Michael verò, qui grauem ſuorum bonorum iacturam paſſurus eſt ex defectu mille aureorum, rogat Octauium, vt dictam pecuniæ ſummam ſibi mutuo tradat: mutuat igitur Octauius, ſed cum pacto ſolutionis lucri ceſſantis.* Quæritur, an hic contractus ſit licitus. quod eſt quærere, an liceat Octauio mutuanti ducere in pactum lucrum ceſſans. 403

64 *Pamphilus multis hinc retro annis infamauit Neſtorem, imponendo ei delictum falſum, quod ex diuturnitate temporis iam omnino creditur obliuioni traditum.* Quæritur, an Pamphilus nunc teneatur ad famam Neſtori reſtituendam. 416

65 *Confeſſarius quidam obtinuit in quadrageſima facultatem abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis, ad tempus, nempe vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè: quo tempore elapſo contigit, vt audita confeſſione cuiuſdam pœnitentis habentis caſum reſeruatum, eum ex inaduertentia abſoluerit ab omnibus: & cùm talis abſolutio à reſeruatis ſit inualida,* Quæritur quid confeſſarius in hoc caſu facere debeat. 420

Finis Indicis Caſuum.

Digitized by Google

Errata ſic corrigito.

P. paginam, v. verſum, l. legito deſignat.

Pag. 3. verſu 12. Molin. legito, Molinæus. p 4. v. 20. fructum, l. fructuum. p. 12. v. 36. fæneratiuus, l. fæneratitius. p. 14. v. 21. vnam, l. vnà. p. 15 v. 32. velato, l. vallato. p. 12. v 31. inuiſus, l. inuitus. p. 19. v 21. ſit, l. eſt. p. 30. v. 17. quato, l. quarto. p. 31. v. 28. & dimittenda. l dimittenda. ibid v. 29. & facienda, l. vel facienda. p. 32 v. 23 extremos, l externos. p. 36. v. 14 contractat, l. contrectat. ibid. v. 24 centum, l. certum p. 39. v. 12 moraliter, l. mortaliter. p 56. v. 9. Nauar n 5. l. Nauar ſcilicet p. 60 v. 6 omis, l omnis. p. 61. v. 18. quod, quod, l quod p. 63. v. 12. & ſumma, l. & in ſumma. p. 64. v 4 receptũ, l. receptam. p. 68. v. 29. nec fuit, l. vel fuit. p. 73 v. 13. ius, l. vis. p. 75. v. 4. datum. l clarum p 76. v. 15. ſpecialis l. ſpiritualis. p. 79. v. 28 com l. communis p. 83. v. 30 alijs, l alij. p. 87. v. vlt. ens, l eas p. 96. v. 31. & Maior in 4. l. & Maioris in 4 p 100. v. 2. condennandum. l. condonandum. p. 101. v. 7 accepit l. accipit. ibid v. 26. exigat, l. exigit p. 104. v. 13 cõtriſtans, l. contriſtatus. p 105 v 4. fornicari, l. fornicarium. p 108. v. 16. in hoc, l ex hoc p 110. v 12. illud, l. iſtud p 112. v. 29 loquimur, l. loquitur p. 114. v. 13 cũ inuſtitia. l. cum iuſtitia. p 116 v. 5. ex facto, l. ex pacto p 118. v. 18 oblatorum, l ablatorum p. 121. v. penult. præſentis, l. præteriti p. 126. v. 1 conſiſtit, l conſiſtunt. p. 128 v 6. iſta, l. iſte. p 129 v 10. debiãt, l debitam. ibid. v. 19 non, l. vero. p. 133. v. 1 ipſe l. ipſo. p. 149. v 7. potuit. l poſſit. ibid. v 9. firmamento, l. iuramento. p. 151. v. 14 excluere. l. excluere. p 154 v 9 ad prauam. l ob prauam. p. 156. v 23. potus, l. potius. p. 157. v. 15. effectum Nunc, l. effectum nunc. ibid. v. 18. Primario, l. primo modo. ibid. v. 19. ſecundario, l. ſecundo modo. p. 158 v. 24 ſi coniectum. l ſi coniectura. p. 159. v. 2. de valone, l de valore. p. 160. v. 30. ad ſeptimam l ad ſeptimum. p. 174 v 12. arigentes, l. augentes. ibid v. 12 peccare, l peccatum ibid. v. 14. cœum, l. coeunſ p. 175. v 1 intentione, l. intenſione. ibid. v. 24 inſtitu, l. inſtitui. p. 178 v. 16. Ioan. 2. l. Ioan 20 p. 182 v 6 alteri, l damni ibid. v. 16. multa, l nulla p 189. v. 2 primo principali, l pro debitore principali p. 191 v 26. aliena, l aliqua p. 192. v. 1. aſu, l caſa. p. 193. v. 1 fideiuſſionem, l fideiuſſione. p. 196. v. 1. quòd l quid, p. 198. v. 5. confeſſionis, l. confeſſoris. p. 204 v. 16 ſatis, l talis. p. 207. v. 3. locatur, l locetur ibid. v. 3. niſi, l ac ſi. ibid. v. 20 ſuſpenſus, l. ſuſpectus. p. 212 v 21 reſpici. l. recipi p. 213. v. 27. valenet, l valeret p 214 v. 4. q 26. l q. 62 p. 215 v. 25. eius, l. ius. p. 221 v. 7. ſilẽtia, l ſcientia. p. 223. v. 22. D. Tho. 27 q. 77. l D. Tho 2 2 q 77. p. 227. v. 15. illius, l. illam p 230. v. 12 cum conſcientia, l tuta conſcientia. p 233 v. 4. Nan, l. Nam p. 234 v 24. actu, l. actus. p. 236 v. 33. remittuntur, l remittantur. p. 244. v. 31 Propterea, l Præterea p. 247. v 21. colenda, l. celanda. ibid. v. 33 lib 12. l & lib. 12. p 252. v. 24. hic, l. ſic. ibid. v. 28. Ioannes, l. Ioanne. p 255. v. 17 accipitur a debito. l accipitur ſimpliciter, & abſolute, & vt abſtrahit à debito p. 256 v vlt & n 20 l & n. 21. p. 259 v 26. ſecuitur, l. ſequitur. p. 261. v. 7. propinquam, l propinqua. ibid. v. 33. ſatis. l talis. ibid v. 34 carnali, l. caſuali. p. 262. v. 12. reſpondetur, l. reſpondet. p. 265 v 7 not, l. non ibid. 24 inteſſe, l intereſſe ibid. v. 25 & vt, l. vt. p. 266 v. 27. poſitiſſime, l. potiſſime. p. 267. v. 25. ſperanda, l. ſpectanda. ibid. v. 32. colligit, l. colligitur. p 271 v 14. fuerit, l fuerat. ibid. v 18 noluit p 272. v. 25. antiqui, l antiquum. p. 278 v 21. ſuccſequutus, l. ſubſequutus. p. 287. v. 14 auxilij, l. Quintilij. p. 291 v. 7. cælare, l celare. ibip v 14. Renouare, l Reuocare. p. 292 v. 11 caſus xlvi.) l. caſus xl.) p. 293. v 10 Rebelli, l, Rebellus p 295. v 15. D Thom. l vt D. Thom. ibid vt ait in, l ait in. p. 307 v 32. alia. l. vlla p. 310 v. 2 obligagione, l obligatione p. 314. v 33. diſtinguimur contra communem, l. diſtinguitur contra commune. p. 315. v. 15 ſola circũſtantia, l. ſolam circumſtantiam. p. 316. v. 17 poſſit, l. poteſt. p 318. v 8 tract 22. l. tractat 2 2. ibid. v. 21. mortalibus, l. mentalibus. p. 320. v. 11. mortalibus, l mentalibus. p 322. v. 31. docet, l docent. p 323. v. 26. donatione, l. donationem. p. 326 v. 28. ſed altera, l ſed aliena. p. 329. v. 2. præſſet l. præſtet. ibid v. 21 cum ipſius, l. cum ipſis p. 331 v. 17. opinionibus, l. opiniones, p 332. v 1. de conueſione, l. de conuerſione. p. 333. v. 11. cap 8. q. 89. l. cap. 8. q. 98. p 335. v. 5. Cordubenſiis, l Cordubenſis. ibid. v. 7 lib 3 q 4 adde, de matrimonij impedimento. ſect. 2 n. 10. & 13. p. 336. v. 7 ſatis eſt, l talis eſt. ibid. v. 25 poteſt, l poſt p. 338 v 25 eſſe, l. eſſet p. 346. v. 27 quod, l. quid. p. 349. v 5. ſine. l. ſiue. p 352. v. 5. ad ſufficientia, l. ad ſufficientiam. ibid v. 6, morali, l. mortali. p. 353. v vlt etiam, l. etſi p. 357. v. 22 decretum, l. detectum. p. 362 v. 24. tranmiſſio, l tranſmiſſio p. 364. v. 12. inrerna, l. interna p. 370 v 25. reſponſ quæſt. l reſponſ 9 p. 371. v. 5. incurſus, l. concurſus. p 375. v. 17. ſi ſerum. l ſi ſerua. p. 380. v. 22. denifitur. l definitur. p. 384. v. 32 multum, l. mutuum. p. 387. v 8 alio, l. alia p. 39 . v. 20. cutao l. curato ibid v. 22 uam. l. ſuam. p. 394. v. 31. confeſſionis, l. cõfeſſoris. p 398. v. 13 appareat, l. apparet p. 402. v. 25. pro rr, l pro re p 404 v. 10. priuato, l priuatio. ibid. v. 28. negotiatoribus, l. negotiationibus. ibid. quo, l quod. p 405 v. 9. temuta, l. remota. p. 411. v. 2. mutuet, l mutuat. p. 418. v vlt. atero, l. altero p. 422. v. 17. diſt. 6. n. 6. l, diſt. 6. n. 60. p. 423. v. 10. & 11. ergo tego tenetur, l. ergo tenetur.

Digitized by Google

RESOLVTIONES
CASVVM CONSCIENTIAE.

Auctore
R. P. F. ALPHONSO REGIO
VRBEVETANO

DOCTORE THEOLOGO ORD. EREMITARVM
S. AVGVSTINI.

SVMMARIVM.

1 *VEndens fundum abſolutè pecunia credita, ſi aliquid exigat pro fructibus, vſuram committit. & num.* 18.
Intellige vt num. 7. 8. *&* 34.
Contrarium quomodo, & quibus conditionibus procedat, à nu. 26. *ad* 34.

2 *De re aliena non licet fructus accipere, & num.* 31.

3 *Dominium rei venditæ tranſfertur omnino in ementem, etiam cum fides habetur de pretio, & nu.* 8. 14. *limita vt nu.* 32.

4 *Iure naturæ vnaquæque res ſuo domino fructificat, & num.* 8.

5 *Venditio, & locatio in quo differant.*

6 *Debitor quando dicatur eſſe in mora.*

7 *Ob dilatam ſolutionem, niſi damnum emergens, vel lucrum ceſſans intercedat, vſura eſt aliquid accipere.*

9 *Ad lucrum ceſſans quænam requirantur.*
10 *L:Curabit. C.de actiõn. empti,intellectus, & num.* 11.12.14.15. *&* 17.
16 *Tutor tenetur ex proprijs reddere pupillo, quæ non fuerit illi ex ſua negligentia lucratus.*
19 *Contractus emptionis, & venditionis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam.*
20 *Aequalitas requiſita in contractu emptionis, & venditionis in quo conſiſtat. & num.* 21. *&* 22.
23 *L.* 2. *C. de vſur.l.Iulianus, & l.vlt.ff.de fundo dot. intellectus.*
24 *Vſuræ lucratoriæ, & recompenſatoriæ in quo differant.*
25 *Penſio exacta in caſu, ad quam vſuræ ſpeciem reducatur.*
29 *Dominium vtile, & dominium directum in fundo poſſunt ſeparari, & vnum vendi ſine alio.*

CASVS I.

ANTONIVS vendit poſſeſſionem mille aureis Benedicto, qui ei ſoluit tempore contractus quingentos in numerata pecunia; & alios quingentos ſe enumeraturum ſpondet ad tres annos à die celebrationis inſtrumenti, & interim daturum aureos viginti ſingulis annis ratione fructuum. *Quæritur, an hic contractus ſit licitus, & dictus Antonius ſine labe vſuræ hanc penſionem accipere poſſit.*

Reſpondetur, quicquid ſenſerit *Couarr. lib.3.var.reſol. cap.*4. cum nonnullis alijs iuriſperitis, contractum hunc, niſi quibuſdã alijs conditionibus honeſtetur, eſſe illicitum, & vſuram redolere. Ita affirmat *D. Anton.par.*2. *tit.*1.*cap.*7. §.20. *D.Bernardinus in ſerm.*34. *in Dominica quarta Quadrageſimæ,Franciſ. de Mayro.* 4.*ſent.diſt.* 16.*quæſt.*3.§.*Sed quid, ſi aliquis vendat caſtrum. Maior in* 4.*diſt.*15.*q.*12.*Gabr. eadem diſt.q.*12.*ar.*2. *concl.*4. *caſu* 3. *Roſel.vſura* 1.*nu.*47.*Aſtenſis in ſumma lib.*3.*tit.*11.*ar.*4.*quæſt.*7. *Sylu.*

Sylu.vſura 2.q.11.verſ.2. Armilla eodem verbo num.15. Tabien. vſura.2.num.9.verſ.Octauus caſus.Nau.lib.5.conſ. de vſuris.conſil.19.Lopez in inſtructorio conſcientiæ par.2.cap.60. §.vltra prædicta,concl.1.& 4.& lib.1. de contractibus cap.36. in ſolut.1. argum.Io.Bapt. Corradus in ſuis reſponſis par. 2.q.498. Azorius 3. par.Inſtit.moral.lib.8.cap.15.Petrus Nauar. lib.3.de reſtit. c.2. nu.148.Michael Salon in 22.D.Thomæ,tom.2.diſp. de contractib. art.6. Ita etiam docent ex iuriſperitis *Panorm.conſ.5.conſil. 66. & conſil. 76. dub. 2. lib. 1. Socin. conſil. 176. lib.2. & conſil. 88. & 103. lib.4.* (quamuis non ſibi conſtet, alibi enim oppoſitum docuit) *Dec.conſil.119. num.4. Aymon conſil. 189.caſu 3.* & alij, quos ſibi in hac parte repugnare, *Molin. & Couarru. loco citato num.4.& 5.*ingenuè fatentur, vt aduertit *Salon* & auctor Summæ coronæ confeſſorum *par.2.c.8.n.18.* teſtatur hunc caſum fuiſſe Romæ agitatum ſub Pio V. Pont. Max. & à Patribus Societatis Ieſu Pænitentiarijs S. D. N. Papæ apud S.Petrum, alijsq. erudiſſimis Theologis ſic fuiſſe reſponſum: Præfatus caſus propoſitus eſt vſurarius: quibus quidam alij Doctores graues Canoniſtæ ſubſcripſerũt, dixeruntq. hanc ſententiã pro ſalute animarum tutiorem eſſe. Eſt ergo communis omnium tam veterum, quam recentiorum Theologorum, qui de hac re ſcripſerunt, præter vnum
1 *Angelum*, & iuriſperitorum ſententia, iniquum † eſſe, & vſurarium intereſſe aliquod, vel penſionem exigere, quando res fructifera actu, & abſolutè venditur, expectata ex conſenſu venditoris per aliquod tempus illius ſolutione. qua ratione penſiones vi huius contractus receptæ, erunt in conſcientia compenſandæ in ſortem, vel reſtituendæ. Quæ ſententia his rationibus nititur.

2 Tum quia de re † aliena, cuiuſmodi eſt poſſeſſio actualiter vẽdita, non licet fructus accipere: ergo, neque penſionem loco eorum: nam perfecta conſummataq. venditione ſicut poſſeſſio illa pleno iure emptoris eſt, ita & fructus. nemo autem ratione rei, cuius dominus verè eſt, tenetur aliquod alteri ſoluere.

3 Tum quia cum in emptione, & † venditione transferatur omnino dominium rei venditæ in ementem, & contractus, de quo nunc loquimur, ſit vera, & realis emptio, & venditio: conſtituto

Digitized by Google

enim ac perfecto huiuſmodi contractu, iam non poteſt venditor poſſeſſionem illam ſibi retinere, aut alteri tradere: ſed ita pertinet ad emptorem, vt ſi pereat, emptori pereat: quæ omnia docent eſſe veram, ac realem venditionem: ſequitur, vt in huiuſmodi contractu poſſeſſio illa fructifera tranſierit omni iure in plenũ, abſolutumq. dominium emptoris, & ex conſequenti fructus illius
4 iam non ſint venditoris, ſed emptoris; cum iure † naturæ vnaquæque res domino ſuo fructificet. Docetq. hoc apertiſſimè *l. fructus C. de actionib. empti, & venditi*, vbi habetur, vt fructus poſt perfectam venditionem ad emptorem pertineant, maximè poſt factam rei traditionem. Quod ſi fructus illi emptoris reuera ſunt, & res empta, iniquum eſt, vt teneatur emptor reddere aliquid venditori ratione fructuum, in quos ille nullum iam habet dominium, vel ius.

Tum quia illa penſio videtur haberi contemplatione dilationis temporis, & ſolutionis pretij: accipere autem aliquid ratione dilationis ſolutionis eſt peccatum vſuræ. *c. in ciuit. de vſuris.*

Et confirmatur: quia vel exigitur illa penſio ab emptore poſſeſſionis, quamdiu non ſoluit integrum illius pretium, ratione fructum, quos percipit: vel titulo locationis illius poſſeſsionis, donec reddatur eius totum pretium: vel ratione alicuius moræ, in qua ſit emptor: aut demum ratione pretij non dum ſoluti, & expectatæ ſolutionis. Non poteſt exigi, aut recipi ratione fructuum, quos ex illa poſſeſsione emptor eius percipit: quia vt paulo ante oſtendimus, cum poſt perfectam ſemel, abſolutamq. venditionẽ poſſeſsionis, fructus illi pleno iure emptoris ſint, ſicut & poſſeſsio, nullus ratione rei ſuæ tenetur aliquid alteri ſoluere. Neque titu-
5 lo locationis; quia cùm in locatione † rei locatæ dominiũ maneat penes priorem dominum, & ipſi pereat; in hoc autem contractu poſſeſsio fructifera, quæ vẽditur, tranſeat in plenum dominiũ emptoris, ita vt ſi pereat, ipſi pereat, non priori domino, qui vendidit, ratio locationis hìc locum minimè habet. Nec poteſt exigi ratione alicuius moræ, cùm dilatio illa ſolutionis mutuo vtriuſque
6 conſenſu conſtituatur. In mora † autem debitor non eſt, niſi quando adueniente termino ſibi conceſſo, non ſoluit. Reliquum ergo

eſt, vt

eſt, vt exigatur, recipiaturq; intereſſe illud, vel penſio ſola ratione dilatæ ſolutionis: hac autem ratione exigere, vel recipere
7 aliquid vltra iuſtum pretium, iniquitas eſt, & vſura, niſi † intercedat aliqua ratio damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quæ ex eodem *Couarr. & alijs hic* non attenduntur, cùm exigatur penſio hæc, etiamſi venditor pretium illud in nullum vſum eſſet conuerſurus. Contractus igitur iſte iniquus eſt, & vſurarius.

Et confirmatur amplius: quia ſi à Benedicto poſſeſsionem emente fuiſſet tota pecunia numerata, certè iniquiſsimum eſſet fructus aliquos venditori adſcribere, aut penſionem ei ſoluere: igitur ideo ei applicantur fructus, vel penſio ſoluitur; quoniam ſolutionem differt, pretiumq. expectat: quod vſurarium eſt.

Quod ſi dicat *Couarr.* vt videtur aſſerere *l.c.nu.* 5. venditorem non pro ſola dilatione, ſed pro traditione rei, ad quam ante pretij ſolutionem non tenebatur, lucrum illud rite exigere. Hæc reſponſio nulla eſt; quia eadem ratione pro mutuo, vel pro re credito vendita lucrum exigere fas eſſet: cùm nullo iure quis teneatur rem ſuam mutuare, vel per venditionem alienare, concedendo pretij dilationem. Si ergo pro re credito vendita lucrum exigere manifeſtam vſuram continet, etiam & pro traditione eiuſdē.

Si autem rurſus dicat, non licere pro traditione rei venditæ, quæ non eſt fructifera, lucrum aliquod, ſeu penſionem exigere; licere autē pro traditione rei fructiferæ: & ita in his tantum rebus conſtitui huiuſmodi contractus: quia non eſt æquum venditorem re ſua carere, & fructibus illius, & pretio. Certè ſicut venditor non poteſt recipere aliquid, eo quòd careat pretio; quia eſſet
8 vſura; ita neque eo quòd careat fructibus; cum fructus rei † venditæ iam ſint emptoris, qui verus illorum dominus eſt: dominium enim fructuum non naſcitur ex ſolutione pretij, ſed ex dominio rei; cum iure naturæ vnaquæque res domino ſuo fructificet, non alieno. dominium vero rei venditæ transfertur pleno iure in emptorem, etiam quando fides habetur de pretio: alioquin ſi emptor dominium rei ſibi venditæ prorſus non acquireret, ſed poſſeſsionem dumtaxat, vel vſum pretio aſsignato; iam non emptio, ſed locatio eſſet dicenda. Item periculum rei penes

venditorem,non penes emptorem eſſet: ſicut in omni locato, & conducto, in omniq; actu, in quo rei dominium non confertur, conſtantiſsimum eſt. Ex eo autem, quod venditor careat fructibus, qui ſui re vera non ſunt, ſed emptoris, hic non eſt illi alicuius pecuniæ debitor.

Neque valet dicere, venditori ceſſare lucrum in hoc caſu;quoniam ſi recepiſſet totum illud pretium poſſeſsionis ſtatim, & in numerato, conſtituiſſet ex illo cenſum, aut expoſuiſſet illud alicui negotio lucratiuo. Tum quia ſi exigeret titulo lucri ceſſantis, iam non exigeret ratione fructuum. Tum quia ad lucrum
9 ceſſans † non ſufficit, quod venditor eſſet ex pretio, ſi ſtatim ſibi integrum ſolueretur, exercitaturus mercaturam,& empturus aliquos cenſus annuos: ſed requiritur, vt emptor ſit in mora ſoluendi. quæ mora non conſtituitur ab initio contractus, vt latè probat *Giacharus in tract. de vendit. rei ad term.* Vel ſaltem exigitur, vt venditor habeat actu, paratum alium emptorem reddentem ei totum pretium in numerato, aliter lucrum nõ ceſſat. quod non accidit in caſu noſtro: non enim in eo narratur, quod præfatus venditor habebat, qui ſolueret pretium in numerato,& volebat mercari, aut emere frugifera pretio iuſto ſibi ſtatim ſoluẽdo.

Sed adhuc huic communi Theologorum ſententiæ obijci poſſunt aliqua argumenta. Primum in *l. curabit C. de actionib. empti, & vendit.* decernitur, emptorem rei fructiferæ, qui pretium poſt rem traditam non ſtatim ſoluit totum, teneri ad ſoluendum non ſolum partem pretij non ſolutam, ſed etiam vſuras pretij, hoc eſt intereſſe, ſiue penſionem, iuxta proportionem fructuum, pretijq. non dum ſoluti: vt ſi dimidiam, vel tertiam partem pretij tantum ſoluit; dimidium quoque, vel duas tertias partes fructuum vltra pretium reſtituat, vel eorum valorem: ſic enim inquiunt ibi Cæſares; *Curabit Præſes Prouinciæ compellere emptorem, qui nactus poſſeſſionem fructus percepit, partem pretij, quam penes ſe habet, cum vſuris reſtituere, quas & perceptorum fructuũ ratio, & minoris ætatis fauor, licet nulla mora interceſſerit, generauit.* Ergo Antonius vendens poſſeſſionem fructiferam Benedicto, parte pecuniæ expectata, & interim certa penſione accepta

pta ratione, & loco fructuum, ad reſtitutionem non tenetur ex huius legis decreto.

10 Reſpondetur legem hanc † *Curabit*, ſecundum *Sylu.ver.vſura* 2.q.11.*Alexan.conſil*.119.120.121.*lib*.4.*&* 121.*lib*.5.*Capollam cautela* 121.*Caſtrenſ.in l.Iulianus*.§.*offerri*, *Panorm.Dec.* & alios iuriſconſultos relatos à *Couarr*.3.*lib.var.reſol.cap*.4. *nu*.4. *&* 5. non procedere de venditione perfecta, & abſoluta cum tranſlatione dominij, qualis eſt ea, de qua agitur in caſu noſtro; ſed de imperfecta, & conditionali, ſub ea ſcilicet conditione facta, vt

11 quamdiu pretium non ſit ſolutum, poſſeſſio † fructificet pro rata pretij non ſoluti venditori tanquam vero adhuc ipſius domino per contractum locationis. Ita etiam interpretantur hanc legem *Petrus Nauar.Lopez.Azor. & Salon locis ſupra citatis, & Fabian. tract.de emptio.& vendit.q*.7.*principal.num*.13.

Et quod hic ſit germanus, & verus eius ſenſus, & intellectus, ſic oſtenditur: Quia in ea lege agunt Cæſares de emptione poſſeſsionis fructiferæ, quæ ad hæreditatem pupilli pertinebat, quã tutor in illius vtilitatem cuidam vendiderat, tradideratq. accepta tantum quadam parte pretij; decernuntq. vt emptor ille partem pretij, quam penes ſe habet reſtituat, & perſoluat cum vſuris, ideſt cum penſione commenſurata illi parti fructuum, quæ parti pretij adhuc perſoluendi reſpondebat: & hoc velut conductor (nam eius partis fructuum, quæ parti pretij iam traditi reſpondebat, erat emptor verus, abſolutusq. dominus.) Redduntq. duplicem huius conſtitutionis rationem, dum dicunt, *Quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis fauor, licet nulla mora interue-*

12 *nerit generauit*; hoc eſt, † debentur vẽditori iſtæ vſuræ, tum ratione fructuum; tum ratione fauoris, quo iura proſequũtur pupillos.

13 Nunc quæro, quæ nam eſt propria natura, & ratio † fructuum? certè hæc, vt ſint illius, ad quem pertinet dominium poſſeſsionis illos ferentis: vt ſicut iure naturæ vnaquæque res domino ſuo perit, ita quoque illi fructificet. Cùm igitur hoc noſſent Cæſares, & inſuper ſcirent per abſolutum, & perfectum venditionis

14 contractum † eius rei, quæ ſic venditur, dominium pleno iure in emptorem tranſire, ſiue pretium illius in numerato ſoluat, ſiue

ad terminum; eo ipſo quòd dixerunt, emptorem, qui partem pretij penes ſe haberet, debere illam reddere cum vſuris ex propria ratione fructuum, docuerunt ſe loqui de venditione poſſeſſionis imperfecta, perficienda verò quando totum pretium redderetur.

Secundam rationem ſumunt ex fauore, quo iura minores complectuntur eorum vtilitati ſemper conſulendo, dicentes debere emptorem partem pretij, quam penès ſe habet, cum vſuris reſti-
15 tuere in fauorem minoris ætatis. Quibus verbis indicant † apertè, curatorem vendidiſſe poſſeſſionem, de qua agitur, ſub hoc pacto vt quamdiu emptor partem illius pretij penes ſe haberet, nō haberet dominium partis fructuum, ſed velut illius conductor vſuras, idest penſionem illi reſpondentem perſolueret, vt ſic tu-
16 tor ſeipſum ſeruaret indemnem, cui † ex officio incumbit ex proprijs reddere, quæ negligentia ſua non fuerit pupillo lucratus. Nec obſtat vocari in hac lege contrahentes iſtos emptorem, &
17 venditorem. Quia in eo † partim venditio, partim locatio continetur; venditio quidem fundi, & fructuum, qui parti pretij iam traditi reſpondent. ex parte verò locatio eſt: quia ante reſidui pretij ſolutionem habet emptor fructus alterius partis fundi conductos, & ſoluit loco mercedis annuam penſionem.

Verùm ſi quis pertinaciter nollet hanc interpretationem *l. curabit* recipere, ſed eam ſolùm, quam amplectitur *Couarr. l.* 1. *n.* 4. vbi inquit, emptorem teneri ad vſuras pretij non ſoluti à die traditionis iuxta fructuum æſtimationem per *d. l.* etiamſi venditor dominium rei per traditionem in emptorem tranſmiſerit.

Dicemus cum *Salone*, nullum eſſe incommodum, vt lex aliqua ciuilis à Paganis Principibus lata aliquas probet vſuras, ſicut le-
18 gibus Romanorum admittebantur. Vſura autem † aperta eſt exigere aliquid, aut ratione fructuum, qui iam alieni ſunt, aut ratione expectatæ ſolutionis. Quare nos, qui iudicium animæ reſpicimus, & iudicandi ſumus non regulis Digeſtorum, aut Codicis, ſed in veritate factorum, quæ ad menſuram diuinæ iuſtitiæ metiri, & regulare debemus, lex illa nullo pacto vrget.

Secundò, huic ſententiæ obijcitur. Cùm contractus emptionis,
19 & venditionis pertineat ad iuſtitiam † commutatiuā, inter vendentem

dentem,& ementem debet æqualitas ſeruari; itaut neque habeat vnus minus, quam debet habere, neque alter pluſquã debet habere. At ſi emptor rei fructiferæ quamdiu pretium illius non reddit, nullam ſolueret vſuram,& penſionem venditori, non ſeruaretur debita æqualitas; ſed emptor haberet penes ſe & rem, & fructus, & pretium, & vſum illius: venditor verò nec haberet rem, qua liberè ſe ſpoliauit, nec fructus, nec pretium, nec aliquem vſum, vel vtilitatem ex illo, toto illo tempore; in ſumma emptor haberet plurimum, venditor nihil; & ex conſequenti vnus pluſquam debet habere, alter verò multo minus. quod eſt iniquum, & contra rectam rationem. Aequum ergo eſt, & rectæ rationi maximè conſonum, vt emptor, qui fructus percipit non dum ſoluto pretio, pretij vſuras vſque ad fructuum quantitatem ſoluat venditori, qui re ſua ſe liberè ſpoliauit, cùm eam tradere minimè teneretur, niſi pretio ſoluto. Et hanc *Couarr.* putat eſſe ipſiſſimã rationem prædictæ *l. curabit*. Confirmatur id ex *l. 2. C. de vſuris*, vbi dicitur, *Aequitatis ratione præſtare emptor vſuras pretij non ſoluti cogitur*. & *l. Iulianus. §. ex vendito. ff. de actionibus empti, & venditi*, ſic ait Iuriſconſultus: *Cum re ipſa emptor fruatur, æquiſſimum eſt eum vſuras pretij impendere*. Simile legitur *l. vlt. §. vlt. ff. de fundo dot.*

Ad hoc, quod eſt potiſſimũ *Couarruuiæ* argumentum à ratione petitum, Reſpondetur negando minorem propoſitionem: nulla enim reperitur inæqualitas, propterea quod vendens rem fructiferam ad creditum venditione abſoluta, & perfecta nullum recipiat intereſſe, quamdiu emptor non eſt in mora: quia æqualitas,
20 quæ in contractu † emptionis, & venditionis exigitur, non conſiſtit in eo, vt ſicut emptor rei fructiferæ recipit fructum ex ea, ita venditor recipiat aliquod intereſſe, quamdiu nõ ſoluitur pretium, cum eius ſolutio ipſius conſenſu differatur: ſed conſiſtit venditionis, & emptionis æqualitas in eo, vt valor rei æquetur pretio, & è conuerſo pretium æquetur valori rei, ſiue reddatur ſtatim pretium illud, ſiue differatur illius ſolutio. Vnde oblato, vel conſtituto iuſto pretio, etiamſi ſolutio illius differatur, ſeruatur nihilominus debita in illa venditione æqualitas.

Con.

Concedi etiã poteſt, quòd vterque tum venditor, tum emptor debet eſſe æqualis conditionis quoad eſſentialia contractus: qualia ſunt, vt in cõtractu venditionis venditor transferat ius, & dominium rei venditæ in emptorem; & in contractu emptionis, vt emptor transferat ius, vel dominium pretij in venditorem.

21 Sed num quoad traditionem actualem poſſeſſionis rei † venditæ, & pretij debeant eſſe æquales?

Reſpondetur, quòd etiam quoad hoc ſtando intra limites horum contractuum, & ſecundum conditiones ſuæ naturæ conuenientes, æquali conditione vterque contrahentium debet gaudere: niſi ex voluntate eorumdem ibi admiſceatur alius contractus: ſicut re vera in venditione ad creditum admiſcetur virtualis, & voluntaria mutuatio pretij ex parte venditoris; & in emptione anticipata ſolutione facta ſimiliter ex parte emptoris. Quando ergo per ſe contrahitur ſine admixtione contractus mutui, inter emptorem, & venditorem ſeruanda eſt dicta æqualitas,
22 nempe vt fiat † traditio ſtatim actualis, & præſentanea poſſeſſionis rei venditæ, ac poſſeſſionis pretij: ſed cum in venditione admiſcetur voluntariè contractus mutui, quid mirum ſi cauſet hãc inæqualitatem inter contrahentes? cum de natura mutui ſit imparem conditionem in mutuantem, & mutuatarium inducere, cum melior ſit conditio accipientis mutuum, quàm mutuum dantis in æſtimatione humana.

Ad confirmationem ex *l. 2. C. de vſuris*, Reſpõdetur haberi in
23 ea † ſermonem, ſicut & in *l. curabit*, de venditione perficienda actuali ſolutione pretij; in qua donec illud actu reddatur, poſtulat æquitatis ratio, vt fructuum rei, quam emptor iam habet, nec dum pretium ſoluit, vſuram, ſeu penſionẽ exhibeat: cùm toto illo tempore tàm ipſorum fructuum, quàm rei fructiferæ dominiũ penès venditorem maneat. Eadem ratione explicandæ ſunt *l. Iulianus, & l. vlt. ff. de fundo dota.* etenim ſi ſola ratione non ſoluti pretij præciperent reddi vſuras, aut intereſſe aliquod, (vt videntur verba illius *l. 2. C. de vſuris*, primo aſpectu inſinuare) iniquum præciperent: cum ratione dilatæ ſolutionis aliquid exigere, vſurarium ſit omnino.

Tertiò

Tertiò obijcitur: Inter vſuras lucratorias (inquit *Couarr.*) &
24 recompenſatorias hoc † intereſt, vt illæ ſint propriæ, & formales vſuræ, quæ omni iure prohibentur: at compenſatoriæ, cum non ſint veræ vſuræ, niſi materialiter tantum, quia habent quamdam rationem lucri, cum tamen re ipſa non ſint lucrum, ſed receptio, & recompenſatio quædam rei ſibi debitæ, licitæ ſunt, & iuſtæ omnium tàm Theologorum, quàm Iuriſperitorum conſenſu. Sed vſuræ, quæ exiguntur ex pretio rei fructiferæ non ſoluto, non ſunt lucratoriæ, ſed compenſatoriæ: redduntur enim in compenſam fructuum, quos percipit emptor rei, cuius pretium nondum ſoluit: ergo non ſunt iniquæ.

25 Ad quod reſpondetur penſionẽ, quæ exigitur † ex re fructifera vendita vel ratione lucri ceſſantis, vel ratione fructuum, quorum emptor non dum dominus eſt; ſed habet ſolum eos donec pretium perſoluat, vt locatos, & conductos, reduci quidem ad vſuras compenſatorias: ſed intereſſe, & penſio, quæ exigitur re fructifera vendita venditione abſoluta, & perfecta, pertinet profectò vel ad vſuras lucratorias, & iniquas, ſi recipiatur, ſicut recipitur, ratione expectatæ ſolutionis: vel certe ad iniquam acceptionem alieni, quod eſt furtum, ſi recipiatur ratione fructuum, cum illi iam non ſint venditoris, ſed emptoris abſoluto, plenoque iure: quare exigitur alienum inuito domino.

Obicij tandem poterit, Per talem venditionem vendi directum dominium fundi, & reſeruari venditori vtile, illius præſertim partis, cuius pretium non accepit: itaut emptor ſtatim fundi dominium directum acquirat, venditor vero habeat ſibi vtile, ac proinde certam aliquam pecuniæ penſionem percipiat iuxta æſtimationem fructuum, quos venditor percepturus fuiſſet.

Reſpondetur primo, in venditione, de qua ſermo eſt in præſenti caſu, certè hoc non fieri: quia fundus abſolute, & ſimpliciter venditur habita fide ſponte emptori de integro pretio tres poſt annos perſoluendo.

26 Secundo dicimus in hoc argumento tangi modum quendam, quo hic contractus licitus, & iuſtus † reddi poteſt: ſcilicet, ſi Antonius accipiat viginti illos aureos, non quidem ratione partis

pretij

pretij non ſoluti, ſed ratione fructuum, quos ſibi reſeruat, non vendit, pro rata pretij non ſoluti, & locat eos Benedicto cum pacto, vt finito termino ſoluendi, factaque integra ſolutione, fiat etiam & fructuum, & impoſitæ penſionis relaxatio. Vt igitur contractus iſte iuſtus reddatur, & ab vſuræ labe remotus, tribus conditionibus appoſitis debet honeſtari.

27 Prima eſt, vt fiat pactum, quod † loco fructuum quos ſibi reſeruare intendit Antonius venditor ex re, quam vendit, pro rata pecunię non ſolutæ, dentur ei à Benedicto emptore viginti illi aurei ſingulis annis, qui tamen non excedant valorem medietatis fructuum communiter percipiendorum. Exempli gratia, ſi poſſeſſio, quam Antonius vendit, conſueuit locari ad plus pro quadraginta aureis annuis, non licebit dicto Antonio venditori pro reliquo pretio accipere ſeptem, vel ſex pro centenario ratione fructuum, donec ſoluantur alij quingenti: quia fructus poſſeſſionis non tanti valent. ſed poterit recipere tantum quatuor pro centenario: quia tanti locantur. aliàs haberetur reſpectus ad ipſam pecuniam creditam, & non ad fructus poſſeſſionis non tanti valentis, & ex conſequenti eſſet vitium vſuræ.

Secunda eſt, vt hoc pactum fiat à contrahentibus in ipſa traditione rei, nempe in ipſa tranſlatione dominij fundi per venditionem, non autem poſt habitam fidem de pretio. Et ratio eſt: quia res ipſa ſic affecta tranſit cum tali onere, id eſt venditur cum illa reſeruatione fructuum. Quod non eſſet, ſi poſt alienationem rei fieret tale pactum: quia iam tranſiſſet in emptorem poſſeſſio libera ſine tali onere, & ſic contractus eſſet fœneratiuus.

Tertia, vt venditor ſubiaceat periculis omnibus, ſi quæ euenerint circa dictos fructus poſſeſſionis venditæ, ratione quorum accipit ipſam penſionem: puta ſi in vno anno glacies, aut grandines fructus deſtruxerint, non debet pro illo anno penſionem exigere, ſed totam relaxare, ſi omnes fructus perierint; vel partem, ſi pars fructuum perierit, pro rata: Quia cum remaneat illorum dominus, oportet vt ſibi pereant.

Tribus itaque his conditionibus interuenientibus contractus erit licitus, & vſuræ labis immunis. Ita ſentit Illuſtriſſimus D. Card.

Card. Paulus de Aretio olim Archiepiſcopus Neapolis vir doctrina, & moribus inſignis, cuius ſententiam refert, & ſequitur *auctor ſummæ coronæ confeſſorum cap.*8. *de vſura circa emptionem & venditionem, quæſito* 11. *in edit. latina*, & *Ludouicus de Beia prima par. reſponſionum, caſu* 19. eamque approbat *Vincentius Giacharus tract. de vendit. rerum fructiferarum ad terminum, verſus finem*; & in eamdem ego quoque hac ratione deducor.

28 Quia accipere † quempiam penſionem ratione ſuorum fructuũ, quos alij locat, habito reſpectu ad illorum valorem, licitum eſt, nec vllo iure prohibitum, cùm ſeruetur æqualitas inter contrahentes: ſed his conditionibus in contractu appoſitis manifeſtum eſt venditorem penſionem prædictam ſic accipere: Nam tunc vendit rem, ſeu proprietatem, non autem omnes proprietatis fructus; ſed in ipſa traditione rei retinet apud ſe pro rata pecuniæ non ſolutæ, & locat emptori pro tali, ac tanta penſione, vſque ad tot annos, cum pacto vendendi tunc ius omne, quando totum pretium ſibi fuerit enumeratum. Dubitandum enim non eſt, quin venditor poſſit ad emptorem transferre directum dominium
29 fundi, ſibi vtili reſeruato: quia hæc duo † in fundo poſſunt diſtingui, & ſeparari. Quemadmodum enim vſusfructus fundi poteſt donari vel vendi Benedicto ab Antonio, itaut Antonius ſui fundi dominium directum retineat: ſic etiam è contrario poteſt Antonius donare, vel vendere Benedicto directum dominium fundi, vtili penes ſe retento: cum ſint res realiter diſtinctæ, vt ait *D.Tho.*22. *q.*78. *ar.*1. *in corp. Vincent. Giacharus l.c. Tabien. ver. vſura. & Sylu.* ſimiliter *ver. vſura* 2. *q.*12. & alij ſummiſtæ: vt patet in cenſibus, & vſufructu, in quibus alterum ſine altero venditur, & emitur.

Nec huic ſententiæ obſtat, ſi dicatur; Non tanti poſſeſſio æſtimatur, cùm ſolum dominium directum venditur, & emitur, quàm quando venditur directum dominium cum vtili. ergo ſi tantum directum dominium poſſeſſionis venditur, & non vtile, ſaltem medietatis eius, non mille aureis, ſed multo minori pretio vendi, & emi debet.

Quoniam conceſſo antecedente, ſcilicet nõ tanti poſſeſſionem æſti-

æſtimari, cum ſolum dominium directum venditur: negatur quod in contractu celebrato ſub forma ſupra præſcripta, nõ ematur fundus minori pretio, quàm ſi directum dominium vnà cum vtili ad emptorem transferretur: non enim tunc emitur mille aureis: quia cum non ſit conſummata, & completa venditio totius fundi, ſed imperfecta, & conſummanda ad tres annos, quando reliquum pretij actu ſoluetur, dimidia pars poſſeſſionis verè, & abſolutè emitur pro aureis quingentis enumeratis, cuius ſolius dominium plenum tranſit ad emptorem; at reliqua pars non propriè, & abſolutè venditur, & emitur: cuius ſignum eſt, quòd eius periculum manet apud venditorem. Emetur autem, quando reſiduum pretij actu perſoluetur, tranſibitque tunc in plenum dominium ementis.

Ex his colligitur in hoc contractu non interuenire venditionem ad creditum propriè loquendo, ſed ſolum venditionem numerata pecunia, poſt terminum tamen faciendam quoad dominium vtile partis poſſeſſionis: tunc enim eius dominium pleno iure in emptorem transferetur.

Neque etiã obſtant argumenta allata in principio; procedunt
30 enim † in caſu, in quo venditor vendit rem, ſeu poſſeſſionem, & fructus, dominium directum vnam cum vtili. Nos vero loquimur in caſu, quo venditor vendit poſſeſsionem, ſed reſeruat ſibi dominium fructuum quoad illam partem pecuniæ, quæ ſibi illicò non ſoluitur, cũ ſponſione vendendi illos pro conuento pretio, quando ſibi fuerit enumeratum, & interim illos emptori locat. Quare

Ad primam rationem, in qua dicitur; De re aliena, vt eſt poſ-
31 ſeſsio actualiter vendita, non licere † fructus percipere, neque penſionem loco eorum. Reſpondetur verum eſſe: ſed in caſu, ſeruatis illis tribus conditionibus accipitur penſio non de re aliena, ſed de ſua, nempe de fructibus non venditis, ſed locatis emptori.

32 Ad ſecundã negatur, quod in † omni emptione, & venditione transferatur dominium omnino rei emptæ, ſi per dominium omnino intelligatur dominium rei directum vna cum vtili; cum oſtenſum ſit ſupra alterum ſine altero vendi poſſe. Et ita contin-

git in

git in contractu venditionis poſſeſsionis cum conditionibus ſupra poſitis,in quo non trãsfertur dominium vtile,& venditor ſubiacet periculis euenientibus circa fructus poſſeſsionis venditæ, vt dictum eſt in tertia conditione.

Ad tertiam concedimus eſſe peccatum vſuræ accipere aliquid ratione dilationis temporis, & expectatæ ſolutionis: ſed in contractu venditionis illis tribus conditionibus velato accipitur penſio ratione locationis fructuum reſeruatorum à venditore, & non ratione dilationis temporis.

33 Eodem modo ſatisfit primæ cõfirmationi;dicimus † enim penſionem à tali venditore exigi ratione fructuum, quos ſibi in venditione poſſeſsionis reſeruauit, & non vendidit, ſed locauit emptori; qui locator ſubiacet periculis omnibus, ſi quæ euenerint circa dictos fructus, vt explicauimus ſupra.

34 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, eam † procedere de emptione, & venditione abſoluta,& conſummata, in qua, ſiue fiat pecunia numerata, ſiue pecunia credita, poſſeſsio tranſit pleno iure in emptorem,& in eius abſolutum dominium:vnde pro illius vſufructu nihil poteſt exigi: atqui in contractu, de quo loquimur, poteſt iuſtè imponi, & exigi penſio ratione fructuum reſeruatorum,ac ipſi emptori locatorum. Et hæc diximus ſalua,&c.

SVMMARIVM.

1 *Emens aliquid bona fide à latrone, quod poſtea ſcit eſſe alienum, ſi id latroni reſtituat, non autem vero domino, vt pretium recuperet,quod non ſit tutus in conſcientia aliqui affirmant. Contrarium alij probabilius n.5.& 15. Intellige vt n.11.& 13.*

2 *Res aliena vero domino reſtitui debet, etiamſi nullo modo pretium recuperari poſſit, & n.3. Contrarium n.6.Intellige vt n.12.*

4 *Forum exterius quando non fundatur in falſa præſumptione, ſemper eſt iuſtum. Intellige vt n.15.*

6 *Conſulendum eſt ſibimet potius, quàm alteri in pari caſu innocentiæ, & n.8.& 14.*

7 *Rem alienam qui non accepit, non tenetur eam cum ſuo detrimento domino reſtituere.*

8 *Depo-*

8 *Depoſitarius poteſt rem apud ſe depoſitam, quam deinde cognoſcat eſſe furtiuam, reſtituere latroni deponenti.*

9 *Emptor bonæ fidei rei furtiuæ, ſi eam reſtituat latroni, non tenetur reſtituere vero domino; & in tali caſu non poteſt illi confeſſarius abſolutionem denegare, & n. 10.*

12 *Alienum reſtituendum eſſe vero domino, quomodo intelligatur.*

15 *Iudex quare poſſit emptorem bonæ fidei cogere ad reſtituendam rem emptam vero domino, & non latroni; licet in conſcientia ſit tutus talis emptor, ſi latroni reſtituat.*

16 *Iuſtitiæ actus eſt reddere rem ei, à quo accepta eſt, & eam in ſuum ſtatum reſtituere.*

17 *L. Qui vas. §. ſi ego tibi ff. de furtis, habet vim tantum in foro exteriori.*

CASVS II.

BASILIVS emit bona fide equum à latrone, quem poſtea ſcit eſſe alienum, & vt pretium pro illo ſolutum recuperet, reddit eum latroni, non vero domino reſtituit. *Quæritur, an ſit tutus in conſcientia, & ſine alia obligatione à confeſſario debeat abſolui.*

Reſpondetur caſum hunc habere graues auctores pro vtraque parte. *Io. Medina C. de rebus reſtituendis q. 10. concl. 2. Sotus lib. 4. de iuſt. & iure q. 7. ar. 2. Couarr. in Regula Peccatum, par. 3. de reſtitut. n. 3. Barthol. Medina lib. 1. inſtruct. c. 14. nu. 13. Graff. 1. p. deciſ. aure. lib. 2. c. 98. n. 50. & Caiet. 22. q. 62. art. 6. & in ſumma*
1 *ver. reſtitutio, cap. 1.* negant † huiuſmodi emptorem eſſe tutum in conſcientia, aſſeruntque teneri ad reſtituendum equum vero domino, etiam cum iactura pretij: probantque hanc opinionem his argumentis.

Tum quia ex *D. Thoma 22. q. 62. ar. 6. in corp. ar. 1.* Res alie-
2 na † quomodocumque ad manus noſtras venit, habens eam tenetur

netur illam vero domino reſtituere:cum ergo emptor habeat rem alienam, tenetur eam legitimo domino reddere, cùm dominium rei non ſit à domino tranſlatum. Erit itaque contra iuſtitiam equum latroni reſtituere.

Secundo, quia ſi latro diſparuiſſet, vt comparere non poſſet, aut mortuus eſſet;tunc qui rem emit, omnium conſenſu deberet
3 eam domino reſtiture, † etiamſi nullo modo pretium recuperare poſſet: ergo etiam tenetur domino reſtituere,ſi latro compareat: quia ob id, quod latro reperiri poſſit, & ſit præſens, idem dominus nullum ius amiſit, nec dominium, vnde per ſe deſumitur reſtitutionis vinculum.

Tertio, quia qui emit equum à latrone, non poteſt alteri vendere, vt pretium ſuum recuperet, poſtquam nouit illum eſſe alienum: cùm nemo iuſtè alienet rem, quam ſcit eſſe alterius. ergo nec latroni reddere poteſt, vt recuperet pretium ab eo; quia latro non habet maius ius in illum,quam quilibet alius;& verus dominus illius idem damnum patitur, ſiue res illa reddatur latroni, ſiue vendatur alteri.

Quarto, quia reddens equum latroni, videtur cooperari cum latrone ad iniuſtam rei alienæ detentionem,& proinde tanquam particeps in crimine tenebitur ad reſtitutionem.

Quinto,quia ſi dominus conueniat emptorẽ coram Iudice explicata rei veritate,compelletur à Iudice equum domino reddere
4 etiam cum iactura pretij: at forum † exterius, quando non fundatur in falſa præſumptione, ſemper eſt iuſtum, & conſonum foro interiori, & obligans ad id,quod homo in conſcientia facere tenetur:ergo id tenetur in conſcientia facere ante condemnationẽ.

Sexto demum,quia reſtitutio eſt iuſtitiæ actus:iuſtitia autem dat vnicuique ſuum.quod non facit,qui non domino reſtituit.

His tamen non obſtantibus pars affirmatiua eſt longè proba-
5 bilior,& mitior, quæ aſſerit poſſe Baſilium emptorem † tuta conſcientia reddere equum latroni, vt pretium ab eo recuperet, nec teneri eum vero domino reſtituere, præſertim ſi alia via pecuniã ſolutam recuperare non poſſit. Hanc partẽ ſuſtinent *Alex.Alenſ.* *4.par.q.86.memb.3. ar.1. Gabr. in 4.diſt.15.q.3. art.3.dub.5.*

Syluest.verbo reſtit.3. quæſt.7.particula 1.*Summa Angelica verbo reſtitut.*1.*verſu emens q.*1.*Nau.in Man.cap.*17.*nu.*9.*D.Ant. par.*1.*tit.*1.*cap.*12.*§.*16.*Petrus Nauar.lib.*3.*de reſt.cap.*4.*dub.*4. *à num.*192.*ad* 203. *Petrus Aragon.* 2. 2. *D.Thom.q.* 62.*art.* 6. *& Michael Salon ibi,ar.6.controuerſ.* 1. vbi etiam teſtatur *Franciſcum Victoriam*, & multos doctiſſimos viros ex recentioribus hanc opinionem tenere. *Ludou.de Beia in reſponſionibus caſuum p.p.caſu* 63.*Ludou.Carbo de reſtit.q.*74.*Ludou.Lopez p.*1.*inſtruct. conſc.cap.*95.*Io.Bapt.Corradus* 1.*p.reſponſorum q.*155.In quam ſententiam ego quoque perducor his rationibus.

Primo, quia cum hic emptor bona fide equum emerit, non eſt dignus, qui pretium à ſe datum amittat; habet enim rem alienam ſine ſua culpa: amitteret autem tale pretium, ſi equum domino, & non latroni reſtitueret.

6 Secundo, quia vnuſquiſque † debet ſibi potius quàm alteri conſulere: ſiquidem charitatis, & iuſtitiæ ordo exigit, vt proprium commodum præferatur alieno. At non ſibi conſuleret, ſi equum domino reſtitueret, cùm à domino non poſſit recuperare pretiũ: conſulit verò reddendo furi, cum rehabeat pretium faciendo actũ iuſtum: ſiquidem dat equum ei, à quo bona fide accepit. quod de ſe non eſt malum, nec ex parte recipientis, nec ex parte dantis. non ex parte recipientis: quia licèt non ſit illius dominus, cùm tamen ipſe principaliter teneatur illum reſtituere, poteſt benè, & ſanctè recipere animo reſtituendi eum domino. non etiam ex parte dantis; quia cùm ille, cui dat, principaliter teneatur eum domino reſtituere, illum reddens iuuat eum, vt reſtituere poſſit; & ita actu ex ſe licito ſibi conſulit. Quod autem fur poſtea non reſtituat, eſt per accidens: & quod eſt per accidens, non eſt ita attendendum; nec ex eo eſt iudicandus actus vitioſus, & conſequenter iſte propriè non cooperatur peccato illius.

7 Tertio, nemo tenetur † rem alienam, quam ipſe non accepit, cum proprio detrimento ſuo domino reſtituere: quia reſtitutio, quæ ſolum obligat ratione rei acceptæ, & non ratione acceptionis, non præcipitur fieri cum magno reſtituentis detrimento. Atqui ſi Baſilius non poſſet reſtituere equum venditori, ſed tenere-

tur

tur reſtituere immediatè domino, pateretur iacturam ſine ſua culpa in pretio, quod ſoluit ex iſta reſtitutione rei alienæ, quam ipſe non accepit: ergo vt vitet hoc damnum, poteſt reſtituere latroni: non enim eſt cuſtos boni alieni. Propoſitio maior patet
8 in re accepta depoſito, vel inuenta. Nam ſi latro † depoſuerit apud me vas argenteum, quod ego deinde cognoſcam eſſe furtiuum, ſi à me illud poſtmodum petat, poſſum illi reſtituere, ſi probabiliter timeam aliàs imminere mihi periculum euidens rerum mearum, vt concedit etiam *Sot. lib. 4. de iuſt. & iure q. 7. ar.* 1. ergo & in caſu propoſito poteſt Baſilius venditori reſtituere: quia in vtroque caſu redditur latroni, ad vitandum proprium detrimentum. Liquet etiam in re inuenta: quia ſi quis rem aliquã inueniſſet, & poſtea ſciret dominũ Bononiæ morari, non teneretur proprijs expenſis illam Bononiam mittere, & reſtituere domino.

Confirmatur, quia emptor non tenetur reſtituere optimo modo ſibi poſſibili, & qui ſit vtiliſſimus domino; maximè ſi id ſine ſuo diſpendio facere non poteſt: ſatis eſt igitur, vt reſtituat, quantum eſt ex ſe, per latronem, à quo rem ipſam accepit: & huius medium eſt reddere rem emptam in illius poteſtate.

Quarto, Baſilius reddendo rem venditori nihil aliud intendit, quàm non habere alienum, & ſuum obtinere: huiuſmodi autem obiectum eſt per ſe bonum, & iuſtitiæ commutatiuæ conſonum, vt ſatis patet: non eſt ergo Baſilius reus peccati, vel reſtitutionis dando rem venditori animo, vt illam reſtituat, & dominus habeat id, quod ſuum eſt, & ipſe recuperet pecuniam, qua emit, & ſic omnia ad æqualitatem redigantur.

Quinto, in pari caſu innocentiæ vnuſquiſque magis ſibi tenetur, quàm alteri: at ſi dominus rem amiſit ſine culpa, æquè etiam prędictus Baſilius emptor ſine vlla prorſus culpa pretium amiſiſſet. Non igitur eſt obligandus, vt pretij iacturam amittat, vt alterum indemnem ſeruet.

9 Tandem Baſilius poſtquam † reddidit equum venditori latroni, non tenetur reſtituere domino ratione rei acceptæ: quia iam eum non habet. nec ratione iniquæ acceptionis: quia quando emit, bona fide emit; & quando reſcindit venditionem, bona fide

reſcindit, exiſtimans id ſibi licere; quod prudenter potuit exiſtimare, cum hic caſus ſit controuerſus, & difficilis inter ipſoſmet Doctores tam Theologos, quam iuriſperitos: nec fideles tenentur huiuſmodi ſubtilitates habere perſpectas, & cognitas. Quare non tenetur ad aliquid reſtituendum vero domino: quia qui bona fide reſcindit iſtam venditionem latronis, perinde ſe habet, ac ſi in ipſo actu venditionis, & antequam fuiſſet conſummatus, illũ reſcidiſſet: qui autem contractum venditionis ipſo tempore contractus antequã eſſet conſummatus, reſcinderet, poſſet rem illam venditori reſtituere, & pretium, quod pro illa dabat, ſibi retinere. Accedit, quod contractus iſte cum latrone factus, ipſo iure fuit nullus, & inualidus, & in iniuriam emptoris factus. eo quod latro dominium rei in emptorem transferre non potuit: ergo nec emptor pretium datum tranſtulit in latronem: ergo poterit iuſtè pretium datum repetere, quandoquidem illius pretij dominium à ſe non abdicauit, & ſic ſeipſum à propria iniuria liberare; quod vnicuique licet, maximè quando contractus, per quem illam patitur, nullus eſt, vt inductione omnium contractuum, qui ab hominibus exercentur, apertiſſimum eſt.

Quòd ſi dixeris, fuit iſta venditio in iniuriam domini: ergo non eſt reſcindenda cum latrone, ſed res ipſa ſuo domino reſtituenda. Equidem fateor fuiſſe venditionem in iniuriam domini, ſed ſine culpa emptoris, qui bona fide emit: & ideo cùm ipſe iniuriam quoque patiatur, non tenetur potius dominum rei ab iniuria, quam patitur à latrone liberare, quam ſe: immo contra.

Ex his colligitur non poſſe confeſſarium primam tenentem
10 opinionem negare abſolutionem † pœnitenti, qui hanc ſecundam ſequitur ſententiam, vt docent *Salon vbi ſupra concluſ. 2. & Sayrus lib. 10. tract. 2. cap. 2. nu. 17. Clauis Regiæ,* qui etiam hanc ſecundam ſententiam & veriorem, & æquiorem eſſe cenſet: cui ſi duæ limitationes addantur, facile eſt argumentis pro parte
11 negante allatis reſpondere. Prima eſt, quod † emptor aliter, quàm reddendo equum latroni, pretium à ſe datum recuperare non poſſit. Nam ſi commodè poteſt vtrumque, ſcilicet equum

domino

dominò reſtituere, & pretium à latrone accipere, conueniendo eum apud Iudicem, aut alio modo accommodato; proculdubio id erit faciendum: cùm tunc nulla ſit iuſta excuſatio, quominus equum vero domino reſtituat: niſi forte veriſimiliter conſtaret equum à latrone reſtituendum eſſe domino. Secunda limitatio eſt, quod intelligatur hæc ſententia, quando eſt ſpes recuperandi pretium à latrone: Nam ſi latro totaliter diſparuiſſet, reſtituendus eſſet equus vero domino, nec pretium ab eo peti poſſet.

12 Ad primum igitur reſpondetur, rem alienam † reſtituendam eſſe quocumque modo ad manus noſtras venerit, quando ſine æquali damno proprio reſtitui poteſt. ſic enim intelligendus eſt *D. Thom. loco cit.* vt conſtat ex ijs, quæ ipſemet docuit ar. præcedenti. In hoc autem caſu, ſi emptor bonæ fidei non poſſet reſcindere contractum venditionis cum latrone, teneretur reſtituere cum damno proprio.

Vel dicendum: Qui habet rem alienam, quam emit à latrone, teneri quidem reſtituere eam vero domino, non tamen immediatè, ſed prout commodè poterit, ne ipſe detrimentum patiatur. Satis itaque erit, quod quantum eſt ex ſe reſtituat latroni, admonendo ipſum, vt reſtituat eum domino.

Ad ſecundum conceſſo antecedente negatur conſequentia. & ratio diſcriminis eſt; quia quando latro non comparet, aut mortuus eſt, nullus alius modus reſtituendi relictus eſt, quam rem domino immediatè tradere: nec emptor ſpem habere poteſt re-
13 cuperandi pretium datum: vnde nulla † extat excuſatio non reddendi domino rem. at vero quando latro præſens eſt, & ſpes eſt recuperandi pretium datum, & reſcindendi contractum, & res vero domino à latrone ipſo reſtitui poteſt.

Dicitur ſecundo plurimum referre, ſit ne latro præſens, vel omnino abſens, aut mortuus: quia quando latro eſt præſens, habet ius ad rem illam recuperandam, & ius petendi, non vt apud ſe retineat, ſed vt reſtituat ſuo domino, cum principaliter teneatur reſtitutionem facere: & emptor ſimiliter habet ius ad poſtulandum illam venditionem reſcindi, vt nullam, & inualidam in iniuriam ipſius emptoris factam. Quando vero fur omnino ab-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſens eſt, aut mortuus, ceſſant hæc iura, & ita tunc tenetur ſuo domino reſtituere. Et licèt dominus ex præſentia furis nullum ius
14 amiſerit; retinet tamen ius ſuum emptor: & in pari caſu † innocentiæ vnuſquiſque magis ſibi, quam alteri conſulere poteſt.

Ad tertium negatur ſimiliter conſequentia: longè enim diuerſa ratio eſt in caſu antecedentis, & conſequentis: quia reddere rem latroni, à quo illam accepit, eſt medium per ſe ordinatū tum ad ſeruandum ipſum emptorem indemnem, tum ad reſtituēdum domino; cum ipſemet latro, qui principaliter obligatus eſt ad reſtitutionem, poſſit poſtea, & teneatur reſtituere rem domino: immo latro habet ius ad reſcindendum contractum, & poſtulandi, vt reſtituatur in ſuum priſtinum ſtatum, vt hac ratione domino rem ſuam poſſit reſtituere. At verò alteri vendere non eſt medium ordinatum per ſe ad reſtituendum domino, ſed potius ad detentionem rei contra domini voluntatem: neque ex tali ſecunda venditione ſeruatur primus emptor indemnis, vt conſtat: cum ſecundus emptor pretium illi datum poſſit repetere. Negatur itaque conſequentia, & quod latro non habeat maius ius, quàm ſecundus emptor. & quamuis dominus patiatur idem damnum, tamen in caſu antecedentis eſt ſine culpa emptoris, qui ne patiatur æquale detrimentum, in pari caſu innocentiæ ius habet magis ſibi prouidendi, quàm domino rei.

Ad quartum negatur aſſumptum, ſcilicet, quod reddens equum latroni cooperetur ad peccandum: immò facit actum licitum, & iuſtum, vt oſtenſum eſt ſupra: quia non dat equum latroni venditori, vt eum retineat, ſed vt pretium datum recuperet, & vt ille reſtituat, & exeat à peccato; & ſic potius illi ad bonum, quam ad malum cooperatur, vt ait ſcitè *Nau. vbi ſupra*. Si poſtea latro equum non reſtituat, id eius malitiæ imputandum eſt, non autem emptori, qui vtitur iure ſuo, & reponit rem in eo ſtatu, in quo antea erat, nempe in manu latronis, ne pretium illi datum amittat. Nec dominus rationabiliter inuiſus eſſe poteſt, cum emptor nihil contra eum peccauerit: accipiendo, & reſtituendo ſuæ propriæ conſulit vtilitati.

15 Ad quintū reſpondetur, ideo iudex † coget emptorem ad reſtitutio-

ſtitutionem: quia in foro exteriori præſumitur malitioſè reddidiſſe equum latroni, & velle occultare latronem, ac conuentionem illam cum eo eſſe dolum, & fraudem, & ideo in pœnam cogetur pretium ſoluere: cùm tamen in foro conſcientiæ, in quo pœna hæc ante iudicis condemnationem non debetur, aliter ſit dicendum; ceſſant enim in eo præſumptiones, & ſola rei veritas attenditur.

Dicitur ſecundo, quod alia eſt ratio ſententiæ iudicis: alia verò emptoris bonæ fidei. Iudex enim rectè ita iudicat, quia ad ipſum non pertinet vitare damna, ſed tantum curare, vt ſuum cuiq. reddatur: emptori verò licet potius damnum ſuum proprium vitare, cum bona fide emerit, quàm damnum proximi; & ſuæ potius, quam alterius vtilitati conſulere. Quamuis igitur demus forum exterius eſſe iuſtum, tamen negamus emptorem ante ſententiam iudicis teneri ad id, quod iudex ſua ſententia diffiniret, licèt iuſta.

Ad vltimum reſpondetur concedendo, quod reſtitutio ſit actus
16 iuſtitiæ. Sed iuſtitiæ actus etiam eſt † reddere rem ei, à quo accepiſti, & eam in ſuum ſtatum reſtituere, vt poſsit poſtea ille qui principaliter tenetur, rem ſuo domino reſtituere.

Neque huic reſponſioni obſtat auctoritas *legis, qui vas, §. ſi ego tibi, ff de furtis*, ex qua apertè colligitur eum appellari furem, qui rem alienam contrectauerit, licèt eam furto non acceperit. fur autem domino reſtituere debet, non alteri furi, qui fortaſſe non reſtituet.

17 Quia reſpondetur legem illam habere † vim in foro exteriori, in quo iſte pro fure habetur: tamen cùm ex ſe nullam inducat inæqualitatem, non debet pro fure haberi.

Quod de latrone diſputatum eſt, intelligi etiam debet ſuo modo de omnibus alijs, à quibus contractu oneroſo res accipitur, cuius non ſunt domini; vt eſt filius familias, monacus, ſeruus. Et idem dicitur quoad reſciſsionem contractus venditionis, de pupillo, & de habente bona vinculata, & impedita, quæ deinde talia eſſe nouit qui bona fide emit: poteſt enim adire venditorem, & reſcindere contractum, & pretium ſolutum recuperare.

SVMMARIVM.

1 *In neceſſitatis articulo poteſt quilibet etiam laicus ſacramentum baptiſmi conferre: immo tenetur etiam cum periculo propriæ vitæ, & n.2.& 8. contrarium, n.10.& 13. Intellige vt n.11.*

3 *Vnuſquiſque tenetur ordine charitatis plus diligere proximum quantum ad ſalutem animæ, quàm proprium corpus.*

4 *Conſociatio in plena participatione beatitudinis eſt ratio diligendi proximum.*

5 *Participatio beatitudinis per redundantiam eſt ratio diligendi corpus.*

6 *Ignobilius pro nobiliori exponi debet ſecundum rectam rationem.*

7 *Chriſtus ita nos dilexit, vt expoſuerit vitam pro noſtra ſpirituali ſalute.*

8 *In aliquo caſu temporalem vitam ponere tenemur pro ſpirituali proximi.*

9 *Quilibet fidelis tenetur fidem, & honorem Chriſtianæ religionis defendere.*

12 *Iugum Domini ſuaue, Matth. 11. quomodo intelligatur.*

CASVS III.

INFANS quidam eſt morti vicinus, quia peſte laborat, aut alia incurabili infirmitate abſque ſpe viuendi: cumque baptiſmo indigeat, nec aliquis poſſit ei ſacramentum conferre ſine periculo propriæ vitæ, vel propter morbum contagioſum, vel propter Tyrannum mortem baptizanti minantem; *Quæritur, an cum tanto periculo teneatur quilibet ei ſuccurrere, ipſumque baptizare.*

Reſpondetur in præſenti caſu vnum ſupponi, & alterum quæri:
1 ſupponitur enim in neceſſitatis articulo, † puta quando imminet peri-

periculum mortis, & abeſt presbyter, cuius proprium munus eſt baptizare; *cap. conſtat. de conſecr. diſt.* 4. vel ſi adeſt negligit, poſſe quemcumque etiam laicum baptiſmi ſacramentum conferre: ne ſine remedio ſalutari quiſpiam de ſeculo euocetur. quod patet per text. in *c. in neceſſitate. c. Romanus. c. ſanctum. c. à quodam, cum ſimilibus. de conſecr. diſt.* 4. *& c. Ad limina*. 30. *q*. 1.

Dixi, vel ſi adeſt negligit: quia licet adſit, qui congruentius ratione dignitatis perſonæ baptizare poſſit, vt eſt Parochus, Diaconus, vel tonſuratus: ſi tamen laicus videt eos negligentes eſſe, tunc ipſe tenetur. Quemadmodum cum quis videt hominem grauem pati neceſſitatem, quamuis ſint parentes, & cognati, qui ſubuenire poſſint miſeriæ hominis, videt tamen eos non facere, tunc ipſe tenetur. Quæritur verò, an in tali neceſsitate tenea-
2 tur † fidelis cum tanto vitæ periculo ei ſuccurrere, ſacramẽtumq. baptiſmi conferre.

3 Ad quod reſpondetur affirmatiuè: Quia vnuſquiſque † ordine charitatis tenetur plus diligere proximum, quantum ad ſalutem animæ, quam proprium corpus, vt docet *D. P. Aug. lib.* 1. *de doctr. chriſtiana cap.* 27. *& D. Ambroſ. lib.* 1. *de officijs cap.* 30. *& Magiſt.* 3. *ſent. diſt.* 29. *& D. Thomas* 22. *q.* 26. *art.* 5.

Et ratio eſt; Quia illud magis ex charitate diligendum eſt,
4 quod habet maiorem rationem diligibilis: conſociatio † autem in plena participatione beatitudinis, quæ eſt ratio diligendi pro-
5 ximum, eſt maior ratio diligendi, quàm participatio † beatitudinis per redundantiam, quæ eſt ratio diligendi proprium corpus. ergo magis tenemur diligere proximum ex charitate, quàm proprium corpus. Sed pro ſalute magis diligibilis, ſi aliud ſuffragium dari non poteſt, exponendum eſt quod eſt minus diligibile: quia
6 ſecundum rectam rationem ignobilius † pro nobiliori exponi debet: vnde ipſa natura docet ad defenſionem capitis brachium exponere: ergo & propriũ corpus pro vita ſpirituali proximi. Quare timore mortis ſiue naturalis, ſiue violentæ nemo prætermittere debet collationem baptiſmi, quando æterna vita proximi periclitatur, niſi ſacri baptiſmatis vnda lauetur, vt in caſu noſtro.

Et confirmatur ex illo *Ioan. cap.* 15. *Hoc eſt præceptum meum, vt di-*

7 *vt diligatis inuicem*, *ſicut ego dilexi vos*: ſed † Chriſtus ita nos dilexit, vt expoſuerit vitam pro ſalute noſtra ſpirituali.ergo tantumdem nos debemus facere pro ſalute ſpirituali proximi.

8 Præterea, nos † tenemur in aliquo caſu ponere vitam temporalem pro ſpirituali proximi, vt communiter dicunt doctores, & colligitur ex illo 1.*Io.c.3. In hoc cognoſcimus charitatem Dei, quoniā ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*, hoc eſt vitas: ſed nunquam poteſt hoc fieri conuenientius, quàm cum proximus eſt in extrema neceſſitate. ergo cum infans de quo in caſu, ſit in extrema neceſſitate baptiſmi, debet quiſque eum baptizare etiam cum vitæ diſcrimine, ſiue ſit periculum mortis naturalis, ſiue violentæ. Immo ſi immineat periculum mortis inferendæ à Tyranno prohibente baptizare,

9 probatur etiam hac peculiari ratione: Quia † quilibet fidelis tenetur defendere fidem, & honorem chriſtianæ religionis: ſed vix poſſet fidelis prætermittere huiuſmodi collationem baptiſmi propter huiuſmodi timorem ſine magno ſcandalo, & infamia religionis. ergo vt religionis infamiam vitet, eiuſque honorem tueatur, tenetur vitam effundere. Hæc eſt ſententia *Petri de Aragon. in 22. D.Thomæ q.26. ar.4. in explicatione ar. q.ſua 2.conc.3.& q.33.ar.2.§.ſed eſt dubium grauiſſimum, in probatione 2.concl. Armillæ verbo homicidium*, §. 7. *Bañes 22.q. 26.ar.5.concl.2.Suarez in 3.par. D.Tho. q.71. ar.4.ſect.3.Lopez in inſtructorio 1.p. cap.67.Corradi in ſuis reſponſis par.2.q.59.*

Nec huic ſententiæ obſtat argumentum *Soti lib. de ratione tegendi ſecretum, mem.2.q.2.* vbi pro probatione ſuæ 6.concl.aſſu-

10 mit quòd ſecundum Doctores nemo † obligatur baptizare puerum cum periculo propriæ vitæ, ſaltem quando periculum eſt ab extrinſeco, puta ex malitia Tyranni prohibentis me baptizare puerum. Et confirmat, quia iugum Domini ſuaue eſt, *Matt.11.* qui non obligat nos ad opera difficillima. vnde inferre vult, à fortiori, nos non teneri cum tanto periculo fratrem corrigere: nam maior eſt neceſſitas puero baptiſmi, quàm adulto correctionis.

11 Reſpondetur enim verum eſſe aſſumptum † extra caſum neceſſitatis ſpiritualis extremæ: quia tunc ſi omittit baptizare, non

antepo-

Digitized by Google

anteponit vitam temporalem propriam vitæ ſpirituali alterius: cum non ſit illi ſimpliciter neceſſaria.

12 Et ad confirmationem dicitur, quòd † obſeruatio ordinis charitatis non reddit iugum Domini inſuaue, & difficillimum: quia amanti nihil difficile, & graue. nam qui amat, non laborat, inquit *D. P. Auguſt. lib.* 18. *confeſſ. & D. Chryſoſt. ſuper illud Sic Deus dilexit mundum*, ait, *Amor vbi eſt, labor non eſt.* & *Apoſt.* 1. *Cor.* 13. *Charitas omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.*

13 Et ſi quis inſtet, quòd † ad opera charitatis, vt eſt collatio ſacramenti baptiſmatis, nemo tenetur cum detrimento vitæ.

Reſpondetur falſum eſſe in caſu neceſſitatis ſpiritualis extremę, quia tunc debemus pro fratribus animas ponere, quicquid ſit in alijs caſibus. Neque Sotus, ſi eius dicta benè expendantur, aduerſatur huic ſententiæ: cum apertè concedat loco citato, & in reſponſione ad dubium poſt 7. concluſionem, quod quando vita corporalis priuati hominis eſt ſimpliciter neceſſaria ſaluti ſpirituali hominis, tunc tenetur ille eam exponere. quamuis *Lopez, & Corradus vbi ſupra* exiſtiment ipſum contra tenere.

SVMMARIVM.

1 *Datio, & acceptio illicita, ſeu turpis, tribus modis contingere poteſt.*

2 *Nemo expoliandus eſt re ſua, niſi per Iudicis ſententiam.*

3 *Aliud eſt, quempiam eſſe dignum priuari, & aliud ipſo facto priuatum eſſe.*

4 *Donatio ob cauſam, cauſa non ſubſiſtente, eſt inualida.*

5 *Datum ne maleficium fiat, an reſtituendum ſit in conſcientia nulla expectata ſententia Iudicis, aut repetitione dantis. Partem negantem probant Sotus, & Nau. n. 6. 7. 8. & 9.*

10 *Verior eſt ſententia affirmans ſtatim ante omnem repetitionem ſic accipientem debere reſtituere danti.*

11 *Res, quæ gratis omitti, vel fieri debet, nec habet pretium, nec eſt pretio æſtimabilis quoad contractus humanos. & n. 16.*

12 *Accipiens aliquid pro homicidio omittendo agit contra iuſtitiam commutatiuam.*

13 *Mu-*

Digitized by Google

13 *Mutuator ad reſtituendum vſurarium lucrum obligatur: quia illud, vt pretium eius, quod tenebatur præſtare gratis, accepit.*

14 *Inuoluntarie datur, quod pro re gratis debita omittenda, vel facienda datur; & n.17.*

15 *L.Vt puta, ff. de condict. ob turpem cauſam, quare ſolius repetitionis meminit.*

18 *Dans ob maleficium dimittendum non ſolum habet ius repetendi, ſed etiam ius ad rem, retinetq. dominium.*

19 *Quamuis hæc ſententia Auctoris communior, & probabilior ſit: qui tamen ſequi voluerit opinionem Soti, & Nauarri, non eſt ei deneganda abſolutio.*

CASVS IV.

CAESAR dat cuidam ſicario triginta aureos, vt Æmilium necet. quod prænoſcens quidam Æmilij cognatus, & non valens hunc à tali perpetrando homicidio neque verbis, neque precibus abducere, dat ei quinquaginta, vt ab illo deſiſtat, qui accepta pecunia mutat conſilium, & abſtinet ab opere. *Quæritur, an tota hæc pecunia à ſicario accepta ſit reſtitutioni obnoxia: & quid confeſſor debeat huic pænitenti iniungere.*

In hoc caſu duo quærũtur, quæ pertinent ad quæſtionem illam ſatis ob varias Doctorum opiniones difficilẽ, de datis, & acceptis ob turpem cauſam. Quorum primum eſt, an ſicarius teneatut reſtituere pretium acceptum à Cæſare pro homicidio perpetrãdo: alterum verò, an teneatur reſtituere pecuniam, quam accepit, vt à dicto homicidio abſtineat, & hoc in foro conſcientiæ, hoc eſt ante iudicis condemnationem.

Pro quorum intelligentia obſeruandũ eſt cum *Salone 22.q.62. ar.5.controu.3. Sayro lib.10. clauis Regiæ, tract.5.cap.4.nu.4.&*
1 *Lopez p.p.Inſtructorij cap.160. in captis initio* dationem † eſſe illicitam

licitam, ſeu turpem, tribus modis contingere poſſe. Vno modo datio poteſt eſſe mala ex parte ſolius recipientis: vt quando datur alicui pecunia, vt abſtineat à malo, à quo tenetur abſtinere, puta ab homicidio, à ſacrilegio: vel vt exerceat id, ad quod tenetur; vt iudici, vt ſeruet iuſtitiam; teſti, vt verum dicat; tabellioni, vt fideliter ſcribat. In his caſibus datio eſt illicita, & turpis, non ex parte dantis: quia is bono fine pecuniam dat, & bonum intendit: ſed ex parte recipientis: quia accipit pro re, ad quam aliàs, & ſine vlla pecunia tenetur.

Secundo modo poteſt eſſe illicita ex parte vtriuſque, ſcilicet tam dantis, quam recipientis: vt cum tam dans, quam recipiens malum finem intendunt. Quod poteſt adhuc bifariam contingere: quia vel res, pro qua pretium accipitur, eſt in iniuriam, & damnum proximi, vt cum dantur iudici, vel teſti munera, vt corrumpantur; vel aſſaſſino, vt occidat aliquem. Vel res, pro qua fit donatio, non eſt in alicuius iniuriam, & damnum; eſt tamen res nullo pretio æſtimabilis, vt in ſimonia contingit. Petrus eſt dignus beneficio, dat Epiſcopo pecuniam: hæc datio nulli eſt nociua, nec contra alicuius iuſtitiam; eſt tamen iniqua: quia dat pro re, quæ nullo pretio eſt æſtimabilis, ſed gratis iure diuino conferenda. Præterea cum datio, & acceptio ex vtraque parte tam dantis, quam accipientis ſit contra iuſtitiam, adhuc dupliciter poteſt conſiderari: quia aut cauſa, ob quam res erat donata, poſtmodum ſubſecuta eſt, vt ſi ſubſecutum eſt homicidium, ſacrilegium, ſententia iniuſta, &c. vel non eſt ſubſecuta, & impleta, vt in caſu noſtro. His prænotatis,

Reſpondeo ad caſum, Sicarium teneri ad reſtituendum ſtatim triginta illos aureos Cæſari; nec non alios quinquaginta cognato Aemilij, nulla expectata ſententia iudicis, aut repetitione dantis. Hæc vltima verba addita ſunt; quia ſi dans repetat, & iudex ferat ſententiam, obligabitur ſententia iudicis: de hoc enim non eſt aliqua dubitatio.

2 Prima pars probatur. Tum quia nemo † expoliandus eſt re ſua, niſi per iudicis ſententiam. ergo Cæſar poteſt in conſcientia pecuniam datam rehabere, & recipere à ſicario: quamuis illi negetur

getur actio & repetitio in iudicio; quia turpiter dedit. Et ſi poteſt Cæſar in conſcientia rehabere, tenetur ſicarius ei reſtituere.

Confirmatur, Quia licèt Cæſar dignus ſit, vt re ſua priuetur, non tamen ideo eſt priuatus, quouſque per iudicem condemne-
3 tur, ſecundum *Gloſ. c. fraternitas* 12. *q*. 2. Aliud † enim eſt, hominem eſſe dignum priuari; & aliud ipſo facto priuatum eſſe, vt conſtat ex illo celebri dicto *D.P.Aug. Peccator non eſt dignus pane quo veſcitur*.

4 Tum quia Cæſar non donauit † niſi ob cauſam illam principaliter: ergo cauſa illa non ſubſiſtente non abdicauit à ſe rei illius dominium. ergo eſt ſibi debita, & in conſcientia reddenda eſt. Et in hac parte conueniunt omnes ferè Doctores: *Io. Medina C. de reſtitut. q. 2. dub. 2. concl. 4. & q. 20. in impugnatione primæ ſententiæ. Cordub. lib. 1. q. 32. Petrus de Aragon. in 22. D. Tho. q. 62. ar. 5. in reſponſ. ad 2. conc. 7. Sayrus in ſua claui regia li. 10. tract. 5. cap. 3. n. 18. Petrus Nau. li. 4. de reſtitut. c. 2. dub. 12. n. 144. Mart. Nau. in Man. cap. 17. n. 30. verſu, quanto, Ludou. Lopez in ſuo inſtruct. p. p. cap. 107. q. 1. & Azor. 3. p. inſt. li. 4. cap. 31.*

5 Secunda vero pars, an ſcilicet † teneatur ſicarius reſtituere alios quinquaginta aureos in conſcientia ante repetitionem, eſt controuerſa inter Doctores: Nam *Sotus lib. 4. de iuſt. & iure q. 7. art. 1. ad 2. Nau. in Man. cap. 17. n. 34. Tolet. in inſtruct. ſacerdotum lib. 5. cap. 21. n. 3. Ludou. Lopez p. p. cap. 106. ſui inſtructorij, & Ludou. de Beia p. p. reſponſ. caſu* 31. opinantur ſic accipientem, quamuis peccet mortaliter, quod certum eſt, non teneri ad reſtituendum illos in conſcientia, niſi alter repetat: Quod probant:

6 Tum quia lex † non prohibet tranſlationem dominij rei datæ, ne maleficium fiat, ſed tantum concedit conditionem, quæ eſt actio perſonalis, ideſt repetitionem in iudicio, idque in odium criminis illius, ne homines iniurias, quas in alios meditantur pretio vendant; vt liquet *l. vt puta, ff. de condict. ob turp. cauſ.* Ergo quouſque cognatus Aemilij non repetat, erunt illi quinquaginta aurei ſicarij. Conſequentia deducitur: quia ſi recipiens ipſo facto teneretur reſtituere, lex non ſolum daret repetitionem contra accipientem, verum obligaret ipſum tanquã inhabilem ad recipiendum,

dum, ad ſtatim reſtituendum; quod non facit.

Tum quia etſi ſicarius tenebatur gratis abſtinere ab homici-
7 dio lege Dei, & naturæ; quia tamen † non tenetur abſtinere in gratiam,& obſequiũ cognati Aemilij: & hæc gratia,& obſequium eſt prætio æſtimabile, cum ſit actio grata, & vtilis danti, conſequenter poteſt iure naturæ pro tali gratia, & pro ſua illa mala voluntate, cui renuntiauit pretium accipere,& retinere,donec dans illud repetat, & iudex reſtituere præcipiat.

8 Tum quia qui † hac de cauſa aliquid alteri dat, liberè illi dat; neque eſt aliqua lex,quæ prohibeat talem donationem. eſt ergo eius qui illud accepit, donec iudex præcipiat reſtitui.

9 Tum denique,quia † quoties alicui datur repetitio,nec repetit, videtur renunciare iuri ſuo, gratiſq. omnino donare: & qui habet, poteſt illud tuta conſcientia retinere ex quodam dantis conſenſu.

Sed his minimè obſtantibus ſtamus in noſtra reſponſione, quæ eſt & *Adrian.q.16.de reſtit.Ioan.Med.C.de reſt.q.25. ad 3.Petri Nau.lib.4.de reſt.cap.2.dub.12.num.98. Greg. de Valent.tom.3. diſput.5.q.6.punct.5.§. Quid nam ſit reſtituendum, dub.4.Ludou. Molinæ tom.1.de iuſt.tract.2.diſp.88. Mich.Salon.in 22. D.Tho. q.62. art.5. controuerſia 3.concl.3. Dominici Bañes ibidem ar.4. conc.2.* vbi ait eſſe ſentẽtiam omnium ferè Doctorum. *Ioſeph Angles in florib.4.ſent.p.2.q. cui facienda ſit reſtitutio. diffic.12. & Sayr.in ſua claui regia lib.10. tract.5.cap.3.n.8. & 9.* hi enim re-
10 ctius docent, † ſtatim, & ex natura rei, & ex ratione iniquæ acceptionis ante omnem repetitionem ſic accipientem reſtituere debere danti.Quæ ſentẽtia probatur his potiſſimum argumentis.

Tum quia pretium acceptum pro re gratis debita, & dimittenda, & facienda, reſtituendum eſt neceſſario ipſo facto ex natura
11 rei: nam res † eo ipſo quod gratis omitti, vel fieri debet, nec habet pretium, nec eſt pretio æſtimabilis quoad cõtractus humanos, etiam ſi ſecundum ſe ſumpta poſſet pretio æſtimari. Sed pretium, quod accepit ſicarius, acceptum fuit pro re gratis dimittenda: tenebatur enim illam ex iuſtitia dimittere. ergo tale pretium ab eo reſtituendũ eſt neceſſario ipſo facto ex natura rei.

Tum

12 Tum quia ſic acceptum † vere cõtra iuſtitiam commutatiuam accipitur : nam propter hoc dans habet minus , quam debet habere : quia cum ſic accipiens deberet gratis, & ex iuſtitia homicidiũ omittere,qui ob id illi aliquid dat,dat quod re vera non debebat illi dare:& ſic habet minus, quã deberet habere;& cõſequenter recipiens ſimpliciter,& ex natura rei illud tenetur reſtituere .

13 Tum quia tota ratio, ob quam obligatur † vſurarius ad reſtituendum lucrum vſurarium,eſt hæc,quia accepit illud vt pretium eius, quod tenebatur gratis præſtare,dicẽte Domino *Luc.6. Mutuum date nihil inde ſperantes*:cũ tamen non teneretur ex iuſtitia mutuare.ergo multo magis in caſu noſtro ad reſtitutionem tenebitur ; cum ex iuſtitia teneatur gratis illud homicidium ſicarius omittere .

14 Tum demum,quia ſic acceptum inuoluntarie † datur, & cum quadam coactione , & veluti ad redimendum vexationem ſuam: non enim daretur, ſi alter , vt deberet , gratis illud maleficium omittere voluiſſet.ergo debet reſtitui ſtatim ante repetitionem: non enim dans abſtulit à ſe dominium rei datæ , & ille cui dedit , non potuit recipere, nec valet retinere .

Obiectis autem à Soto ac eum ſequentibus ſatisfacientes ,

Ad primum ſumptum ex *l. vt puta , ff. de condict. ob turpem*
15 *cauſam* . Dicimus primo , non eſſe mirum, ſi lex ciuilis † ſolius meminit repetitionis : quia tantum conſiderat actus extremos , & forum iudiciale , in quo facienda eſt repetitio : non autem forum interius , ad quod pertinet obligatio reſtituendi . Quare negatur conſequentia cum ſua probatione : neque enim lex ciuilis conſiderare ſolet rationem obligationis reſtitutionis adeò exactè, & expreſſe .

Reſpondetur ſecundo,Nos nõ probare noſtram opinionem ex vi legum ciuilium ; ſed ex natura rei , & ſtando in iure naturali : quo iure certum eſt ſic acceptum pro re ex iuſtitia gratis omittẽda, vel facienda, inæqualitatem in ſe continere:vnde conſequenter iure naturæ reſtitutioni obnoxium eſt .

Ad ſecundum reſpondetur negatione conſequentiæ: quia quãuis actiones illæ in genere , & in eſſe naturæ ſint pretio æſtimabi-

.les ,

Digitized by Google

16 les, & vtiles : quia tamen debentur ex iuſtitia, † in genere moris, & quoad contractus humanos nullum pretium habere poſſunt.

17 Ad tertium reſpondetur negando, † quod qui hac de cauſa alteri aliquid dat, det voluntariè, & liberè ſimpliciter, & omnino; immò dicimus illum dare cum quadam coactione, & veluti ad redimendam vexationem proximi : quia alter non vult gratis illud maleficium omittere, ſicut deberet.

18 Ad vltimum negatur illatio: quoniam dans † non ſolum habet ius repetendi, ſed etiam ius ad rem; retinet enim dominium, vnde naſcitur vinculum reſtitutionis. Quare non ſequitur, ſi non repetit, renuntiat iuri ſuo : ſicut neque ſequitur, mutuatarius non repetit pecuniam à fœneratore, igitur non tenetur fœnerator eam reſtituere.

Confeſſarius autem debet ſicario pœnitenti conſulere iuxta hanc ſententiam, vt reſtituat danti etiam quinquaginta aureos pro omiſſione homicidij acceptos : ſed non ſub præcepto impo-
19 nere : immo ſi penitens † velit opinionem *Soti, Nauarri, ac Ludouici de Beia* ſequi; & ea ſe tueri, non eſt neganda ei abſolutio : præſertim ſi adeo indigens ſit, vt non facile ſit ei reſtituere; & qui ei dedit, extra iudicium, vel in iudicio non repetit : quoniam hæc res eſt moralis, in qua multi doctores rem faciunt probabilē.

SVMMARIVM.

1 *Damnum emergens quod ſit.*

2 *Lucrum ceſſans quale dicatur.*

3 *Surripiens pecuniam furtiuam debet eam reſtituere non furi, ſed domino vna cum intereſſe.*

4 *Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quæ dat cuique ſuum.*

5 *Prædonem etiam ſecundum rigorem iuris eſſe poſſeſſioni reſtituendum, de quo intelligatur, n.6.*

7 *Debitor, qui eſt in mora, tenetur ratione moræ ſoluere intereſſe.*

8 *Fur, & quilibet poſſeſſor malæ fidei ſemper eſt in mora reſtituendi.*

9 *Damnum alteri dare idem eſt, quod quippiam ei auferre.*

10 *Lucrum ceſſans non eſt reſtituendum in integrum.*

11 *Nobiles,qui multis annis inuitis mercatoribus pecuniam detinent, qua multa alia bona lucrari poſſent, & peccant, & ad lucri ceſſantis reſtitutionem tenentur.*

12 *Lucrum pecunia aliena acquiſitum non eſt reſtitutioni obnoxium, & n.13.& 16.*

14 *Pecunia furtiua eſt materia induſtria, non cauſa effectrix lucri.*

15 *Induſtria eſt cauſa principalis lucri, pecunia verò inſtrumentalis.*

CASVS V.

DIONYSIVS ſurripit centum aureos Domitio, quos negociationi exponens, ſuperlucratur quinquaginta ſpatio vnius anni: exinde noſcit illos centum fuiſſe furto ablatos cuidam mercatori. *Quaritur cui, & quantum dictus Dionyſius reſtituere teneatur, quiduè conſulere ei debeat confeſſarius.*

Hic caſus tres difficultates tangit: vna eſt circa perſonam, cui debet fieri reſtitutio; puta an Dioniſio ſufficiat reſtituere pecuniam furtiuam Domitio, vel debeat in conſcientia reddere vero domino. Altera eſt circa lucrum furtiua pecunia acquiſitum; ſit ne tale lucrum reſtitutioni obnoxium. Tertia verò eſt circa intereſſe Mercatoris, an vna cum pecunia ablata debeat ei ſolui, ſi quod paſſus eſt, puta vel damnum emergens,vel lucrum ceſſans.

1 Eſt autem damnum † emergens, quando dominus re ſua ſpoliatus cogitur aliquid impenſæ facere,quod non feciſſet,ſi rem ſuam

2 habuiſſet. Lucrum † verò ceſſans dicitur, cum dominus re ſua priuatus non id lucratur, quod ſi rem poſſideret lucraretur.

3 Reſpondetur itaque ad caſum, Dioniſium debere † reſtituere non furi, ſed Mercatori pecuniam furto ablatam, vna cum intereſſe, ſi quod paſſus eſt; non tamen lucrum pecunia illa aliena acquiſitum.

4 Prima

4 Prima pars probatur. Tum quia reſtitutio † eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ; ſicut ablatio rei alienæ, cui opponitur, actus eſt iniuſtitiæ verſantis circa commutationes, vt docet *D.Tho.* communiter receptus 22.*q.*62.*art.*1. iuſtitia autem dat cuique ſuum: quod non facit, qui domino non reſtituit.

Tum quia res aliena in cuiuſcumque poteſtate ſit, reum facit eum reddendi legitimo domino ex iuſtitia; maxime cum ſine ſuo magno detrimento facere poſſit, & non ſciat certò ab alio eſſe domino reſtituendam. Cum igitur pecunia Mercatoris in poteſtate Dionyſij ſit, huic reſtituenda eſt, & non latroni.

Tum quia Dionyſius per pecuniæ iniuſtam detentionem, non furem, ſed verum dominum damnificat, ipſum, ne re ſua vtatur, impediendo: vero itaque domino reſtituere tenetur.

Hæc eſt ſententia *Arag. in* 22. *D.Tho.q.*62.*art.*5.*in explicat. arg.Caiet. ibidem;* immo *Diui Thomæ:* cuius ratio eſt, quia fur non minus habet, quam quod ſuum eſt. *Soti lib.*4.*de iuſt.q.*7.*ar.*1. *Ioan. Med. C. de reſtitut. q.*10. *& Sayri in ſua claui regia lib.*10. *tract.*2.*cap.*2.*n.*17. quam dicit eſſe ſententiam omnium. Et ratio eius eſt: quia in hoc caſu nulla eſt iuſta excuſatio, quominus rem domino reddat.

Nec obſtat, quod dicitur in *cap. in litteris, de reſtitut. ſpoliat*
5 *Prædo † etiam eſt ſecundũ rigorem iuris reſtituendus*, ideſt poſſeſſioni, in caſu ſcilicet, quo quis accepit rem ab eo poſſeſſam.

6 Reſpondetur enim *cum Aragone l.citato*, quod hoc † non procedit de prædone notorio; cum certum ſit huiuſmodi predones potius eſſe ſuſpendendos, quam in poſſeſſione illarum rerum, quas iniuſtè poſſident, conſtituendos, vt notat *gloſſ.in d.illo cap.* ſed procedit de illo prædone, de quo dubitatur, an iuſtè poſſideat nec ne: hic enim interim, quod non conſtat, ad quem res ipſa pertineat, in foro contentioſo reſtituendus venit: ſed non in conſcientia, ſi certum ſit prædonem rem illam per rapinam obtinuiſſe. Eodem modo reſpondet *Io.Med. C.de reſt. q.*2.*dub.*2. Obſeruandum tamen eſt, quod quando quis vero domino reſtituit, & non ei, à quo accepit, vtrunque admonere debet eius, quod fecit: latronem ſcilicet, ne poſtea pœnitẽtia ductus iterato reſtituat,

quod ſemel eſt reſtitutum: dominum autem, ne alia via procuret id recuperare.

Secunda pars probatur: tum quia damnum, quod per iniuſtam acceptionem, ſeu retentionem rei allatum eſt, eſt reſtituendum: nam per tale damnum eſt inæqualitas introducta, quæ profecto per reſtitutionem ſarcienda eſt. Intereſſe autem, quod paſſus eſt mercator vel lucri ceſſantis, vel damni emergentis, eſt damnum per iniuſtam acceptionem, & retentionem pecuniæ illatum. eſt ergo ei reddendum, ſeu recompenſandum.

7 Tum quia debitor, † qui eſt in mora, tenetur ratione moræ ſol-
8 uere intereſſe, vt liquet omnium conſenſu: atqui fur, † ſicut & quilibet poſſeſſor malæ fidei, ſemper eſt in mora reſtituendi. *ff. de condict. furtiua, l. ſi pro fure.* ergo & Dionifius, qui pecuniam furtiuam retinet, & contractat, tenetur ad intereſſe ſoluendum, quod paſſus eſt mercator propter carentiam ſuæ pecuniæ.

9 Tum demum ratione *D. Tho.* 22. *q.* 62. *ar.* 4. Quia † damnum alteri dare idem eſt, quod quippiam ei auferre, ex *Ariſt.* 5. *Ethic. c.* 5. dicente, damnũ aliquem accipere ex eo quod minus habet, quam debet habere. qui vero abſtulit aliquid ab aliquo, ex iuſtitia tenetur illud reſtituere. ergo & Dionifius, qui damnum dedit mercatori iniuſta pecuniæ ſuæ detentione, debet illud intereſſe re-
10 ſtituere †; videlicet lucrum ceſſans, quod re vera ſuam pecuniam negotiationi committendo percepiſſet. non quidem in integrum; quia lucrum non erat centum; ſed ad arbitrium prudentis viri, penſatis prius quantitate pecuniæ, & negotiorum conditionibus, atque circumſtantijs.

Ex quo infert *Petrus Aragon. ibidẽ ad* 2. *arg. D. Tho.* quàm peſ-
11 ſimè faciant nonnulli nobiles, † qui multis annis inuitis mercatoribus detinent pecuniam, qua multa alia bona lucrari poſſent. Vltra hoc enim quod peccant id facientes, tenentur ad reſtitutionem lucri ceſſantis, tanquam illi, qui huius nocumenti cauſa iniuſtè extiterunt, quam niſi faciant, non erunt à confeſſoribus abſoluendi.

Hæc eſt aſſertio communis omnium Doctorum, *D. Thomæ loco iam nunc citato, Caiet. & Arag. ibidem, Molinæ diſp.* 315. *num.* 7.

Carb.

Carb. de reſt. q. 27. conc. 4. Sayri lib. 10. tract. 2. cap. 3. nu. 2. & 23. Sylu. ver. reſtitut. 3. q. 9. Nau. in Manu. c. 17. n. 25. & 27. Scoti 4. ſent. d. 15. q. 2. art. 4. & Petri de Aquila ibidem.

Si quis autē obijciat. Cum ſit ſatis reſtituere ſimplex, ideſt tantum quantum quis accepit, vt docet *D. Tho. q. citata art. 3.* ſufficit igitur Dioniſio reſtituere ſolum pecuniam ablatam.

Reſpondetur non negare D. Thomam iſta etiam reſtituenda; ſcilicet damnum emergens, & lucrum ceſſans; cum hæc etiam nomine ſimplicis, & ablati contineantur, vt demonſtratum eſt ſupra ab eodem *q. 62. art. 4.*

12 Tertia pars probatur, tum quia lucrum † ex illa pecunia furtiua in negotiatione acquiſitum, non eſt rei alienæ, cum ex ſe fructifera non ſit; ſed induſtriæ, & laboris Dioniſij: ergo ad eum ſpectat, & non ad dominū pecuniæ ablatæ; quare non eſt illi reſtituendum. Sicut neque fur, ſi ludendo lucratur aliquid ex pecunia furtiua, lucrum partum reſtituere tenetur. Neque ſi quis inſtrumenta aliena furatus eſt, & operando aliquid lucratur, cum lucrum illud laboris ſit, & non rei, reſtituendum erit. Similiter dictum eſt de depoſitario, qui ſi vſu depoſitæ pecuniæ alienæ lucratur, non debet niſi ſimpliciter depoſitum.

Tum quia nemo plus tenetur reſtituere, quam accepit, cum damnis, ſi quæ alia dedit, & cum lucro, ſi quod alteri ceſſauit. atqui ſi Dioniſius hos fructus non naturales, ſed ex ſola induſtria perceptos, & acquiſitos reddere deberet, reſtitueret aliquid amplius quam accepit. igitur non ſunt reſtitutioni obnoxij.

Tum demum, quia dominus rei ex furto nihil lucrari debet; ſed ſolum, quod ſuum erat, aut eſſe poterat, ſeu debebat, recupe-
13 rare: ſed ſi fructus † induſtriales ei reddendi eſſent, aliquid lucraretur ex furto: igitur reſtituendi non ſunt.

Hæc eſt communis omnium doctorum ſententia, *Scoti 4. ſent. diſt. 15. q. 2. art. 4. verſ. de tertio. Petri Aquilani ibidem. Gab. 4. ſent. diſt. 15. q. 2. Soti lib. 6. de iuſt. & iure quæſt. 1. art. 4. conc. 2. Nau. in Man. cap. 17. n. 25. Graffij lib. 1. conſ. de procuratoribus conſ. vnico. Sylu. ver. reſtitutio 3. q. 9. Piſanellæ ver. reſtitutio 4. Angeli ver. reſtitutio prima, & verbo Poſſeſſor. Couarr. in regula peccatum p. 2.*

§.*6.n.4.Petri Nau.lib.4.de reſtitut.cap.1.dub.5.nu.4.Carbo.de reſtitut.q.27.conc.6.Azoris 3.par.inſtit.moral. lib.4. cap.4.q.7.* Contra tamen hanc aſſertionem ſic argumentari poteſt.

Primo ſecundum D. Paulum *ad Rom.*11. *Si radix ſancta, & rami:* ergo à contrario ſenſu, ſi radix infecta, qualis eſt pecunia furtiua, & rami, puta eius lucra, ac proinde reſtituenda.

Reſpondetur ſimilitudinem non valere: quia radicis qualitas ſeu bona, ſeu mala, propterea redundat in ramos, quia habet rationem effectricis cauſæ, in quantum miniſtrat nutrimentum: pe-
14 cunia vero † furtiua non eſt niſi materia induſtriæ; & ideo licèt ipſa ſit reſtitutioni obnoxia, non tamen eius lucrum.

Secundo Dioniſius non plus iuris habet in lucrum pecunia furtiua comparatum, quam in ipſam pecuniam: quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. ſed illius pecuniæ nullum acquiſiuit dominium: igitur neque lucri, quod conſequitur ex ea; ac ſubinde pari iure tenetur illud mercatori domino refundere.

Reſpondetur negãdo maiorẽ: eſt enim falſa, cum Dioniſius ratione induſtriæ ius habeat in lucrum, quod in pecuniam non habebat. Ad probationem verò conceditur acceſſorium ſequi natu-
15 rã ſui principalis, ſequitur enim naturã induſtriæ, † quæ fuit principalis cauſa lucri, & non pecuniæ, quæ fuit inſtrumẽtalis cauſa.

Quod ſi inſtes. Si Dioniſius pecunia illa furtiua emiſſet fundum, teneretur ipſum cum fructibus reſtituere: ſiquidem cum illum emerit alterius pecunia, videtur perinde eſſe, ac ſi eundem fundum per furtum ab illo abſtuliſſet: ergo eadem ratione tenetur reſtituere lucrum eiuſdem furtiuæ pecuniæ.

16 Reſpondetur negando antecedens: immo fructus † illius fundi empti ſunt ipſius Dioniſij furis ementis, vt puta ſuæ induſtriæ debiti, neque tenetur reſtituere, niſi pecuniam: veluti ſi depoſitarius aliena pecunia rus emeret, non debet niſi pecuniam. & eſt ratio *Soti lib.6.de iuſt.q.1.art.4.*

SVMMARIVM.

1 *Omnia Chriſtianorum ieiunia inſtituta ſunt iure humano.*

2 *Doctores Sancti, cum affirmant quadrageſimale ieiunium eſſe prace-*

præceptum lege diuina Euangelica, quomodo intelligendi ſunt.

3 *Diſpenſatio fit vel à Papa, vel ab inferiori Papa.*

4 *Papa in quibus diſpenſet, & quomodo.*

5 *Epiſcopus circa legem ſuperioris non poteſt ſine iuſta cauſa cum ſubdito diſpenſare.*

6 *Diſpenſatio eſt relaxatio legis cauſa cognita.*

7 *Inferior ſe habet ad legem ſui ſuperioris Principis, ſicut ille ad legem Dei.*

8 *Diſpenſatio à Legato facta, etiam auctoritate Papæ ſibi commiſſa, ſine iuſta cauſa non valet.*

9 *Qui nõ ieiunat aliquot Quadrageſimæ dies, cum poſſit, & cibis non quadrageſimalibus veſcitur, peccat moraliter, non obſtante licentia obtenta, & n.* 10. *& n.* 11.

12 *Qui à ieiunio excuſantur, & non ab eſu carnium, & lacticiniorum, & n.* 13.

14 *In diebus ieiuniorum, præterquam ieiunij quadrageſimalis iure communi permittitur eſus ouorum, ac lacticiniorum, niſi obſtet conſuetudo.*

15 *Diſpenſatus à ieiunio, non ob id ab eſu carnium eſt diſpenſatus.*

CASVS VI.

CVM Euſebius legitima de cauſa totam Quadrageſimam non valeat ieiunare, poſſit tamen partem, vel aliquot dies, & cibis quadrageſimalibus veſci ſine periculo; attamen quærit, & obtinet licentiam veſcendi non ſolum ouis, & lacticinijs, ſed etiam carnibus, nec vllo vult die ieiunare: *Quæritur, an non ieiunando, & cibis non quadrageſimalibus veſcendo, peccet mortaliter.*

Ante huius caſus reſolutionem aduertendum eſt primo, quòd etſi plures maximæ authoritatis viri, quos *Couarr. lib. 4. var. reſolut. cap. 20. conc. 5.* refert, Quadrageſimæ ieiunium conſtanter

aſſeuerarunt à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum, vt obligatio ad illud non tantum ex humano præcepto pendeat, ſed etiam ex diuino; tamen communi iam opinione doctorum receptum eſt,
1 omnia †Chriſtianorum ieiunia non ſolum quatuor temporum,& vigiliarum præceptarum, ſed etiam quadrageſimæ, eſſe inſtituta iure humano, & nulla diuino; quamuis quadrageſimæ ieiunium antiquitate, & forte præfiguratione præſtet, arctiuſque ſit ob
2 id ſeruandum,iuxta *D.Tho.*22.*q.*147.*art.*1.*ad* 2.& cum † Patres ſancti ieiunium hoc lege diuina Euangelica eſſe præceptum aſſeuerant, intelligendi ſunt ſecundum ſenſum D. P. Aug. ad Caſulanum presbyterum; vt generali quodam præcepto à Chriſto Domino quadrageſimale ieiunium fuerit præceptum,non tamen quibus, & quot diebus ieiunare teneamur, quos poſtea deſignauit eccleſiam, & lege lata indixit: quo præcepto ita conſcientias ad ieiunandum obligat, vt qui ieiunia abſque legitima cauſa prætermittunt, lethaliter peccent, ex ſententia *D.Thomæ* 22. *q.*147. *art.*3.*&* 4.*ſent.diſt.*15.*q.*5.*ad* 4.*Paludani ibidem q.*4. *art.*5. *Couar.lib.*4.*variarum reſolut.cap.*20.*conc.*6.*Azorij lib.*7.*inſtitut.moralium cap.*8.*quæſt.*2.*Gloſſ.diſt.*25.*cap.vnum orarium*, §.*alias ea demum, verſ.ieiunantibus, & aliorum.*

Aduertendum ſecũdo,licentiam quempiã obtinere,nihil aliud eſſe, quã diſpenſationem à ſuperiore impetrare, qua à lege excipitur,conceſſa illi facultate,ſine qua legi eſſet obnoxius.Contin-
3 git autem, vt diſpenſatio † fiat vel à Papa, vel ab inferiori Papa.
4 Si Papa diſpenſet,† tunc diſtinguendum eſt; quia vel diſpenſat in ijs, quæ à iure diuino pendent, quale eſt votum,& iuramentum: vel in ijs, quæ ſunt iuris poſitiui, vt eſt ieiunium. Si primum,& cum cauſa, diſpenſatio tenet: ſi ſine cauſa non tenet ſecus autem in ijs, quæ ſunt iuris humani. Sed Papa inferior, vt eſt Epiſco-
5 pus,† circa legem ſuperioris, vt circa ieiunium, benè poteſt iuſta de cauſa cum ſubdito diſpenſare,ne illo, aut illo die ieiunet; imò & eo abſente Parochus, vt placet *Nauar.*Tum quia videtur receptum conſuetudine, quæ iuriſdictionem dare poteſt. Tum quia frequenter Sedes Apoſtolica conſuli non poteſt, vt affirmat *Caiet.*22.*q.*144.*art.*4.*& Nau. in manu. cap.*21. *n.*21. At ſi abſque

iuſta

iuſta cauſa diſpenſat, diſpenſatio non valet, nec diſpenſatus tutus in conſcientia manet. Tum quia ſub hoc limite illi conceſſa
6 eſt diſpenſandi facultas. Tum quia diſpenſatio definitur † eſſe relaxatio legis, cauſa cognita, iuxta *gloſſ. ſolennem,* §. *niſi rigor.* 1. *quæſt.* 1.

Et probatur ratione *Nau. in prælud.* 9. *num.* 15. Quia ſic ſe ha-
7 bet † inferior ad legem ſui ſuperioris Principis, ſicut ille ad legem Dei. *cap. cum inferior, de maioritate, & obed. & cap. inferior ſedes, diſt.* 21. at diſpenſatio Principis circa legem Dei ſine iuſta cauſa nihil valet, nec excuſat, vt prædictum eſt: igitur nec diſpenſatio inferioris circa legem ſuperioris ſine iuſta cauſa aliquid valet, nec excuſat.

Confirmatur ex *Innocentio in cap. dudum* 2. *de electione,* ſingu-
8 lariter dicente, quod diſpenſatio † à Legato facta, etiam authoritate Papæ ſibi conceſſa, ſine iuſta cauſa non valet. Vide etiam *Sylu. ver. diſpenſatio, num.* 5. *& Couar. de matrimonio par.* 2. *cap.* 6. §. 9. *de diſpenſatione, & Panorm. in cap. non voti, de voto, & Azor.* 1. *par. inſt. moral. lib.* 7. *cap.* 29. *q.* 2. *&* 3. *&* 6.

His prænotatis reſpondeo ad caſum, Euſebium non ieiunan-
9 do † aliquot dies, cum poſſit, & cibis non quadrageſimalibus veſcendo, peccare mortaliter, non obſtante licentia obtenta.

Probatur, quia qui potens eſt ad hũc, vel illum diem ieiunandum, aut hoc vel illo cibo ieiunio conformi ſe nutriendum, nul-
10 lam habet diſpenſationis cauſam, † ſed præcepto ieiunij coarctatur quo ad illud, quod poteſt, & etiam abſtinentiæ à cibis: ſed in caſu Euſebius eſt potens ad ieiunandum aliquot dies, & ſub præcepto ieiunij cadit etiam abſtinentia à cibis vetitis ergo peccat non obſeruando, vt poteſt, cum ad id obligetur ſub reatu peccati mortalis.

11 Et confirmatur, quia præceptum † Eccleſiæ quando in totum ſeruari non poteſt, ſeruandum tamen eſt quo ad illam partem, quoad quam ſeruari poteſt, vt eſt tex. *cap. cum dilecti, de dolo, & contumacia, & gloſſ. & doctores ibi.* qui igitur ſeruare non poteſt præceptum ieiunij quadrageſimalis quotidie quantum ad vnicam refectionem, ſeruare tenetur quantum ad alia, quæ poteſt.

teſt. quod cum non faciat Euſebius, mortaliter peccat.

Nec obſtat, ſi quis dicat, quòd excuſatus à toto, excuſatur etiã à partibus, cum in toto partes contineantur: & ideo cum Euſebius iuſta de cauſa ſit excuſatus à ieiunio, ſaltem aliquibus diebus quadrageſimæ, cuius partes eſſentiales ſunt abſtinentia à carnibus, & ſemel tantum edere; erit etiam excuſatus ab eſu carnium, & ſic non peccabit eas edendo, ſaltem tunc, cum à ieiunio liber eſt.

Reſpondetur enim primò negando Euſebium excuſari à toto ieiunio: quia excuſatur à ieiunio quoad numerum epulationum,
12 non quoad qualitatem ciborum. Quod patet in ruſticis, † & opificibus laborantibus in quadrageſima, & in pueris ante vigeſimum primum annum exactum: agrorum enim cultores, fabri ſiue ferrarij, ſiue lignarij, ſiue cæmentarij, & cæteri huius generis operarij, & artifices iuſtam ieiunij excuſationem habent, cum cibus eis non ſufficiat ſemel tantum in die ſumptus ob immodicos, & nimios corporis labores: & pueri ante tertium ſeptennium ætatis expletum, ieiuniorum legibus non aſtringuntur: quòd vſque ad eam ætatem ſoleant adoleſcere, & ſæpe indigeant cibo, hoc eſt modicè quidem, ſed frequenter ſumpto: tum propter caloris vim in eis abundantem, quo facile cibus omnis abſumitur: tum etiam quia cibus in eis non ſolum operatur, vt nutriat, ſed vt incrementum naturæ debitum præſtet, vt docent *D. Tho.* 2 2. *q.* 147. *art.* 4. *Syl. ver. ieiunium q.* 6. *Nau. in Man. cap.* 21. *n.* 16. *Azor.* 1. *p. inſtit. moral. lib.* 7. *cap.* 28. *q.* 2. *&* 8. & communiter alij doctores. Qui tamen omnes, tum pueri, tum operarij debent in diebus ieiuniorum abſtinere à carnibus, & reliquis cibis interdictis. Haud ſecus Euſebius, quia impotens eſt ad ieiunandum omnes dies quadrageſimæ, potens tamen ad ieiunandum aliquot, excuſatur ab ea ieiunij parte ſola, quam impedimentum non compatitur, & in ea parte ſola valet diſpenſatio; non tamen excuſatur à toto ieiunio: hæc eſt enim præceptorum Eccleſiæ vis, vt qui in totum ſeruare illa non poſſunt, ſeruare illa debeant quo ad illam partem, quoad quam ſeruare poſſunt. *Nau. in man. cap.* 21. *n.* 22. *&* 25. *Caiet.* 22. *q.* 147. *art.* 7. *& in ſummula ver. ieiunium* 5. *Anton.* 2.

par.

Digitized by Google

par.tit.6.cap.2.§.9.Ludou.de Beia p.par.reſponſ. caſu 45. *Corrad. par.p.reſponſorum q.*205.

13 Reſpondetur ſecundò, quod abſtinentia † à carnibus, & lacticinijs in quadrageſima non ſolum præcipitur vt pars incluſa in ieiunio; ſed etiam abſolutè, & per ſe: ſunt enim iſta tria diſtincta quantum ad obligationem, præceptum ieiunij, præceptum abſtinendi ab eſu carnium, & præceptum abſtinendi ab ouis, & lacticinijs: & conſiſtit diſtinctio in his; tum quia præceptum ieiunij includit alia, & non è contra: cum ieiunio enim prohibetur caro vniuerſaliter, & oua, ac lacticinia in quadrageſima, vt docet *D.Thom.*22.*q.*147.*art.*8.*ad.*3. at non contra fit: aliquando enim prohibentur caro, & lacticinia, & tamen non eſt ieiunium, vt in Dominicis quadrageſimæ. Aliquando etiam prohibetur caro, non tamen lacticinia, vt in diebus veneris communibus, & ſabbatis intra annum: immo iuxta communem ſententiam, in alijs
14 ieiuniorum diebus, † præterquam ieiunij quadrageſimalis, iure communi permittitur eſus ouorum, lactis, caſei, niſi contrarium conſuetudo gentis, vel populi ſeruet.

15 Tum quia cum diſpenſatur † quis, aut excuſatur à ieiunio, non ob id ab eſu carnium diſpenſatur: cum poſſit eſſe cauſa iuſta diſpenſandi ab vno, & non ab alio: à diuerſis enim non fit illatio. *Tolet.lib.6.ſuæ inſtruct.ſacerd.cap.3.n.1.& 2.Azor.p.par.inſtit. moral.lib.7.cap.10.q.1.*

SVMMARIVM.

1 *Obligatio reſtitutionis ex duplici capite, ſeu radice naſcitur, & n.11.& 13.*

2 *Diſcrimen inter rem alienam acceptam, & acceptionem eiuſdem circa obligationem reſtituendi.*

3 *Nomine rei alienæ quæ ſint intelligenda.*

4 *Pretium rei, & res ipſa in contractibus humanis pro eodem computantur.*

5 *Vtilitas rei ſecundum ſe, aut ex occaſione temporis tribuenda eſt rei, & conſequenter domino illius.*

6 *Quæ ſit vtilitas rei ſecundum ſe, & ex occaſione temporis, exemplificatur.*

7 *Non ſolum res aliena reſtituenda eſt, verumetiam id omne, in quo quis per illam ditior factus eſt.*

8 *Surripiens triticum alienum, & vendens non ſatisfacit reddendo æquale triticum, & eiuſdem bonitatis, niſi ſit etiam eiuſdem valoris.*

9 *Fur iure iuſtitiæ ante diſtractionem pretium reſtituere tenetur domino rei alienæ venditæ. Contrarium, num.* 14. *intellige, vt num.* 15.

10 *Latro in caſu, quicquid ſit de damno illato, reſtituere tenetur illa centum ratione rei retentæ.*

12 *Malæ fidei poſſeſſor, quocumque modo res pereat, aut alienetur, tenetur ad reſtituendum.*

CASVS VII.

FRANCISCVS furatus eſt decem rubia tritici kalendis Februarij Gregorio, qui ſeruaturus illa erat in aliud tempus, & venditurus menſe Maij, in quo ob ſuperuenientem rei frumentariæ copiam non valuerunt niſi quinquaginta aureos: latro verò non expectato illo tempore vendidit ſtatim, accepitq. centum. *Quæritur, ſufficiat ne latroni reſtituere vero domino quinquaginta, ſiue decem frumenti rubia, an teneatur reſtituere illa centum.*

Ante reſolutionem huius caſus memoria repetendum eſt, om-
1 nem obligationem † reſtitutionis ortum habere ex duplici capi-
te, & radice: videlicet, vel ex re accepta, vel ex acceptione rei,
iuxta *D. Thomam* 22. *q.* 62. *art.* 6. quibus addi poteſt & caput ter-
tium, ſcilicet acceptio rei, & res accepta ſimul: inter quæ hoc eſt
2 diſcriminis, † quòd res aliena ſemper obligat habentem ad reſti-
tutionem, quocumque modo eam habeat: acceptio autem rei

alienæ

alienæ non obligat ſemper, niſi quando vel eſt iniuſta, vt eſt acceptio rei per furtum, & vſuram: vel facta in vtilitatem recipientis ſolùm, vt in mutuo, & accommodato: non verò ſi eſt facta non in vtilitatem ipſius recipientis, ſed dantis, vel alterius, vt in depoſito, niſi depoſitarius ſit eiuſdem rei cuſtos ex iuſtitia, & pretium cuſtodiæ acceperit. nam depoſitarius ex gratia, & beneuolentia non tenetur ad reſtitutionem rei alienæ, ſi res illa ſine ſua notabili culpa pereat: quia tenetur ſolum ratione rei acceptæ, & nõ ratione acceptionis. At qui rem furatus eſt, & eam apud ſe retinet, reſtitutioni obnoxius eſt ratione vtriuſque, hoc eſt tàm ratione acceptionis rei, quàm ratione rei acceptæ.

3 Nomine autem rei alienæ † in præſenti intelligimus non ſolùm ipſam rem acceptam præcisè, ſed etiam pretium illius, ſi fuerit vendita, & commutata; & fructus, qui ex tali re fuerint percepti: & denique totum illud, in quo quis ex re aliena fuerit factus ditior: id enim totum reſtituendum venit eodem titulo, quo ipſa res. *Caiet. 22. q. 62. art. 6. dub. 1. & 2. Petrus de Aragon. ibidem in explicatione art. Sotus lib. 4. de iuſt. & iure q. 7. art. 2. Couarr. in regula peccatum, par. 2. de reg. iur. lib. 6. in principio, Petrus Nau. lib. 2. de reſtit. cap. 2. n. 42. Sayrus lib. 10. clauis regiæ tract. 2. c. 1. n. 7. & alij recentiores.*

His prænotatis reſpondeo ad caſum propoſitum: Non ſufficere Franciſco latroni reſtituere Gregorio domino tritici quinquaginta aureos, aut decem rubia tritici, ſed debere reſtituere totum pretium, quo frumentum alienum vendidit, videlicet centum. Quæ eſt ſententia *Michaelis Salonis 22. D. Thomæ q. 62. art. 6. controuerſia* 4. quam dicit eſſe Theologorum communem, *Petri Aragonis ibidem dub. 1. Fernandi Rebelli de obligationibus iuſtitiæ, par. 1. lib. 2. q. 6. n. 5.* pro qua facit *Sayrus loco citato cap. 3. n. 20. & Azorius par. 3. inſtitut. moralium lib. 4. cap. 3. q. 2. arg. 2. & q. 3. circa medium, & Ioan. Medina C. de rebus reſtit. q. 6. ad 5. obiectionem contra 2. reſponſionem.* & probatur hæc ſententia his rationibus.

Tum quia pretium, quod reuera acceptum eſt pro re, debet vero domino reſtitui, quando res ipſa non reſtituitur: cum pretium

4 tium rei,† & res ipſa in contractibus humanis pro eodem computentur:ſed in caſu re vera Franciſcus pro decem rubijs tritici venditis accepit centum,& non tantum quinquaginta aureos:centum itaque domino tritici debet reſtituere.

5 Tum quia vtilitas rei † ſecundũ ſe, aut ex occaſione temporis, qualis eſt, quod res ſtatim vendita valuerit centum, quæ in aliud tempus relicta non valuiſſet niſi quinquaginta, tribuenda eſt rei, & non induſtriæ venditoris: ergo eadem ratione, qua res domino eſt reſtituenda,reſtituenda eſt etiam rei vtilitas. Vtilitas tritici
6 ſecundum ſe, † eſt ipſum triticum vtile, vt ex eo conficiatur panis,quo veſcimur: vtilitas eiuſdem ex occaſione temporis eſt, vt vno tempore pluris valeat, quam alio.

Tum quia ſi latro reſtituat quinquaginta, alia vero quinquaginta ſibi retineat: quæro quo titulo poſſit illa ſibi retinere? certè nullo: non titulo venditionis; quia fuit iniqua,& inualida: nec titulo rei propriæ, cum id pretij ex re aliena prouenerit. ergo tenetur neceſſario reſtituere, cùm nullo titulo poſſit illa quinquaginta retinere.

7 Tum quia non ſolum † res aliena reſtituenda eſt, verũ etiam id omne, in quo quis factus eſt ditior: ſed latro in hoc caſu factus eſt ditior ex illo tritico,quod erat alienum, in centum: centum itaque debet reſtituere.

Nec etiam ſufficiet ei reſtituere decem rubia tritici eiuſdem bonitatis cum tritico ab eo vendito. Quia cum triticum ſit diminutum pretio, non reſtitueret triticum æqualis valoris, ſi cum eodem tritico vendito comparetur pro tempore,quo fuit venditum.

Tum denique; quia ſi fur tempore, quo vendidit triticum, reſtituiſſet, prout de iuſtitia tenebatur, profecto vel aliud triticum æqualis valoris, vel valorem, quem tunc triticum habebat, pretiumq. quo ipſum vendidit,reſtituere debuiſſet: ab hac autem obligatione per dilationem reſtitutionis non liberatur, ſed potius iniuriam auget, ſemperq. in mora cenſetur eſſe, cum ſit malæ fidei poſſeſſor, iuxta *l.in re furtiua, & l.vltimam, C.de condictione furtiua, & regulam, Mora, de reg. iur. in 6.* ergo non ſatisfa-
8 ciet † reddendo æquale triticum in propoſito caſu: quia licèt ſit eiuſdem

eiuſdem bonitatis cum tritico ab eo vendito, non tamen reddit triticum æqualis valoris, ſi cum eodem tritico vendito comparetur pro tempore, quo fuit venditum. Similiter, licèt nullum damnum dominus à fure recipiat reſtituente quinquaginta aureos, vel decem rubia frumenti, ſi attendamus ad ſtatum, in quo futurus eſſet, poſito quod ad tempus minoris valoris illud frumentum foret ſeruaturus: tamen attento priori ſtatu, in quo dominium habuit frumenti plus valentis, & pretij, quod fur ex eo vendito accepit, damnum recipit, ſi reſtituat tantum quinquaginta aureos, vel decem rubia; atque adeo illius maioris valoris, in quo per iniuriam à fure fuit damnificatus, facienda eſt reſtitutio, ratione iniuſtæ acceptionis.

9 Accedit, quòd cũ iure iuſtitiæ † fur ante diſtractionem pretium reſtituere teneretur, profectò id omittendo contra iuſtitiam commutatiuam peccauit, damnumq. domino intulit; quod reſarcire tenetur. Quare concludendum ſine dubio eſt, quòd etſi illa vtilitas ex re percepta non extat, aut exinde latro non eſt effectus ditior, reſtituendum tamen eſt in conſcientia pretium rei alienæ vẽditæ, quam cum peccato contra iuſtitiam vendidit.

Neque obſtat, ſi dicatur, fur iſte reſtituendo quinquaginta, aut decem rubia tritici, nihil damni infert domino, quod ipſe aliàs paſſurus non fuiſſet: itaque ſufficiet hæc ei reſtituere.

Reſpondetur enim primo antecedens verum eſſe, ſi attendamus ad ſtatum, in quo dominus futurus eſſet, poſito quod ad tempus minoris valoris frumentum illud foret ſeruaturus: ſed falſum eſt attento priori ſtatu, in quo dominium habuit frumenti plus valentis, & pretij, quod latro ex eo vendito accepit.

10 Reſpondetur ſecundo, quicquid ſit † de dãno illato à fure, quòd reſtituere tenetur illa centum ratione rei retentæ, ideſt pretij, quod ſuccedit loco rei, *ff. de pet. hær. l. ſi & rem*.

Nec valet, ſi inſtetur, reſtitutio requirit æqualitatem, quæ in eo poſita eſt, vt tantum reſtituatur domino, quantum habiturus fuiſſet, ſi res illi furto ſublata non fuiſſet: ſed ſi non fuiſſet domino ſublata illa quantitas tritici, non habiturus fuiſſet ex illius venditione niſi quinquaginta: ergo hæc tantum ſunt illi reſtituenda.

Nam

11 Nam reſpondetur, quod reſtitutio oritur † ex duplici radice, ſeu ratione, videlicet ratione rei alienæ retentæ, & ratione damni illati. Argumĕtum procedit de reſtitutione debita ratione damni illati tantum, & non ratione rei alienæ retentæ, in qua fundatur caſus noſter: tenetur namque latro reſtituere centum: quia retinet pretium rei alienæ, quod eſt centum, & non quinquaginta ſolùm: nam diximus pretium rei, & rem ipſam in contractibus humanis pro eodem computari.

Neque vrget, ſi adhuc inſtetur, ſi ratione pretij retenti, ſiue pecuniæ, quæ eſt pretium frumenti alieni venditi, latro tenetur reſtituere centum; cum tandiu quis teneatur ad reſtitutionem ratione rei alienæ, quamdiu eam habet: ſequitur quòd ſi latro illam pecuniam diſtraxerit, vel ludendo, vel donando, vel quacunque alia via, tunc non amplius tenebitur ad reſtituendum niſi quinquaginta, in quibus damnificatus eſt dominus, & ſic ſaltem in iſto euentu ſufficiet latroni reſtituere quinquaginta.

Quia reſpondetur negando illationem in euentu iſto: quoniam
12 malæ fidei poſſeſſor, † quocumque modo res pereat, aut alienetur, tenetur ad reſtituendum: cum enim iure iuſtitiæ fur ante alienationem pretium reſtituere teneretur, profectò id omittendo contra iuſtitiam commutatiuam peccauit, ac damnum domino intulit in centum, quod reſarcire tenetur.

Neque etiam obſtat, quòd pretium in reſtitutione, quæ oritur ex venditione rei alienæ conſumptibilis, ſemper recipit augmentum, vel decrementum ſecundum tempus, quo venditurus eſt dominus læſus in alijs caſibus: cur ergo non recipiet menſuram in caſu noſtro ſecundum idem tempus?

13 Reſpondetur, quia in caſu noſtro non attenditur † quantitas reſtitutionis tantùm penès damnum illatum ex acceptione frumenti, ſed penes rem acceptam, ideſt pretium, quod rei ſucceſſit: nam pretium, quod venditor accepit, non eſt ſuum, cum acceperit illud pro re, quæ non eſt ſua. Eſt etiam differentia in caſu noſtro, & in alijs; quia in alijs ferè omnibus nihil vtilitatis manet apud latronem; ſed aliter contingeret in noſtro, niſi totum pretium receptum reſtitueret.

Neque

14 Neque demum obſtat, ſi dicatur, Non potuit † in emptorem venditor transferre rei dominium; neque in venditorem emptor transferre dominium pretij: cum contractus iſte venditionis, & emptionis fuerit nullus. ergo pretium reddendum erit emptori, & non domino rei venditæ.

15 Reſpondetur hoc verum eſſe, † niſi dominus approbaret venditionem, & contentus eſſet pretio rei venditæ: quod non eſt credendum in caſu: quia ſufficit emptori, vt ſeruetur indemnis, ad quod tenetur venditor. Imò ſi conſumpſit rem bona fide, clarum eſt, quod non poteſt amplius reſcindere contractum venditionis, & emptionis, & dominus amiſit dominium illius rei, cui obligatum eſt pretium, quod loco rei ſucceſſit.

SVMMARIVM.

1 *Fornicarius poſt habitam copulam tenetur in conſcientia meretrici pretium promiſſum ſoluere.*

2 *Res vendibilis, & æſtimabilis pretio eſt, quatenus deſeruit humanis vſibus, & n.18.*

3 *Opus peccati quomodo ſit vtile ad humanos vſus, & n.17.*

4 *Ius naturæ docet, vt ſeruentur promiſſa.*

5 *Iudas Gen.38. quam promiſerat Thamar meretrici mercedem, perſoluit ex iuſtitia.*

6 *Promiſſio, quæ fit fœminæ pro turpi actu, quomodo intelligatur eſſe valida.*

7 *In pari cauſa turpitudinis potior eſt conditio poſſidentis. Huius Regulæ verus ſenſus, n.8.*

9 *L. Generaliter, ff. de verbor. obligat. & l. iuris gentium, ff. de pactis, §. ſiue ob maleficium, quomodo intelligantur, & n.10.*

11 *Pretium pro iniuſta ſententia, pro periurio teſtis, pro homicidio receptum, quare reſtituendum eſt, & n.17.*

12 *Accepta ne ſint obnoxia reſtitutioni, quæ requirantur.*

13 *Meretrix turpiter facit, quod ſit meretrix, ſed non turpiter accipit, & n.15.*

14 *Meretrix publice expoſita, & quæ ſecreto fornicatur, in quo differant, & conueniant.*

15 *Qui locat operas ſuas in die feſta, licèt id ſit prohibitum, non tamen tenetur ad reſtituendam mercedem ſui laboris.*

16 *Quod licitè accipitur, non illicitè retinetur.*

18 *Soluuntur argumenta Nauarri contrarium ſentientis.*

19 *Quid confeſſarius viro, qui pollicitus eſt mulieri pecuniam, conſulere debeat poſt obtentam copulam.*

CASVS VIII.

GASPAR vir nobilis,& diues,ac potens alienare,captus amore Flaminiæ viduæ pollicetur ei centum aureos, ſi copiam ſui faciat: quæ pretio tandem inducta conſentit ad venereum actum, ſed non recipit pecuniam. *Quæritur, an poſt commiſſum ſcelus Gaſpar pretium promiſſum teneatur in foro conſcientiæ ſoluere, & illa poſſit acceptum retinere, & quid confeſſarius Gaſpari conſulere debeat?*

In hoc caſu petuntur duo iuxta numerum perſonarum, dantis ſcilicet,& accipientis: an ille teneatur dare, & an iſta tutò poſſit recipere, & retinere. Ad quæ omiſſa opinione *Ioann. Medinæ C. de reſtit. q.* 20. tenentis pro meretricio actu nihil poſſe recipi tanquam pretium illius actus, & conſequenter neque dari; imò peccare accipientes, & dantes vt ſic: quam in hoc amplectitur, & magnificat *Nauarr. in man. cap.* 17. *n.* 38. *& n.* 41. *& Ludou. de Beia p. par. reſponſionum ad caſus, caſu* 33. licèt ipſum deſerat in eo, quod ſubiungit, videlicet, quòd ſi accipitur, erit reſtitutioni obnoxium. Relicta etiam opinione eorum Canoniſtarum, quos refert *Couarr. regula peccatum, par.* 2. *§.* 2. *n.* 3. *& Carbo, de reſtitut. q.* 48. *verſ. tertia ſententia. & Azor.* 3. *par. inſtitut. moral. lib.* 4. *cap.* 21. *q.* 2. dicentium, quòd quamuis pretium poſſit accipi, & retineri ab ea, quæ eſt publica meretrix, non tamen ab occulta.

1 Reſpondetur affirmatiuè, videlicet, Gaſparem † poſt obtentam copulam teneri in foro animæ promiſſum pretium Flaminiæ perſoluere,

Digitized by Google

ſoluere, atque hanc licitè acceptum retinere. Hæc eſt ſententia *Michaelis Salon. in 22. D. Thomæ q.62. art.5. controu.4. conc.1. & 2. Soti 4. de iuſt. & iur. q.7. art.1. ad 2. Couarr. loco citato. Graſſij lib.5. conſ. tit. de furtis conſ.2. Sayr. lib.10. clauis regiæ tract.5. cap.3. n.34. & ſeqq. Lopez p.p. inſtr. cap.105. & 107. Petri de Aragon. in 22. D. Thomæ q.32. art.7. & q.62. art.5. conc.8. Caiet. ibidem. Sylu. verb. reſtitutio 2. §.2. Azorij 3. par. inſtit. moral. lib.4. cap.21. q.2.* quam *Aragon. quæſt.32. citata* vocat ſententiam communem omnium Doctorum tàm Theologorum quàm iuriſprudentium, *verſ. circa 3. concl. D. Thomæ.*

Pro cuius intelligentia, antequam ad probationem veniamus: Aduertendum eſt, quod ratio præcipua pretij, & æſtimationis rei, moraliter loquendo, eſt vtilitas in ordine ad vſus humanos.
2 Res itaque † vendibilis, & æſtimabilis pretio eſt, quatenus deſeruit humanis vſibus, & quo vtilior, eo maioris pretij, & carius vendibilis: quamuis etiam ſecundario pretium augeatur ex circumſtantijs, vt labore, difficultate, periculo, & alijs, quæ rem il-
3 lam comitantur. Et quia opus peccati, † puta turpis actus meretricis, & mulieris fornicariæ, licèt ſecundum ſuam rationem formalem, id eſt ex ea parte, qua diſcordat à lege diuina, & qua peccatum eſt, inutile ſit ad vitam æternam, & nullius valoris; pro materiali tamen, quod potiſſimè intenditur ab emptoribus, eſt quædam actio liberè facta, & vtilis ad hominum vſus, vt fornicatio ad delectationem, & voluptatem capiendam: hinc eſt, quod natura ſua eſt alicuius pretij, & vendibilis, cum nullum ſit præceptum, vt tale opus gratis fiat: imò, vt non fiat. *Salon vbi ſupra controu.3. concl.5. Aragon ibidem ad 2. D. Thomæ, & Azorius l. c.*

His prænotatis probatur primum reſpõſionis membrum. Tum
4 quia † ius naturale docet, vt promiſſa ſeruentur, niſi tantus eſſet exceſſus, quod promiſſum implere prodigalitatis vitium contineret. Cum itaque Gaſpar promiſerit cẽtum Flaminiæ, ſi ſui copiam faceret, cauſa ſubſiſtẽte promiſſum tenetur exoluere; cum non ſit exceſſus in dando: eſt enim intra terminos iuſti: nam huiuſmodi mercis, quæ nec ad vitam neceſſaria eſt, nec homo cogitur ad emendum, ſecluſa fraude, illud eſt iuſtum pretium, in quo partes

conueniunt,tantumq. valet,quantum quis æſtim... ...æſtimauit autem Gaſpar complexum illum centum:centum ergo debet.

5 Tum ex facto Iudæ quod *Geneſis cap.*38.narratur,qui † quam promiſerat Thamar mercedem ob venereum actum, eam perſoluit, ac dixit; *Si noluerit accipere, non poterit me arguere*. Ex quibus verbis colligitur, ex iuſtitia mercedem illam ſoluere voluiſſe: iure enim naturæ, & recta ratione dictante ſenſit Iudas ſe deuinctum ad ſoluendum, quod promiſerat Thamar,quam exiſtimauit meretricem. Imò & omnes homines eadem ratione naturali dictante ſentiunt ſe ad id obligatos. Igitur & Gaſpar ſimiliter ex iuſtitia, cauſa ſubſequuta, tenetur ſtare promiſſis.

6 Tum quia promiſſio, † quæ fit fœminæ pro turpi actu, etſi vitietur ab extrinſeco, nempe à cauſa,ob quam fit; iure tamen naturæ valida eſt cauſa ſubſiſtente, cum fiat pro re, quæ pretio æſtimari poteſt, nec aliqua lege humana reddatur nulla.ergo Gaſpar in foro animæ, tenetur poſt copulam obtentam illam ſeruare, vt veritatem, & fidelitatem ad proximum ſeruet.

Tum denique, ſi conſentiat fœmina in turpem actum ea conditione, vt fornicarius illam ducat, poteſt exigere apud Iudicem, vt ducat illam,teneturq. illam ducere: ergo ſi cōſentiat in actum turpē ſub ſpe alicuius pretij, tenetur fornicarius illud perſoluere.

7 Nec obſtat, ſi dicatur, † in pari cauſa turpitudinis potior eſt conditio poſſidentis, *cap.in pari, de regulis iuris lib.*6.& *l.*3.& 4. *in princ.ff.de condict.ob turpem cauſam:* fornicarius, & fornicaria in turpitudine pares ſunt. igitur ſaltem antequam ſoluat,non tenebitur Gaſpar aliquid Flaminiæ exhibere.

8 Nam reſpondetur regulam illam habere locum, † quando tam acceptio quam datio eſt iniqua, & reprobata: at in caſu noſtro acceptio non eſt illicita; licitè enim accipit Flaminia, quæ ipſi dantur, etſi ex turpi cauſa:imò nec ipſa datio eſt illicita, quatenus procedit à lege iuſtitiæ commutatiuæ, & à promiſſione dantis in mercedem eius operis,quod pretium habere poteſt,vt oſtendimus in præuio notabili. Et eſt reſponſio *Couarr. loco citato num.*2.*ad* 1.

Neque pariter obſtat, ſi inſtetur, promiſſio, aut ſtipulatio turpis de

pis de

pis de iure eſt inualida, vt habetur *l.generaliter*, *ff. de verborum obligat.*vbi dicitur,*generaliter nouimus ſtipulationes turpes nullius eſſe momenti*, & *l.iuris gentium*, §.*ſiue ob maleficium*, *ff.de pactis*, quæ habet, titulum eſſe ipſo iure nullum, quo aliquid datur ob maleficium, & 22.*q.*4. *cap.in malis*, dicitur, *In malis promiſſis reſcinde fidem,in turpi autem voto muta decretum*. Igitur qui promiſit aliquid ob turpem cauſam,non tenetur illud adimplere.

Reſpondetur enim primo ad canonem, intelligendum eſſe ante cauſam completam: tunc enim promiſſio, pactum, & ſtipulatio nullius eſt momenti, nec vi illius promiſſionis, vel pacti homo obligatur ad rem turpem faciendam; ſed reſcindenda eſt talis ſtipulatio. Verum cauſa completa, & poſita in actu,adimplenda eſt promiſſio, non intuitu peccati, ſed fidei. *Salon.vbi ſupra controu.*3.*concl.*2.& *Graffius lib.*5.*conſil.de furtis,conſil.*2.*ad* 5.*principale*, & *Lopez cap.*105.*citato*. Ad leges allatas dicendum cum *Fernando Rebello de obligationibus iuſtitiæ par.*2.*lib.*18.*q.*19.*n.*4.
9 quòd procedunt † de maleficio in futurum adimplendo, & pro foro tantum iudiciali: quamuis etiam in conſcientia ante perpetrationem, ſicut nulla eſt obligatio exequendi peccatum, ita nulla eſt obligatio præſtandi pretium: ſed in re mala promiſſa fides reſcindenda eſt.

Reſpondetur ſecundo cum *Sayro loco citato*, *nu.*40. leges illas
10 intelligi præcipuè † de maleficijs contra iuſtitiam,& in damnum alterius, in quibus cum ipſa datio, & acceptio, vt ſic, ſit illicita, & prohibita; ideo & promiſſio,etiam re ſubſequuta, ob quam fuit facta, impleri non debet. Imò, vt aduertit *Salon vbi ſupra controu.*3.*ad* 2.& *concl.*6. Quamuis accepta pro opere iniquo iure naturæ liceret retinere: lege tamen ciuili, & meritò, quæ pro illo accipiuntur, ſunt reſtituenda, quando eſt in damnum alterius,&
11 contra iuſtitiam: vt quæ iudex † pro iniqua ſententia accipit,quæ teſtis pro falſo dicto, quæ aſſaſſinus pro homicidio, & ſimilia. Nam licèt actiones iſtæ prauæ ſecundum ſe,vt conſtat, vendi poſſint, his tamen legibus arcentur magis homines ab illis committendis; cum pretium pro illis accipere,vel retinere non poſſint.

Probatur nunc ſecundum reſponſionis membrum, videlicet,

Flaminiam acceptum pretium licitè retinere poſſe. Tum quia, vt
12 acquiſita, † & accepta non ſint reſtitutioni obnoxia, ſed licitè retineantur, quatuor requiruntur. Primum, vt id quod datur, ſit eius qui dat, & potentis alienare; cuius defectu acceptum à latrone, à monacho, à pupillo, &c. non poteſt retineri. Secundum, vt id quod venditur, ſit pretio æſtimabile: quod deeſt, cum venditur tempus, & vſus pecuniæ: hæc enim omnium conſenſu nec habent pretium, nec ſunt pretio æſtimabilia. Vnde illud commune omnium axioma, Pecunia non poteſt parere pecuniam. Tertium, quòd non debeatur gratis: vt collatio ſacramentorum, vel beneficij, vel cuiuſcumque rei ſpiritualis, de quibus dicitur à Domino, *Gratis accepiſtis, gratis date. Matt.* 10. Quartum, vt acceptio, vel datio non ſit lege prohibita. Quamobrem acceptio, & datio pro opere iniquo, quod eſt in iniuriam, & damnum alterius, cum lege prohibeatur, vt patet *l. generaliter, de verborum obligationibus*, non transfert dominium pretij in accipientem, vt redditum lege inhabilem. Hæc autem omnia concurrunt in acceptione pretij, quod ſoluitur Flaminiæ. Primum quidem ſupponitur in caſu. Secundum probatur: quia vſus corporis ad actus venereos eſt materia vendibilis, & pecunia æſtimabilis, vt *Caiet.* 22. *q.* 32. *art.* 7. *Sotus* 4. *de iuſt. & iure q.* 7. *ar.* 1. *ad* 2. *Salon Aragon, Carbo locis citatis, & Azor. vbi ſupra cap.* 21. *q.* 1. affirmant: cum ſit homini vtilis ad delectationem, & voluptatem captandam, imò ad prolem illi gignendam. Tertium patet: quia mulier ſoluta ſui corporis vſum non debet fornicario gratis. Quartum etiam liquet: quia licèt hæc cauſa ſit prohibita, non tamen datio, aut acceptio: non quidem lege diuina, quia non eſt contra eam, vt affirmat *D. Thomas* 22. *q.* 32. *art.* 7. & communiter Theologi: nec lege humana; quia *l. idem ſi ob ſtuprum, ff. de condict. ob turpem cauſam,* §. *ſed &*
13 *quod meretrici*, dicitur, quòd meretrix † turpiter facit quod ſit meretrix; non tamen turpiter accipit, cum ſit meretrix. Sequitur igitur quod ipſa poſſit iuſtè pretium acceptum retinere.

14 Et confirmatur, quia licèt meretrix † publicè expoſita, & quæ ſecreto fornicatur, differant in hoc, quòd publicè expoſitæ datur actio in foro exteriori ad petendum pretium promiſſum, & exigendum;

gendum; vt ſentiunt ferè doctores omnes, *Sotus*, *Couarr. Graſſius*, *Salon*, *Carbo*, *Sayrus*, *&* *Lopez locis cit.* imò *&* *Nauarrus in man. cap.* 17. *n.* 40. *verſiculo, quinto infertur*; occultæ verò denegatur: tamen quantum ad retentionem pretij accepti eadem eſt vtriuſque ratio ſecundum eoſdem; cum vtraque ſit domina ſui corporis, & actio vtriuſque pretio æſtimabilis: imò ratione maioris honeſtatis quodam maiori iure occultæ plus debetur.

15 Tum ſecundo, quia qui locat † operas ſuas in die feſto, quamuis id ſit prohibitum in lege Dei, non tamen tenetur ad reſtituẽdum ſtipendium, & mercedem ſui laboris: quia non vendit illud opus, & laborem ea parte, qua eſt violatio feſti, ſed quatenus laborioſum eſt, & vtile conducenti. Sed mulier cum facit copiam ſui corporis pro pretio, non accipit illud qua parte opus illud eſt peccatum, ſed qua vtile, & voluptuoſum fornicanti cum ea. igitur non tenetur illud reſtituere.

16 Tum denique, quia quod † licitè accipitur, non illicitè retinetur: ſed Flaminia promiſſum pretium non illicitè recipit. nam non peccat in recipiendo: quia aliàs cum fornicari, & recipere pecunias ſint actus diſtincti, adderet peccatum nouum hoc quod eſt recipere pecunias, ad hoc quod eſt fornicari: quod eſt falſum. ergo Flaminia licitè retinet promiſſum pretium, & acceptum. ratio *Abul. ſuper Matth. cap.* 6. *q.* 37.

Neque obſtat, ſi dicatur, pretium pro iniuſta ſententia, pro periurio teſtis, pro homicidio, ac vniuerſaliter pro maleficio non poteſt accipi, & acceptum reſtituendum eſt, vt patet per multas leges: ergo nec pro meretricio, &c.

17 Reſpondetur enim pro illis actibus malis non † licere accipere, quia lex prohibet talem acceptionem, quæ eſt pro opere iniquo cum damno alterius; quod non prohibet pro meretricio: nam aliter ſtando in lege naturæ, liceret etiam pro illis actibus accipere, non qua peccata ſunt; ſed qua vtiles, non futuris, cum nulla ſit obligatio perpetrandi peccatum, ſed præteritis.

Neque valet, ſi obijciatur contra fundamentum primum munitum auctoritate legis, & D. Thomæ: Meretrix, & quælibet fornicaria turpiter facit meretricando: ergo & turpiter accipit pro

meretricio. quæ eſt obiectio *Nau.nu.* 34. nam videtur eſſe repugnantia in adiecto dicendo, turpe, & illicitum eſſe meretricari, & licitum eſſe, & non turpe aliquid pro meretricio accipere, cauſa turpi iam impleta.

Quia non accipitur pro cauſa turpi, ideſt fornicatione, quate-
18 nus turpis, & illicita eſt, ſed quatenus † iure naturali talis fornicationis actus eſt pecunia æſtimabilis, vt vſui humano accommodus, & voluptatem corporis afferens.

Neque valet obiectio ſecunda *eiuſdem Nauar. n.* 5. quòd ſecundum iura diuina, & humana iſti actus fornicationis turpes magis conſiderantur in genere moris, quam in genere entis; in genere autem moris ſunt inuendibiles, & actus intrinſecè mali, ac per conſequens non licet pro illis aliquid dare, vel accipere, vt arguit *nu.* 38. *&* 40.

Non valet inquam: quia quamuis verum ſit, quod iura diuina, & humana conſiderent iſtos actus magis in genere moris quoad eorum prohibitionem: peccatores tamen iſti, cum pro eis dant, vel accipiunt pretium, magis conſiderant iſtos actus, vt ſunt voluptuoſi, & humano vſui accommodi pro delectatione corporali ex eis capienda.

Nec valet rurſus replica eiuſdem, quòd illa malitia eſt illi actui fornicationis intrinſeca, & inſeparabilis, & per conſequens pro illo actu non poteſt pretium accipi.

Nam reſpondetur quòd licèt quo ad culpam, & à parte rei ita ſit: tamen intellectu, & conſideratione eſt ſeparabilis ratio iſta delectabilis, ſub qua datur pro fornicatione, & pretium accipitur, à formalitate peccati. Neque fornicatio per hoc, quod eſt prohibita, vt intrinſecè mala, amittit ſuam naturalem voluptatem, ſub qua ratione pretium accipitur pro ea, & datur.

Imò maior repugnantia, pace tanti viri, apparet in eius dictis, quam in his, quæ arguit. Nam abſurdum eſt prorſus dicere, quòd leges exteriores, prout ipſe Nauar. fatetur, & ita eſt, concedant meretrici petitionem pretij ſui corporis, & in foro exteriori cogant promiſſorem id ei perſoluere; & quod ipſa petendo, & recipiendo peccet mortaliter. Quia cùm iſtæ leges non fundentur in

falſa

falſa præſumptione, dum id iubent, viderentur cooperari ad illicitum, & ad petitionem, & receptionem mortalem, ſi talis petitio, & receptio eſſet mortalis.

Nec valet euaſio, ſi dicatur, quòd meretrix poſſit agere in foro exteriori, & exigere promiſſam pecuniam, non ex iuſtitia, ſed tantum titulo donationis.

Tum quia ſi tantum titulo donationis exigere eam poſſet, profectò in foro exteriori ad ſoluendum fornicarius cogi non poſſet. Tum quia ſi ei non eſſet debita tanquam pretium, ſanè teneretur reſtituere, ſi ipſi data eſſet, vt debita, & in pretium talis actus meretricij: quod tamen negat *Nauarr. num. 34. verſ. dico quarto.* Neque petēdo pretium propter opus turpe patratum meretrices complacent ſibi in opere præterito, & peccant, vt putat *Nauarr.* quia dolere poteſt homo de peccato præterito, ac etiam firmiter ſtatuere nihil tale in poſterum facere, & cohibere complacentiā omnem circa actum turpem præteritum; & tamen exigere, & accipere pretium, quod propter actum commeruit, ſibiq. debitū eſt.

19 Confeſſarius verò † conſulere debet Gaſpari, vt ſeruet fidelitatem ſoluendo promiſſa, exemplo Iudæ filij Iacob, doleatque de peccato præterito, & caueat de futuro, ac Deum exoret, vt ſibi commiſſum ſcelus dimittatur, & in tentationem in poſterum non inducatur.

SVMMARIVM.

1 *Sola ſecunda comeſtio in die ieiunij peccatum eſt.*

2 *Pœna debet proportionari culpæ.*

3 *Lex ieiunij ponit certum limitem in comedendo, ne ſcilicet ſæpius, quam ſemel ieiunans comedat, & n. 7.*

4 *Præceptum ieiunij obligat iuxta Eccleſiæ præcipientis intentionem, & quæ nam ſit talis intentio.*

5 *Finis præcepti minimè cadit, aut comprehenditur ſub præcepto ad hoc, vt ipſe finis itidem cenſeatur præceptus.*

6 *Præceptum negatiuum duplex, ſcilicet iuris naturalis, & iuris poſitiui, & eorum diſcrimen.*

8 *Sub*

8 *Sub præcepto ieiunij continentur hæ duæ negationes, ſcilicet non veſci carnibus, cibiſq. vetitis; & non comedere pluſquam ſemel in die; ſed non eodem modo.*

CASVS IX.

CVm lex ieiunij prohibeat ſæpius quàm ſemel in die comedere, Hortenſius iam violato ieiunio per ſecundam refectionem, tertio, & quarto cibum aſſumit. *Quæritur, an toties peccet nouo peccato, quoties eo die poſt primum prandium comederit.*

Huic caſui reſpondetur negatiuè, Hortenſium comedentem in die ieiunij ſæpius quam ſemel, non qualibet vice, ſed tantùm ſecunda peccare mortaliter. Hæc eſt ſententia *Duran. 4.ſentent. diſtinct.15.quæſt.11.Paludani ibid.quæſt.4. art.5.Caietan.22.q. 147.art.8.Angeli verſ.ieiunium q.22. Sylu. eodem ver.q.8.nu.22. verſ. quartum.Nau.in Manu.cap.21.n.14. Graffij in ſuis deciſ.1. par.lib.2.cap.37.n.38.Azorij lib.7. p.par.inſtit.moral. cap.9.q.2.* & communis Doctorum, quicquid ſentiant *Io. de Neapoli in quolibet Ioan.Maior 4.ſenten.diſt.15. q.6.Ioan.Medina C.de pænit. tract.de ieiunio quæſt.5.* & demum *Couarr.lib.4. variarum reſol. cap.20.n.13.*

Et probatur, tum quia illa ſola comeſtio in die ieiunij peccatum
1 eſt, quæ ieiunium frangit. ſola autem ſecunda, † & non tertia, neque quarta, neque vlterior refectio ieiunium frangit: quoniam quando tertia vel quarta ſumitur, iam fractum eſt ieiunium, & ſemel fractum amplius frangi non poteſt: ſola itaque ſecunda eſt peccatum. Quare Hortenſius non toties nouo peccato peccat, quoties eo die poſt primum prandium comedit.

2 Tum quia pœna † debet proportionari culpæ: ſed comedenti ſæpius in die ieiunij, non maior iniungitur pœna, quam ſi ſolum bis comediſſet: imò vſu, & conſuetudine receptum eſt, vt confeſ-

ſarij

ſarij poſteaquam audiuerunt à pænitente tali die ſe ſoluiſſe ieiunium, nil vltra requirant, nec interrogent de comeſtionum numero: quod facere deberent, ſi diſtincta eſſent peccata. vnica igitur eſt culpa.

3 Tum denique, quia lex ieiunij † videtur ponere certum limitē in comedendo, ne ſcilicet ſæpius quam ſemel ieiunans comedat: at ſi cui præceptum eſſet, ne præfixum limitem tranſiliret, vbi illum tranſierit, in idem recidit, multis paſſibus ne, an paucis eum prætergrediatur, cum primo tantum paſſu, quo terminum tranſiliuit, peccauerit: ergo ſimiliter eodem recidit quo ad tranſgreſſionem præcepti, & limitis ieiunij, an tantum ſecundo, an tertio etiam, & quarto edat, poſtquam limitem præteriuit, ieiuniumq. ſoluit ſecunda vice comedens.

4 Neque obſtat, ſi dicatur, præceptum † ieiunij obligat iuxta Eccleſiæ præcipientis intentionem, quæ eſt, vt caſtigetur corpus, ſubijciaturq. caro ſpiritui: ſed huic intentioni magis repugnant tertia, & quarta comeſtio, per quas ſuperabundanter caro foueatur, quam ſecunda. Igitur ſi in ſecunda peccato mortali Hortenſius ſe obſtringit, multo magis in qualibet alia.

Nam reſpondetur, quòd duplex eſt intentio præcipientis Eccleſiæ: vna de materia præcepti, ſcilicet vt fiat, quod præcipitur: altera de fine, qui ieiunij proximus eſt maceratio carnis, & vltimus, vt per obſeruantiam mereatur homo vitam æternam. Prima obligat, ſcilicet intentio, de materia præcepti: Secunda autem ne-
5 quaquam, quia finis præcepti † minimè cadit ſub præcepto ad hoc, vt ipſe finis itidem cenſeatur præceptus: vnde non tenetur qui ieiunat, affligere carnem, aut per ieiunium mereri vitam æternam: ſed ſatis illi erit, ſi ſeruet media, quæ fuerunt à lege præfinita ad finem conſequendum. *Dur. l. c.*

Neque valet inſtantia, præceptum de ieiunio eſt negatiuum quantum ad materiam præceptam: quia nulli præcipitur, vt ſemel comedat quo ad id, quod affirmatiuum eſt; ſed ſolùm quantum ad id, quod eſt negatiuum, videlicet, quod non comedat pluſquam ſemel. Sed præceptum negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper. igitur & præceptum ieiunij obligat per totum tempus, &

con-

conſequenter quacumque vice Hortenſius comedit præter ſemel, ſemper eſt præcepti tranſgreſſor, peccatq. mortaliter.

6 Reſpondetur enim duplex † eſſe preceptum negatiuum, ſcilicet iuris naturalis, & iuris poſitiui: inter quæ diſcrimen eſt; quia illo prohibetur actus, qui de ſe eſt malus, vt furari, mechari, &c. & proinde omis talis cadit ſub prohibitione æqualiter: hoc verò prohibetur actus, qui de ſe non eſt malus, ſed poteſt fieri bene, vt comedere, dicere officium alta voce: & ideo prohibitio poteſt cadere ſuper vnum actum, & non alium, puta ſupra ſecundam
7 comeſtionem, & non ſupra tertiam & quartã: quia lex ieiunij † videtur ponere certum limitem in comedendo, & in vno tempore obligare, & non in alio; vt non dicere officium alta voce tempore interdicti: ſub qua tamen prohibitione non cadit dies Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Virginis, vt habetur *c. Alma mater. in ſexto, de ſententia excommunicat*.

Neque vrget inſtantia, violatio ieiunij in qualitate ciborum, puta in eſu carnis, toties eſt nouum peccatum, quoties comeditur caro: ergo toties peccatur pari ratione, quoties receditur ab vna comeſtione: quod fit non ſolùm in ſecunda, ſed etiam in tertia, quarta, & quinta cibi ſumptione. Et conſequentia deducitur,
8 quia ſubſtantia, & natura ieiunij † has duas continet negationes, ſcilicet, non veſci carnibus, cibiſque vetitis, & non comedere pluſquam ſemel in die.

Quia reſpondetur cum Caiet. vbi ſupra, quod iſtæ duæ negationes non eodem modo ſe habent ad ieiunium; ſed ſecunda, videlicet, non comedere pluſquam ſemel, cadit ſub præcepto ieiunij ſolùm vt pars, vel quaſi pars conſtitutiua illius: ſed prima videlicet, non comedere carnes, &c. cadit ſub præcepto abſolutè durante tempore illo, puta quadrageſimæ, quatuor temporum, & vigiliarum: & ob id quoties quis carnes comedit, & alios cibos prohibitos in die, toties de nouo peccat: ſicut quoties quis furatur, mechatur, &c. iuxta regulam præceptorum negatiuorum: quia cadit ſub præcepto, quòd in toto illo die carnes non comedantur. Sed non cadit ſub præcepto eccleſiæ non multiplicare comeſtiones abſolutè, ſed vt requiritur ad ieiunium, & eſt conditio illius.

illius: & quia poſt ſecundam refectionem ieiunium fractum eſt, non poteſt iſta negatio comeſtionis amplius pro illo die eſſe conditio ieiunij, & pars eius: negatio verò eſus carnium, & ciborum prohibitorum non ſolum vt conditio ieiunij, ſed etiam abſolutè cadit ſub præcepto illius temporis.

SVMMARIVM.

1 *In omni contractu emptionis, & venditionis ſeruanda eſt æqualitas inter pretium, & mercem.*
2 *Pretium iuſtum duplex eſt, legale ſcilicet, & arbitratarium.*
3 *Tria ſunt pretia ſecundum vſum fori, & quæ nam ſint.*
4 *Merx minoris valet, cum rogatur emptor, quàm cum rogatur venditor.*
5 *Vltroneæ merces vileſcunt.*
6 *Mercatori non licet vendere carius merces ſuas, quam pretio rigoroſo ob dilatam ſolutionem ad annum, imò vſuram committere, & num. 13.*
7 *Dilatio ſolutionis habet rationem mutui.*
8 *Iuſtum rei pretium eſſe quod, quod hoc modo vendendi ſcilicet pecunia credita, iudicatur tale à peritis, & prudentibus in iſta arte vendendi; quomodo intelligendum ſit. n. 9.*
10 *Quæ copia emptorum auget rerum pretium.*
11 *Mercatori, & mutuatori an liceat augere pretium, vel aliquid plus accipere ob lucrum ceſſans, & n. 12.*
14 *Iuſtum pretium non metiri debet ſecundum mercium ſumptus, ſed potius ſecundum vſum fori.*

CASVS X.

MERCATOR quidam pluribus annis merces ſuas ementibus pecunia præſenti vendidit iuſto pretio; ementibus verò pecunia credita carius, puta cum dilatione vnius anni cum auctario nouem pro centum. *Quæritur,*

ritur, an id ei liceat, & quomodo confeſſarius cum illo ſe gerere debeat.

Pro reſolutione huius caſus ſupponendum eſt tamquam certiſſimum fundamentum, in omni contractu † emptionis, & venditionis, vt iuſtus ſit, ſeruari debere æqualitatem inter pretium & mercem, quæ eſt veluti ſedes, & principium commutatiuæ iuſtitiæ in illo ſeruandæ, ex ſententia *D. Thomæ* 2 2. *q.* 77. *art.* 1. Hæc autem æqualitas reperitur, cum pretium non excedit valorem mercis, & è contra; & hoc dicitur pretium iuſtum: cuius † duo ſunt genera: Vnum, quod vocant legitimum, ſiue legale, quod ſcilicet lege Principis, vel Reipub. vel alterius vicem eius tenentis poſitum eſt, & definitum, & præſcribi ſolet rebus victui humano omnino neceſſarijs, vt tritico, vino, oleo, carnibus, piſcibus, & ſimilibus. Alterum verò, quod arbitrarium vocant, nempè quod ex communi hominum prudentum æſtimatione deſumitur, attenta rei neceſſitate, copia, & inopia, negotiationis labore, & cura; mercatorum, & venditorum frequentia, & ſimilibus; quod pretium ſolet appellari ſecundum communem vſum fori. Eſt autem diſcrimen inter hæc duo pretia iuſta: quia iuſtum legale conſiſtit in indiuiſibili iuxta præſcriptum legis, quæ eſt determinata ad vnum, itaut illud excedere ſit peccatum, aut mortale, ſi eſt in re notabili cum obligatione reſtituendi omnem exceſſum; aut veniale, ſi eſt in re exigua. Iuſtum verò arbitrarium minimè, ſed habet latitudinem quandam, ſicut & humanum arbitrium, quod non eſt determinatum ad vnum. Nam vocemus peritiſſimos, ac Deum timentes lignarios, & Architectos, vt domus iam ædificatæ iuſtum pretium aſſignent, nunquam conuenient, experientia teſte, in aliquo pretio omnino mathematicè indiuiſibili; ſed ſolum in quodam indiuiſibili morali habente aliquam latitudinem. Quarè diuidi ſolet † pretium hoc rerum ſecundum vſum fori in tria, videlicet, in infimum, medium, & ſupremum; vel vt alij dicunt, in Pium, Moderatum, & Rigidum, ſeu rigoroſum, & omnia ſunt iuſta. Exempli gratia, eadem res, puta eadem vlna panni, iuſtè vendi poteſt decem iulijs, & decem & dimidium, &

1 (margin, line "tiſſimum fundamentum") · 2 (margin, line "mercis") · 3 (margin, line "nem. Quarè")

vnde-

vndecim, ſi vndecim dicatur pretium ſupremum; decem pretium infimum; & decem & dimidium, pretium medium. Et ratio huius differentiæ eſt: quia cum hoc pretium iuſtum conſurgat ex multorum iudicio, & æſtimatione, fieri nequit, vt pūctum vnum atque idem ab omnibus attingatur, ſed quod vnus iudicat pretium iuſtum, alter plus, minuſue iudicat. At verò iuſtum legale quia ex vnius tantum vel Principis, vel Rectoris iudicio dependet (omnes enim alij ſolum ſe habent vt conſultores) punctim aſſignatur, & indiuiſibiliter eſt obſeruandum; vt notant Doctores tum Theologi, tum Canoniſtæ, *Scotus in.4.diſt.15.q.2.art.2. Aragon in 22.D.Thomæ q.77.art.1.in explicatione art.Salon ibidem controu.1.2.3.& 4.Caiet.ibid.& ſumma ver.emptio, Angelus, & Syluest.eodem verbo, ille n.7.hic q.6.Io.Med.C.de reſtit.q.31.& 36. Couarr.lib.2.var.reſol.cap.3.Sotus lib.6.de iuſt.& iure q.2.art.3. Lopez.2.par.ſui inſtruct.cap.63.& Nau.in Man.cap.23.n.78. & Corradus de contractibus 3.p.q.56.conc.5.* Ex quibus infertur pretium rei iuſtum eſſe, quod in hoc loco, tempore, & modo vendendi communiter haberi poteſt præſenti pecunia: eadem ſiquidem res pluris valet in vno loco, quàm in alio, & vno tempore, quam altero ob abundantiam, vel raritatem mercium, & emptorum. Modus etiam vendendi auget, & diminuit de pretio: nam mino-
4 ris valet † merx cum rogatur emptor, quam cum rogatur vendi-
5 tor. Vltroneæ † enim merces (vt fertur) vileſcunt, quo fit vt idem pannus pluris valeat in officina mercatoris, vbi expectantur emptores, quam in manu proxenetæ vltro eum in vijs, & plateis offerentis.

Hoc fundamento iacto reſpondeo ad caſum propoſitum, non
6 licere † mercatori vendere carius merces ſuas, quam pretio rigoroſo ob dilatam ſolutionem ad annum, nempe cum auctario nouē pro centum, immò vſuram commitere. Hæc eſt ſententia *D.Thomæ 22.q.78. art.2. in ſolutione ſeptimi, & vltimi argumenti, & q.77.art.1.Caiet.ibid.Salonis ibid.q.78.art.2.controu.16. D.Anton.2.p.tit.1.cap.8.§.1.& 4.Corradi de contract.q.59.conc.2. Scoti 4.ſent.diſt.15.q.2.art.2. Dur. Richar. & aliorum theologorum ibidem, Soti de iuſt.& iure lib.6.q.4.art.1.Lopez par.2.ſui inſtruct. cap.63.*

*cap.63.Io. Bapt. Corradi p.par. reſponſorum ad caſus q.231. Sylu. verbo vſura 2.q.1.n.1.Ludou.de Beia in ſuis reſponſionibus caſuum p.par.caſu 6.Nau.in Man.cap.17. n.206. 228.& 243.& lib.5. conſil. de vſuris conſ.*17. vbi dicit eſſe communiter receptum ab *Innoc.Hoſtienſi, Ioan.Andrea, Panormitano, & pleriſque ex alijs in c.in ciuitate,& c.conſuluit,de vſuris,& in c.ſi.eiuſdem tituli.*

Et probatur: Tum quia vendere rem pluſquam valet, illicitum, & iniquum eſt: cum non ſeruetur æqualitas inter pretium, & mercem. Mercator autem, qui propter expectatam ſolutionem vendit rem carius, quam patiatur latitudo iuſti pretij, vt iſte de quo in caſu, vendit eam pluſquam valet: quia res id tantum valet, quod in præſenti, & in tempore venditionis valet, vt habetur *l.pretia, & l. Falcidia, ff. ad legem Falcid.* Itaque iniquè vendit, & illicitum operatur.

Tum quia recipere aliquid ratione mutui ſiue realis ſiue vir-
7 tualis, eſt iniquum, & vſurarium: atqui dilatio † ſolutionis, propriè loquendo, vt apud omnes doctores eſt in confeſſo, & expreſsè aſſerit *D.Thomas q.78.citata art. 2.ad 7.* habet rationem mutui: eſt enim quoddam virtuale mutuum, quo ſcilicet mercator pecunia pro merce ſua de manu emptoris accepta, iterum illi dat mutuo vſque ad tempus ſolutionis. Mercator igitur, qui ratione dilatæ ſolutionis, & expectatæ pecuniæ rem carius vendit, nempe cum auctario nouem pro cētum, iniquè agit, & vſuram committit.

Tum quia, ſi liceret mercatoribus carius vendere pecunia credita, quam numerata, vel hoc eis liceret ratione lucri ceſſantis: vel ratione expenſarum, aut periculorum in recuperando pretium, vt aliqui volunt. Sed nullum horum eſt dandum. Non primum: quia reuera eo quòd ad creditum vendunt, non ceſſat eis lucrum: namque vendunt ad creditum; quia non inueniunt tot emptores de præſenti ſoluentes, paratique ſunt etiam ita vendere, prout commodius poſſunt. Vnde iſte, qui emit ad creditum, non eſt cauſa, quòd venditor impediatur à lucro. Non ſecundum neque tertium: quia iſta non ſunt ordinaria. Et quamuis iſta pericula eſſent ordinaria, poſſunt ſibi cauere mercatores, vel non vendendo ſic, vel expoſcendo fideiuſſores ſolutionis fideles.

Tum

Tum quia, vt rectè obſeruauit Sotus, nulla lex vel Reſpub. bene inſtituta prçſcripſit aliud maius pretium pro mercibus venditis ad creditum, quàm pro vendibilibus de præſenti numerata pecunia. ſignum igitur euidens eſt, id non licere.

Confirmatur per textum in hoc ſatis expreſſum in *cap. in ciuitate, de vſuris*, quatenus probat eum, qui vendit piper, vel cinamomum carius propter dilationem ad ſoluẽdum datam, peccare. igitur eadem ratione, qui merces vendit carius propter dilationem ſolutionis, dicetur peccare.

Item expreſſius hoc definitur in *cap. conſuluit*, *eodem titulo*, quatenus dicit, peccare negotiatorem, qui vendit rem pluris quam valet, ob dilationem ſolutionis pretij: & quatenus habet, peccare creditorem, qui, vt terminum ſolutionis faciendæ differat, accipit aliquid.

Non obſtat huic reſolutioni, ſi dicatur, qui cariùs vendit pecunia credita quam numerata, vendit iuſto pretio: illud enim eſt iu-
8 ſtum † rei pretium, quod eo modo vendendi iudicatur tale à peritis, & prudentibus in illa arte, vel eſt receptum communi vſu ementium: quòd autem res vendatur carius pecunia credita, quam numerata, iudicatur iuſtum à peritis in arte vendendi, qui ſunt mercatores ipſi, & eſt receptum iam communi vſu ementium. igitur.

Quia reſpondetur, duo eſſe genera mercatorum. Vnum eorum, qui actu negotiantur, & vendunt: & hi non ſunt recti iudices: cum nemo ſit æquus & rectus iudex in cauſa propria. Alterum eo-
9 rum, † qui aliquando vendiderunt, & deinde ceſſauerunt ab illo officio: & conſtat iam illos nec cupiditate, neque amore lucri eſſe affectos, ſed Deum timere. & hi ſunt recti iudices, qui experientia teſte damnant hoc genus vendendi, dolentq. plurimum, ac pænitet eos, quòd aliquando illud exercuerint, reſtituuntq. quicquid ſe defraudaſſe deprehendunt. Neque hic vendendi modus mercatorum cariùs ad creditum, quam in numerato, dicendus eſt vſus, ſed potius abuſus, & iniquitas; cum non ſumatur ex valore rei, ſed ex venditorum cupiditate.

Non obſtat ſecundo quòd copia emptorum pretium mercium

iuſtè auget; ſicut raritas minuit: ad emendum autem pecunia credita magna emptorum copia ſe offert. itaque auctiori pretio poſſunt ad creditum vendere, quam de præſenti.

10 Quia reſpondetur copiã emptorum † augere pretium mercium, non quamcumque, ſed eorum, qui emunt pecunia numerata: hæc enim arguit copiam pecuniæ preſentem, non verò illorum, qui emunt pecunia credita: Nam hi cum non ſtatim pretia mercium ſoluant, non dubitant frequẽter mercatoribus offerre quæcumque ab eis petuntur, quamuis ſint exceſſiua, & euidenter iniuſta.

Non denique obſtat, quòd venditori licet ſe indemnem ſeruare: vendens verò ad creditum multa ſubit incommoda Nam deſinit lucrari cum pecunia, quam alius emptor pro eiuſdem mercibus ſibi numeraret; ſubiacet etiam periculo amittendi capitale, ſi emptor fiat inops, vel decoquat, vel fiat fraudulentus. his igitur de cauſis mercator poterit auctiori pretio ad creditum vendere.

Reſpondetur enim licere quidem venditori ſe ſeruare indemnem; ſed non cum damno iniuſto alterius, vt in caſu: quia nemo debet cum alterius iniuria, vel iactura locupletari, ſecundum *regulam iuris* 48.*in* 6. Et ad motiuum de lucro ceſſante,

Dico tangere optimam difficultatem inter Doctores contro-
11 uerſam, ſcilicet an liceat † ante moram & à principio paciſci de lucro ceſſante veriſimili ſoluendo mutuatori, vel vendenti pecunia credita. Cumque vtraque pars ſuam habeat probabilitatem, Reſponderi poteſt, vel negando venditorem impediri à lucro ab emptore pecunia credita: quia eius lucrum non ceſſat, qui vendere ad creditum non cogitur, vt inquit Sotus. Vel ſi magis placet pars affirmatiua, concedendo mercatori licere augere pretium ob lucrum ceſſans, ſicut & mutuanti aliquid accipere; nam eadem
12 eſt vtriuſque ratio, quando † videlicet mercator verè poteſt ad numeratum habere pretium iuſtum, quo aliquam actionem cum lucro facturus eſt, ſed recuſat, vt ſeruiat emptori: & idem dici poteſt de periculo, quando non eſt fictum ſed verum, & prudenter timetur, quod emptor fiat pauper, atque impotens ad ſoluendum. Vel negandum tale periculum poſſe mercatorẽ ab vſuræ peccato excuſa-

excuſare, ſi carius vendat; vt negant Nauarrus, & Sotus; cum ei voluntariè ſe exponat, ac ob id iuri ſuo cedat, & in illud conſentiat.

Demum confeſſarius ſic ſe habebit cum mercatore, qui merces pluris vendidit credito, quam numerato. Accuratè inquiret, an ob dilatam ſolutionem exceſſerit latitudinem iuſti pretij, nempe pretium rigoroſum. Si reſponderit id feciſſe, declarabit illum eo vſque fuiſſe vſuræ labe infectum, tenerique ad reſtitutionem
13 illius exceſſus: quia augere pretium † ratione dilatæ ſolutionis eſt vſurarium, ſicut & accipere aliquid ratione mutui. Quod ſi dixerit, non ratione dilatæ ſolutionis, ſed vel lucri ceſſantis, vel periculi perdendi capitale ſe carius vendidiſſe credito, quam numerato: admonebit eum has cauſas, ſeu potius excuſationes plurimos Doctores non admittere; & qui recipiunt, non abſque limitationibus ſuſcipiunt, quæ rarò adſunt: caueatq. ne cũ graui damno ſuæ conſcientiæ talia pericula, vel lucra ſibi ceſſantia fingat.
14 Neue iuſtum pretium † metiatur ſecundum mercium ſumptus, & labores, ſed potius ſe conformet pretio ſori communiter currenti, ſiue inde ſibi pariat lucrum, ſiue plus, vel minus perdat: eſt enim propria mercaturæ ratio, vt damno, & lucro ſit expoſita. Et fortè contigit, vt ſumptus eius fuerint immoderati, aut quòd deceptus fuerit carius emendo: aut quòd abundantiam ſimilium mercium, quæ ad ipſum locum confluxerunt, diminuerit illarum pretium, vt notant prædicti Doctores.

SVMMARIVM.

1 *Reus iniuſtè in iudicio veritatem negans multis eſt iniurius.*
2 *Differentia inter confiſcationem bonorum, & pœnam pecuniariã.*
3 *Nemo obligatur ad ſoluendam pœnam ante iudicis condemnationem.*
4 *Repugnat iuri naturæ, quod idem in ſeipſum ſit agens, & patiens, iudex, & reus.*
5 *Repugnat rationi, vt puniatur aliquis non conuictus, nec confeſſus.*
6 *Lex, qua crimen punitur confiſcatione bonorum, eſt rigidior inter omnes leges pœnales.*

7 *Hæc lex non obligat delinquentem, vt tradat bona ſua ſtatim Fiſco.*
8 *Impediens lucrum alteri debitum in proxima potentia, tenetur ad reſtituendum, non in remota.*
9 *Negans veritatem in iudicio, primo, & per ſe impedit condemnationem delicti, ſecundario condemnationem ad pœnam.*
10 *In legibus, quæ ſtatuunt confiſcationem bonorum, à die commiſſi criminis transfertur dominium in Fiſcum, non tamen vſus, & poſſeſſio.*

CASVS XI.

HECTOR commiſit delictum dignum confiſcatione bonorum: & interrogatus à iudice ſecundum ordinem iuris, negat veritatem, quam fateri tenetur: propter quod abſoluitur à pœna, ad quam re vera, & per iuſtum iudicium fuiſſet condemnatus. *Quæritur, an teneatur in conſcientia illam perſoluere.*

1 Ad huius caſus intelligentiam aduertendum eſt, Reum † veritatem in iudicio negantem, quam fateri tenetur, bifariam conſiderari poſſe, videlicet quantum ad iniuriam, & damnum alijs illatum; & quantum ad pœnam ſoluendam. Si primo modo conſideretur, multis eſt iniurius: iudici, cui debitam negat obedientiam: accuſatori, quem infamat: ſocijs criminis, qui maiorem fortè coguntur pœnam ſubire quam ſi veritatem dixiſſet: & tandem eſt iniurius Fiſco, cui pœna eſt applicanda. Et quidem certum eſt, quod iudici tenetur de damno dato, ſi propter hoc perdidit bonum nomen, aut priuatus fuit officio; aut aliquid aliud incommodi ſubijt. Et idem iudicium eſt de accuſatore, ſi propter hoc aliquas fecit expenſas, aut fuit infamatus, nec fuit compulſus pœnam talionis ſubire. Necnon ſi ex negatione veritatis fuiſſet condemnatus innocens; aut ſocij maiorem pœnam ſubijſſent.

omnium

omnium enim iſtorum eſt vna, & eadem ratio, ſcilicet quòd eſt cauſa iniuſta omnium iſtorum detrimentorum, & ſic tenetur ad omnium illorum reſtitutionem. Et de hac reſtitutione non quæritur in caſu; ſed de ſolutione pœnæ, non cuiuſcumque, ſed pecuniariæ, vel confiſcationis bonorum: quam non ſolum infligendam minantur leges, ſed obligant ipſo facto tranſgreſſorem ad eam perſoluendam, ſtatimq. deliquens in eam incidit. Vbi etiam
2 obſeruandum, non paruam exiſtere differentiam † inter confiſcationem bonorum, & pœnam pecuniariam: quia confiſcare eſt transferre dominium bonorum à delinquente in Fiſcum; quod lex iuſtè in grauioribus criminibus poteſt: imponere autem pœnam pecuniariam eſt dare Iudici actionem, vt ea pœna reum puniat.

His expoſitis, ad caſum propoſitum reſpondendo dico; Hectorem, qui iniuſtè negauit veritatem in iudicio, propter quod abſolutus fuit à pœna, non teneri in conſcientia illam perſoluere, ac ſi de ea fuiſſet condemnatus, puta abdicare à ſe bona ſua, & tradere ea Fiſco. Hæc eſt ſententia *D. Thom. 2.2.q.62.ar.3. Aragonis, & Salonis, & Caietani ibidem, Sayri in ſua claui Regia lib.10.tract. 2.cap.15.num.4. Nauar. in Manual.cap.18.n.49. & cap.23.num.66. Sylu.verb. pœna, q.25. & ver. hæreſis, 1.q.8. num. 12. & 13. & verb. Aſſaſſinus q.5. num.4. Bañes 22. q.69. ar.2.par.2.dub.2. Maioris in 3.diſt.25.q.5. in fine, Tabien. ver. excommunicatio. 5. caſu 2. §.1. & gloſſ. ſing. in cap. Fraternitas. 12. quæſt. 2.*

Et probatur, tum conſuetudine, quæ eſt optima legis humanæ interpres. *cap. cum dilectus, de conſuetudine*, qua conſtat neminem ſoluere iſtas pœnas, licet multi in iudicio veritatem iniuſtè negent; nec vllus vnquam Theologus neganti iniunxit, vt talem reſtitueret pœnam; ſed tantum, vt pœniteret mendacij in iudicio prolati, aut periurij, ſi fuit ſub iuramento interrogatus.
3 Tum quia nullus obligatur † ad ſoluendam pœnam ante Iudicis condemnationem, vt docet *D. Thom. loco cit.* ne idem in ſeipſum ſit agens, & patiens, Iudex, & reus: quod repugnat iu-
4 ri naturæ, † quo in omni actione, & paſſione oportet diſtincta eſſe agens, & patiens. Hector autem in caſu noſtro non fuit con-

demnatus à Iudice, immo abſolutus, quamuis eſſet condemnan-
dus: non itaque ad eam ſoluendam in conſcientia obligatur.
5 Tum quia repugnat rationi, † vt quis puniatur non conui-
ctus, nec confeſſus: ſed ſi Hector teneretur in foro animæ ad ſol-
uendam pœnam à lege taxatam ſine condemnatione actuali Iu-
dicis, immò cum abſolutione; quia negauit veritatem, licèt iniu-
ſtè puniretur non conuictus, nec confeſſus: non itaque tenetur.
6 Tum quia inter omnes leges pœnales † rigidior eſt illa, qua
crimen hæreſis, & læſæ maieſtatis punitur publicatione bono-
rum; cum in ea à die commiſſi criminis priuetur reus dominio
7 bonorum ſuorum: ſed hæc lex † adeo rigida non obligat delin-
quentem, vt exoluat pœnam, nec bona ſua tradat ſtatim Fiſco;
ſed retinet delinquens illorum poſſeſſionem, & vſum vſque ad
Iudicis condemnationem, vt eſt definitum in *c. cum ſecundum leges, de Hæreticis lib. 6.* ergo nec Hector, quamuis commiſerit
delictum, confiſcatione bonorum dignum, obligatus erit ad eam
pœnam ſoluendam abſque Iudicis condemnatione.

Neque obſtat ratio, quam tangit *Sotus lib. 1. de iuſt. & iure. quaſt. 6. art. 6. concluſ. 4. in fine*, vbi obiter habet partem affir-
matiuam. Hector negando veritatem, quam fateri tenebatur,
impediuit contra iuſtitiam iuſtum lucrum Fiſci; quia impediuit
iuſtum iudicium, & iuſtam condemnationem ad pœnam, ad quã
Fiſcus habuit ius. igitur in conſcientia ad reſtitutionem, & ſolu-
tionem talis pœnæ obligatur.
8 Quia reſpondetur, Impedientem lucrum, † & bonum alteri
debitum in proxima potentia, teneri ad reſtitutionem: Fiſcus
autem ante Iudicis condemnationem non eſt in proxima poten-
tia ad receptionem pœnæ, ſed remota.

Quòd ſi accedente condemnatione reus abſconderet bona, ne
ſolueret pœnam, aut partem pœnæ, teneretur reſtituere; quia
tunc impediret Fiſcum à bono, ad quod iam eſt in proxima po-
tentia, & quaſi in actu.

Dico ſecundo, Cum lex primo, & per ſe impediat crimen, & ſe-
9 cundario imponat pœnam: qui negat veritatem † in iudicio, pri-
mo, & per ſe impedire condemnationem delicti; & ſecundario

condemnationem ad pœnam : quæ autem ſecundariò impediuntur, non ſunt reſtituenda. Sicut occidens debitorem non tenetur ad ſoluendum creditoribus debita occiſi: quia ſecundario, & indirectè ſequitur illud impedimentum.

Non obſtat ſecundo, quòd ſi Iudex per iniquitatem non condemnet reum ad pœnam lege ſtatutam, in quam incurrit, ſi tabellio in ſcriptis falſum apponat, aut relinquat verum, ſi teſtes negent veritatem, de qua iuridicè interrogantur, propter quæ reus non condemnatur ad pœnam iuſtam, ſed ab ea abſoluitur, tenentur omnes iſti pœnam, ad quam reus fuiſſet condemnatus explicata veritate, ſoluere: igitur tenetur & reus, cuius culpa, & iniuſta negatione impeditur pœnæ executio, & Iudex ne ferat in ipſum iuſtam condemnationem.

Reſpondetur enim cõceſſo antecedente negando conſequentiam: quia Iudex ex officio tenetur dicere ius, & tribuere, atque applicare pœnas Fiſco; quod niſi fecerit, tenetur ad reſtitutionem, non in pœnam delicti; ſed quia damnum intulit Fiſco, nec ſuo officio functus eſt. Et idem iudicium eſt de tabellione, & teſtibus: tenentur enim cõpenſare damnum illatum.

Nequet vrget tertio. Cum quis incidit in pœnam confiſcationis bonorum, ſtatim transfertur dominium illorum in Fiſcum, ſuntq. ex tunc bona illa Fiſci: bona autem Fiſci ipſo non conſentiente nemo poteſt retinere in conſcientia. igitur.

10 Nam reſpondetur, in legibus, † quæ ſtatuunt confiſcationem bonorum, à die commiſſi criminis transferri dominium in Fiſcum, & ideo reſcindi omnes contractus ab illo delinquente factos à die commiſſi criminis. Cæterum quamuis transferatur dominium in Fiſcum, & delinquens ipſo facto illud amiſerit, non tamen amiſit vſum, & poſſeſſionem legitimam illorum bonorum, nec tenetur illa tradere Fiſco, donec adueniat condemnatio, vt conſtat ex illo *cap. cum ſecundum leges, de Hæreticis lib. ſexto.*

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Catechiſmus quid ſit.*
2 *Impedimenta dirimentia matrimonium quot, & quænam ſint.*
3 *An per Cathechiſmum poſt Concilium Trid. contrahatur affinitas, quæ impediat matrimonium contrahendum. & n.6.*
4 *Publica honeſtas non ſolum impedit matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimit contractum.*
5 *Spiritualis cognatio propriè ſumpta, & vt impedimentum dirimens, per quæ ſacramenta contrahatur. & num. 8.*
7 *A iure antiquo non eſt recedendum, niſi quoad illud ſolum, quod in nouo eſt expreſſum.*
9 *Per ſolum Catechiſmum, non fit puer membrum Chriſti.*

CASVS XII.

IVLIVS puellam quandam domi ab obſtetrice baptizatam, tenuit parentum deſignatione in Eccleſia, cum catechizaretur, & vngeretur chriſmate; fuitq. deſcriptus in parochi libro pro compatre. Nunc vellet eam ducere in vxorem. *Quæritur, an licitè poſſit ducere, & matrimonium ſit validum, ſi ducat.*

In hoc caſu aliud quæritur, & aliud ſupponitur: ſupponitur enim eſſe aliqua impedimenta, quæ matrimonij contractum il-
1 licitum reddant: quæritur verò, an Catechiſmus, † qui eſt inſtru-
ctio articulorum noſtræ fidei explicitè credendorum, quæ à ſacerdote ſolemniter fit ante Baptiſmum, vt ait *D. Thomas in quarto ſentent. diſtinct. 6.* & habetur *in cap. Ante Baptiſmum, de conſecratione diſtinct.* 4. inter illa impedimenta connumeretur. Quantum ad primum,

Aduertendum eſt, quod matrimonij impedimenta, vt docent

Docto-

Doctores *quarto ſentent.diſt.*34. & præcipuè *D. Thom.* ſunt in 3
duplici differentia. Nam quædam ſunt impedientia, & dirimentia: quædam impedientia tantum. Dicuntur autem impedientia, & dirimentia, eò quòd faciunt, vt impediti non ſolùm contrahendo peccent; ſed etiam vt ipſum matrimonium contractum non valeat; non autem eo quòd diſſoluant matrimonium legitimè contractum ante illius impedimentum: quia nullum eſt ta-
2 le. Impedimenta verò huius generis † duodecim communiter à Doctoribus aſſignantur. Verùm poſt Concilium Tridentinum poſſumus dicere quòd ſint quatuordecim, cum duo alia fuerint addita, his verſibus contenta.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, ius, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis:
Si ſponſam rapias, ſi clandeſtinus inibis*.*
Hæc celebranda vetant connubia, facta retractant.

*Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.
*Conc. Trid. ead. ſeſſ. c. 1.

Impedimenta verò impedientia tantum dicuntur, quæ impediunt, & non dirimunt, ideſt faciunt, quod peccent, qui ita impediti contrahunt: ſed matrimonium contractum valet.

Quæritur ergo, an Catechiſmus ſit vnum ex his impedimentis vel primi, vel ſecundi generis, propter quod non liceat Iulio cum tali puella contrahere.

Qua de re *Sotus quarto ſentent. diſtinct.* 42. *quæſt.* 1. *art.* 2. pertractans videtur hærere parti negatiuæ: Quia cum illa, quæ baptiſmum antecedunt, non ſint ſacramentum, ſed ſacramentalia, fit, vt per illa nulla cõtrahatur ſpiritualis cognatio, quæ per duo ſacramenta dumtaxat Baptiſmi, & Confirmationis contrahitur: nam ſpiritualis cognatio à generatione ſpirituali enaſcitur: generatio autem ſpiritualis per Baptiſmum fit, & per Confirmationem confirmatur: Confirmatio enim nihil aliud eſt, quàm quædam augmentatio baptiſmalis gratiæ. Igitur ſi per Catechiſmum cognatio ſpiritualis non contrahitur, neque impedimentum illicitum reddens matrimonij contractum à Catechiſmo enaſcitur.

Emanuel verò Sà in ſuis Aphoriſmis confeſſariorum *ver. matrimo-*

Digitized by Google

8 *trimonij impedimēta n.*4.licet abſolutè nō neget†ex Catechiſmo affinitatem aliquam oriri inter reſpondentem,& catechizatum, negat tamen nunc extare, ſed dicit eſſe ſublatam per *Conc. Tridentinum*, fortè innuens *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de reformatione matrimonij*, vbi multitudini impedimētorum obuiare volens ſacrum Concilium, de cognatione ſpirituali, quæ in baptiſmo à ſuſcipientibus contrahitur, ſic ait: *Si alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant*. Quibus verbis videtur ſignificari non extendi cognationem ſpiritualem extra Baptiſmum, & Confirmationem: de qua idem infra dicit.

At gloſſa in *c.contracto, extra de cognatione ſpirituali*, in aliud extremum prolabitur, vt exiſtimet ex Catechiſmo cognationem ſpiritualem oriri, ideſt compaternitatem, quæ impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, ſicut dirimit illa, quæ oritur ex Baptiſmo, & Cōfirmatione. Nititur autem probare hanc ſuam opinionem duobus textibus, videlicet *cap. ſi quis ex vno*, 3. *q.* 4. & eſt Innocentij, & *c. in Catechiſmo, de conſecr. diſt.* 4. & eſt Higinij: quibus in locis æquiparantur iſta tria, Catechiſmus, Baptiſmus, & Confirmatio. Igitur per Catechiſmum contrahitur ſpiritualis cognatio eiuſdem efficaciæ cum illa, quæ contrahitur per Baptiſmum & Confirmationem, & ſic impedit, & dirimit.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitum declinando extrema, & tenendo medium: Iulio non licere ducere in vxorem puellam, quam ad Catechiſmum tenuit: ſi tamen ducet, matrimonium erit validum.

Hæc eſt ſententia *Nau. in Man. c.* 22. *n.* 40. *&* 72. *Toleti lib.* 7. *ſuæ inſtruct. cap.* 18. *n.* 3. *Petri à Ledeſma de matrim. q.* 56. *art.* 3. *Fernandi Rebelli de oblig. iuſtitiæ lib.* 3. *q.* 18. *de catechiſmo. p. par. Greg. de Valent. tom.* 4. *diſp.* 10. *quæſt.* 5 *puncto* 4. *Ricard.* 4. *ſenten. diſtinct.* 42. *art.* 1. *q.* 1. *Caiet. ver. matrim. de imped. non dirimentibus impedimen.* 4. *Armil. eodem ver. num.* 57. *Syluest. pariter ver. matrim.* 7. *q.* 4.

Et probatur tum per textum expreſſum Bonifacij VIII. c. 2. *de cognatione ſpirituali, lib.* 6. vbi ait, *Per Catechiſmum, qui præcedit Baptiſmum, ſacramentorum fundamentum, & ianuam reliquorū,*

cogna-

cognatio ſpiritualis contrahitur, per quam contrahendum matrimonium impeditur; & infra, *per illam tamen cognationem matrimonium poſt eam contractum minimè ſeparatur*. En Eccleſiæ decretum datum.

Tum per rationem perſuadentem: Quia ſicut ſe habent ſponſalia ad matrimonium, ita Catechiſmus ad Baptiſmum: nam vt in ſponſalibus fit ſponſio, & promiſſio futurarum nuptiarum, ſic in Catechiſmo fit quædam profeſſio futuri Baptiſmi: in ſponſalibus autem contrahitur quidam modus propinquitatis, ſeu affinitatis impediens matrimoniū, videlicet publica honeſtas: ergo & in Catechiſmo quidam modus cognationis ſpiritualis cōtrahitur impediens matrimonium ad minus contrahendum. & ſumitur argumentum à *D.Tho.4.ſent.d.42.q.1.art.2.ad 3.& in addit. ad 3.p.q.56.art.2.ſimiliter ad* 3. vbi per hoc verbum (*ad minus*) innuit affinitatem contractam per ſponſalia de futuro, ſcilicet publicam honeſtatem † eſſe maius impedimentum, nempe impediens,& dirimens. Quamuis Sotus loco citato contra communem Theologorum ſententiam admittat publicam honeſtatem, quæ ex ſponſalibus naſcitur, ſolùm impedire matrimonium contrahēdum, ſed non dirimere contractum: quod eſt apertiſſimè falſum.

4

Neque obſtant huic ſententiæ argumenta in contrarium adducta. Non quidem ratio Soti:quia negamus nullam cognationē ſpiritualem contrahi per antecedentia Baptiſmi, loquēdo de cognatione extēſo nomine.Et cum dicitur ſolū,per duo ſacramenta contrahi † talem cognationem,nempe per Baptiſmū, & Confirmationem, verum eſſe concedimus de cognatione propriè ſumpta, quæ impedit contrahendum,& dirimit contractum:illa autē, quæ contrahitur per Catechiſmum, tātum impedit contrahendū.

5

Neque officit dictū Emanuelis Sà, nam eadem facilitate, qua aſſeritur, eadem etiam negatur talem † affinitatem,quæ per Catechiſmum contrahitur eſſe per Conc. Trid. ſublatam:quia contrarium tenent *Nau.Tolet.Petrus à Ledeſma, Greg.de Valentia, locis ſupra narratis, & Ludou. de Beia par. 2. ſuarum reſponſ. caſu* 14. Neque à iure † antiquo eſt recedendum, niſi quo ad illud, quod in nouo eſt expreſſum; & Conc.Trid. loquitur de impedimentis

6

7

Digitized by Google

mentis dirimentibus, vt patet. Cognatio verò, quę ex Catechiſmo oritur, non eſt impedimentum dirimens, & propterea per illa verba non tollitur.

Neque tandem obſtat opinio gloſſæ, quia falſa eſt, repugnatq. decreto Bonifacij VIII. *cap. per Catechiſmum, & cap. ne dum, de cognatione ſpirituali, & Clem. 3. cap. contracto eodem titulo, &* determinationi *Conc. Trid. l. citato:* vbi cognationis ſpiritualis impedi-
8 mentum † dirimens matrimonium, contrahi tantum aſſeritur per Baptiſmum & Confirmationem.

Ad rationem eius dicitur, quod non ſit in illis locis comparatio vniuoca, quaſi ſit eiuſdem rationis, & efficaciæ impedimentum ortum ex Catechiſmo, ac impedimenta contracta per Ba-
9 ptiſmum, & Cõfirmationem: quia per ſolum † Catechiſmum non fit puer membrum Chriſti, ſed adhuc eſt membrum diaboli, & ideo non poteſt eſſe propriè ſpecialis filius, vt benè notat *Gloſſa in cap. peruenit,* 30. *q.* 1.

Quarè optimum erit conſilium, multumq. expediet, ſi quando caſus continget, quòd domi puer baptizatus ad Eccleſiam ducetur, vt ſuppleantur ſolemnitates iſtæ Catechiſmi, & exorciſmi, Parochus diſtinctè notabit in libro, ſe tantum ſuppleuiſſe illas cæremonias, quæ Baptiſmum exornant, non tamen baptizaſſe, cum ob neceſſitatem prius baptizatus fuiſſet.

Hæc dicta ſint, ſalua ſemper meliori ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Contractus emptionis, & venditionis tenet, in quo non ſit deceptio vltra dimidium.*

2 *Iuſta ſententia in fauorem alicuius prolata reddit ipſum tutum in conſcientia. limitatur n.* 13.

3 *Res tanti valet, quanti iure vendi poteſt: explicatur hoc axioma, n.* 14. *&* 15.

4 *Scienti, & volenti non fit iniuria. Quomodo intelligatur, num.* 16. *&* 17.

5 *Quicumque exceſſus iuſti pretij in venditione ſcienter acceptus, & deſe-*

& defectus in emptione collatus, etiam ſi ſit citra dimidium, peccatum mortale eſt ex ſuo genere, & cum vinculo reſtituendi.

6 *In contractu emptionis, & venditionis neutra pars debet ab alia grauari.*

7 *Præceptis naturalibus nulla lex derogare poteſt.*

8 *Ad iuſtitiam commutatiuam emptionis, et venditionis pertinet, vt ſeruetur æqualitas inter pretium, & valorem rei.*

9 *Leges, & Canones quomodo permittant in venditione exceſſum intra dimidium veri pretij, & n. 10. & 12.*

11 *Quod legis auctoritate ſit, iuſtè ſit, quomodo intelligatur.*

CASVS XIII.

HORTENSIVS cupiens habere agrum Liuij, qui poſſeſſioni ſuæ vicinus eſt, emit illum à domino ſexcentis aureis pecunia numerata; quia non poteſt eum habere pro minori pretio, quamuis re vera æſtimatione hominum peritorum non valeat pluſquam quingentos. Cumq. ſecundum leges contractus hic ſit validus, *Quæritur, an ſit etiam iuſtus, & venditor peccati immunis.*

Huic caſui facile eſſet reſpondere ex ijs, quæ præmiſimus in explicatione primi caſus præcedentis Congregationis, vbi diximus, in omni contractu emptionis, & venditionis, vt iuſtus ſit, ſeruandam eſſe æqualitatem inter mercem, & pretium, quod tunc retinetur, cum pretium non excedit valorem mercis, nec è contra; niſi cum eo coniuncta eſſet grauis illa difficultas: quo pacto, videlicet concedant leges contrahentibus, vt poſſint ſe inuicem decipere, modo non excedant dimidium iuſti pretij; An ſcilicet concedant emptionem, & venditionem citra dimidium veri pretij tanquam iuſtam, & licitam; vel ſolum permittant iure fori, non iure poli (vt dicunt); immo taliter ementes, aut vendentes mortaliter peccent, non obſtante, quod huiuſmodi læſis leges non

dent

dent in iudicio actionem, vt vel contractum reſcindere, vel damni ſibi illati reſtitutionem petere poſſint.

Qua de re tres ſunt opiniones. Prima eſt *Baldi in Authent. Ad hæc.C.de vſuris oppoſit.*21. *& Andreæ Siculi cap.* 1. *de emptione. & in addition.Baldi in iſta Authent.Ad hæc, num.*26. *& Duran. Ordinis Minor.* qui magis fuit iuriſperitus, quam Theologus, ac nonnullorum aliorum affirmantium ex legum diſpoſitione licitũ eſſe vendere, & emere citra dimidium iuſti pretij; ſed non vltra dimidium vendere, aut infra emere. Eſt autem vltra dimidium vendere, vendere vltra ſeſquialteram proportionem, quæ in ſe continet quantitatem iuſti pretij, & dimidium: vt rem, quæ valet 10. vendere eam 16. Sed infra emere, eſt emere eam quatuor; nam quinque ſunt media pars.

Et probari poteſt hæc opinio tum vtriuſque iuris auctoritate, tum rationibus. Auctoritate quidem Iuris Ciuilis: Quia *l. in cauſſæ* §. *idem Pomponius.ff. de minoribus.& l. Item ſi pretio,*§. *ſi.*
1 *ff. locati*, conſtituitur, vt ſi deceptio † non fiat vltra dimidium, contractus teneat, & ſit validus. Cum igitur leges iſtæ exceſſum intra dimidium non damnent, nec reſtitui præcipiant, videtur ſequi ſic contrahentes minimè peccare, neque reſtitutioni obnoxios eſſe. Nam quod legis auctoritate fit, iuſtè fit.

Iuris verò Canonici, cuius præcipua intentio eſt ſaluti animarum conſulere, auctoritate confirmatur. Quia *cap.cum dilecti,& cap.cum cauſa,de empt.& vendit.* approbatur huiuſmodi contractus, in quo interuenit deceptio intra dimidium iuſti pretij: ſed ſi exceſſus intra dimidium eſſet iniquus, nec legibus illis ciuilibus concederetur, vt iuſtus: nec ſaltem ius Canonicum illum approbaret: ergo non eſt illicitus.

Deinde probatur etiam rationibus. Tum quia lex humana, etiam ciuilis iuſta, obligat in foro conſcientiæ, vt affirmant graues Theologi: poteſt ergo in pœnam imprudentiæ condemnare emptorem illo exceſſu citra dimidium, & venditorem à reſtitutione liberare propter bonum commune ad tollendas lites, tradendo illi dominium: ſicut in præſcriptione, cuius lege bona alterius efficiuntur eius, qui illa per tempus à lege præſcriptum bona

fide

fide poſſidet, ob commune bonum, ne rerum dominia incerta maneant. Erit itaque ſic vendens tutus in conſcientia, nec tenebitur exceſſum illum reſtituere.

2 Tum quia ſententia iuſta † in fauorem alicuius prolata reddit ipſum tutũ in conſcientia, niſi ex falſa præſumptione procedat: ſed ſi emptor venditorem in iudicium de hac re deferat, abſoluetur venditor: ergo in tuto manet eius conſcientia.

3 Tum quia dictum illud commune, res tantum † valet, quantum vendi poteſt, intelligitur ſecundum expoſitionem multorum, quantum iure vendi poteſt; iuxta illam regulam, id poſſumus, quod iure poſſumus: ſed iure tam Canonico, quam Ciuili illud concedente in textibus iam citatis, poteſt vendi res cùm exceſſu intra dimidium: ergo qui ita vendit non peccat, neque quicquam reſtituere tenetur.

Proxima huic eſt opinio *Gerſonis in tractatu de contractibus, & in ſuis floribus* (vt refert *Sotus de iuſt. & iure lib.6. q.3. art.1.*) vbi ait, quòd huiuſmodi deceptor, ſcilicet vendens citra dimidium iuſti pretij, peccat quidem, & mortaliter, ſi exceſſus eſt notabilis: tamen ad reſtitutionem non tenetur. Et ratio ſua eſt, quia ſcien-
4 ti, † & volenti non fit iniuria.

Sed hæc opinio non minus falſa eſt, quam præcedens; imò multo irrationabilior. Nam poſtquam Gerſon cognouit eiuſmodi deceptionem delictum eſſe; quomodo ignorare potuit delictum eſſe iniuſtitiæ; cuius vtique naturale eſt delinquentem ad reſtitutionem obligare?

Tertia tandem ſententia eſt, quam amplectimur, *D.Thom.22. q.77.art.1.in ſolutione 1.arg. & in 4.ſent.diſt.15.q.3. & Gabrielis, Maioris, Scoti, & Almain, & omnium Theologorum com.ibid. Michaelis Salonis in 22.D.Tho.q.77.art.1.controu.17.Petri Aragonis, & Caiet.ibid. & in opuſc.tom.1.tract.31.c.12.D.Antonini p. p.tit.1.c.16.§.3.Soti de iuſt. & iure lib.6.q.3.art.1. Carb.de reſtit. q.52.conc.4.Adr.quodl.6.ar.3.Io.Medinæ C.de reſti.q.32.Conradi de contract.q.57.concl.1.Nau.in c.qualitas, de pœnitentia diſt.15.n. 45. & latius in c.nouit, de iuditijs, notab.6.Corrol.13.n.43.Couarr. lib.2.var.reſol.c.4.n.11.Innoc. & Felini in c.in ciuitate, de vſuris,*

Panorm.

Panorm. in eodem cap. in ciuit. & cap. quia plerique, de immunitate Eccleſiarum. Sylu. ver. emptio, q. 9. Angeli, Tabiennæ, & omnium Summiſtarum aſſerentium, quemcumque exceſſum † iuſti pretij in venditione, & defectum in emptione ſcienter acceptum, etiãſi medietatem non excedat, peccatum mortale eſſe ex ſuo genere, & cum vinculo reſtituendi.

Vnde patet reſponſio negatiua ad caſum propoſitum, nempe talem contractum non eſſe iuſtum, nec venditorem peccati immunem, neque à reſtitutione liberum.

Tum quia contractus emptionis, & venditionis pro communi
6 bono inuentus eſt: quarè neutra † pars debet ab alia grauari: grauatur autem in contractu emens à vendẽte, cum vendat agrum pluſquam valet: igitur vendens peccat, & contractus iniuſtus eſt.

7 Tum quia præceptis naturalibus † nulla humana lex derogare poteſt; quia non ſunt diſpenſabilia, ſaltem iure humano, quanto minus abrogabilia? ſeruare autem iuſtitiam in contractibus humanis eſt præceptum naturale, atque adeo diuinum; quia præceptio naturalis ab æterna lege deriuatur. ergo nulla humana lex poteſt concedere ne in illis ſeruetur iuſtitia commutatiua. Ad iuſti-
8 tiã † autem commutatiuam emptionis, & venditionis pertinet directè, & propriè, vt docet *Ariſt. 5. ethic. cap. 5. & 1. Polit. cap. 6.* vt ſeruetur æqualitas inter pretium, & valorem rei, à qua receditur euidenter per exceſſum iuſti pretij. Ergo contractus propoſitus, in quo exceditur à iuſto pretio, eſt iniquus, & venditor peccatum committit, & noxa reſtitutionis illigatur.

Tum quia ſi liceret decipere citra dimidiam iuſti pretij, pariter liceret defraudare citra dimidiam iuſtæ menſuræ, & ponderis: vt ſi quis decem modios grani vendidit, liceret ei accepto integro omnium pretio, ſex tantum tradere: nam eodem recidit decipere in pretio, & decipere in menſura: hoc autem eſt iniquiſſimum, aſſertuque abſurdiſſimum & contra illud *Deut. 25. Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius, & minus; neque erit in domo tua modius maior, & minor:* ergo & illud, ex quo ſequitur.

Tum demum, quia ſi deceptio medietatem iuſti pretij ſuperaret, obligatio inde oriretur reſtituendi: quod omnes concedunt;

tunc

tunc quæro, aut reſtituendus eſſet totus exceſſus vltra iuſtum pretium, aut nonniſi ille, qui eſt vltra iuſtum pretium cum dimidio: hoc ſecundum non eſt dicendum; ſiquidem ius etiam Ciuile reſcindit cōtractum, niſi integer exceſſus reſtituatur emptori, vt habetur expreſsè *l. 2. C. de reſcind. vend.* Si autem tunc reſtituendus eſt totus exceſſus tanquā iniquè acceptus, fit, vt in deceptione citra dimidium ſit etiā reſtituendus exceſſus, qui eſt veluti pars exceſſus vltra dimidiū. Mirabile eſt enim dictu, quòd ſi rē valentem decē emi à Liuio ſexdecim, teneatur mihi reſtiture ſex: dū autem emi eam duodecim, vel quatuordecim, nihil mihi debeat.

Neque obſtant argumenta in contrarium allata. Nam ad au-
9 ctoritates iuris Ciuilis reſpondetur † leges illas nihil minus concedere, quàm poſſe aliquid vendi niſi iuſto pretio: permittere verò exceſſum citra dimidium, non tanquam iuſtum; ſed tanquam non deducendum in iudicium: quia ſi ob quemcūque exceſſum, vel defectum, à iuſto pretio liceret contrahētibus Iudicem adire, plures profectò eſſent lites, quam contractus: ad quas tollendas conſtituunt, ne detur in iudicio actio: qua ratione ſanctiſſimę ſunt, & paci Reipub. maximè neceſſariæ. Negatur itaque conſequētia: leges iſtæ exceſſum citra dimidiū non damnant, nec reſtitui præcipiunt: ergo contrahentes non peccant, &c. Quia licèt concedāt ne contractus reſcindatur, & negent actionē in iudicio, decepto citra dimidiū; non tamen efficiunt contractū honeſtum, & licitum:
10 nulla enim eſt lex † iſtarum, quæ dicat, contractū, in quo nō ſeruatur iuſtum pretium, eſſe iuſtum; ſed ſolum non eſſe reſcindendū à iudice, nec concedendam actionē decepto. Et cum dicitur, quod
11 legis † auctoritate fit, iuſtè fit: quod videtur deſumptum ex *D. P. Aug. contra litteras Petiliani c. 79.* dicente, *Qui peccat, non peccat legis auctoritate, ſed contra legis auctoritatem*,

Reſpondet *Aragon.* quod intelligitur non de lege humana, ſed Diuina, & naturali.

Vel dicendum cū *Soto vbi ſupra*, quòd verum eſt de lege iuſſoria: ſecus autem de permiſſoria. Ille inquam, qui agit quod lex iubet, non peccat, iuſtè agit; ſecus autem de eo, qui agit quod lex humana permittit; non enim omne illud permittit Diuina:

alioqui meretrices, quæ à lege permittuntur, non peccarent.

Et ſi quis nobis obijciat inſignem Doctorem *Innoc. ſup. cap. plerique, de immunitate Eccleſiarum* generaliter dicentem, quòd quando contractus iure tenet, pars, quæ lædit, non tenetur reſtituere, quoaduſque pars læſa repetat.

Reſpondetur, quod nullatenus contra pugnat: quia loquitur ſolùm de contractibus, in quibus ius tranſlationem dominij non vetat: qua ratione lucrum ex ludo non tenetur lucrator reſtituere, niſi petatur: impræſentiarum autem iure naturali, & diuino inhibetur tranſlatio dominij.

12 Ad auctoritates iuris Canonici dicitur, quod † approbant illos contractus ſolùm quantum ad eorum validitatem, ne ſcilicet reſcindantur; non tamen vt licitos, & iuſtos: quia ius Canonicum perpetuò clamat ſeruandam eſſe æquitatem in omni contractu, maximè in emptione, & venditione.

Ad primam rationem reſpondetur, Verum eſſe antecedens de lege iuſſoria, non de permiſſoria. Et cum dicitur, quod lex humana potuit venditorem à reſtitutione liberare, tradendo illi dominium, ſicut in præſcriptione. Reſpondetur, quòd profectò iuſtè nō potuit: quia non ſubeſt tanta cauſa. Nam in præſcriptione poſſeſſor bona fide poſſidet: & ideo iniquum eſſet, vt poſt tam longi temporis moram inquietaretur, & re bona fide poſſeſſa priuaretur: ſed in venditione vltra iuſtum pretium venditor mala fide decipit, ob idq. nulla fert ratio, vt de ſua iniquitate emolumentum reportet, præſertim contra innocentem, cum nulla interueniat culpa in decepto.

13 Ad ſecundam reſpondetur, Maiorem † non eſſe vniuerſaliter veram, vt contingit in caſu, in quo Iudex venditionem approbat, non tanquam actum bonum, & iuſtum, quomodo redderet venditorem in conſcientia tutum; ſed tanquam validam, tolerandam, & non reſcindendam, relinquendo ipſam impunitam, & negando actionem petenti. Et quamuis venditor abſoluatur, ſi in iudicium vocetur ab emptore: illa tamen Iudicis abſolutio, (vt verbis *Soti* vtar) non eſt ſacramentalis.

Ad tertium reſpondetur axioma illud, Res tanti valet, quantū

iure

14 iure vendi poteſt,† intelligendum eſſe iure æquitatis & iuſtitiæ: leges autem illæ, vt rectè dixit *Syluester*, & ante ipſum *Innocen. c.in ciuit.de vſuris*, concedunt illud iure fori, non iure poli.

15 Vel dicendum ad Minorem † non eſſe conceſſum, & diſpoſitum de iure præceptiuo, vt poſſit quis accipere quodcumque pretium pro re, quam vendit, modo dimidium iuſti non excedat, ſed tantum permiſſiuo: & certum eſt, quod non omne illud, quod in iure permittitur, licitè fieri poteſt.

Ad probationem verò Gerſonis reſpōdetur, quòd etſi emptor ſciens, & volens emit, ei tamen fit iniuria ſi nō ſeruatur in venditione iuſtitia: quia pertinet ad iuſtitiam, vt res iuſto pretio venda-
16 tur, & non temerè, ac pro libito: at in libera donatione † nulla fit iniuria ſcienti, & volenti: emptor autem in caſu non dat pretium iuſtum per modum pretij, & exceſſum per modum doni: ſed totum illud per viam pretij.

17 Dicitur ſecundo, † quod Regula illa, ſcienti, & volenti non fit iniuria, valet de liberè conſentiente, & citra vllam neceſſitatem, vel coactionem: emens autem nec vult carius iuſto emere, nec dat libere illud plus.

SVMMARIVM.

1 *Iniquitas, & auaritia hominum excogitauit contractum, qui dicitur Stocholus, in quo rem carius venditam ad creditum idem Mercator vilius ſtatim emit pecunia numerata, etſi pretio iuſto. & num. 2.*

3 *Fugiendus eſt hic contractus ratione ſcandali, & ſuſpectæ iniquitatis. & n. 5. & 6.*

4 *Nonnullis tamen conditionibus ſeruatis iuſtus reddi poteſt. & num. 7. 8. & 9.*

10 *Mercator, quia vendidit mercem ſuam, non redditur deterioris conditionis, quàm ſint alijs mercatores.*

11 *Non tenetur quis pecunia indigenti ſubuenire mutuando: ſed ſatis eſt, vt ſubueniat vendendo. & num. 13.*

12 *Scandalum, & iniquitatis ſuſpicio quomodo ex hoc contractu tolli poſſit.*

CASVS XIV.

LVCIVS pecuniarum indigens, cum non valeat eas habere mutuo à mercatore, petit ab illo vendi ſibi credito de mercibus ſcuta ducenta; quas eaſdem reuendit ſtatim in numerato eidem mercatori pretio minori, quàm illas emerit; ſed tamen iuſto. *Quæritur, an mercator teneatur aliquid Lucio reſtituere.*

Circa hunc contractum, quem hominum iniquitas, & auaritia excogitauit, quique à Summiſtis, præſertim à Syluestro dici-
1 tur Stocholus,† certum eſt emptorem iſtum hac via pecuniam quærentem, vt propriæ ſubueniat indigentiæ, nullam committere iniquitatem; cum vnicuique licitum ſit contra omnem iniuſtitiam bona ſua diſtrahere. Vnde tota difficultas, & iniuſtitia circa mercatorem verſatur.

Thomas Mercatus in ſuo tractatu de contractibus, lib. 2. *cap.* 21. illum omnino damnat, non ſolum ratione ſcandali, & ſuſpicionis iniquitatis, quam ſecum huiuſmodi contractus affert, verùm etiam ex natura rei.

2 Tum quia † omnes prudentes eo audito ſtatim illum condemnant, & mercatorem ita vendentem, & reementem iniquum iudicant, nec tale iudicium temerarium cenſetur.

Tum quia hic contractus rectè conſideratus mutuum re vera eſt, & cum vſura. Quid enim aliud eſt hunc mercatorem vendere Lucio merces pretio, vt ducentum ſoluendo in fine anni, & ſtatim eaſdem emere pecunia numerata pretio, vt 180. quam dediſſe illi mutuo 180. ſcuta, recipienda in fine anni cum lucro vt viginti: qui contractus re vera eſt mutuum, & cum vſura.

Addit, quia Legibus Regni Caſtellæ, prohibetur, & interdicitur ſub grauiſſimis pœnis huiuſmodi contractus *lib.* 12. videlicet, ne

Mer-

Mercatores neque per ſe,neque per interpoſitam perſonam, neque directè, neque indirectè rurſum reemant, vel recipiant, quæ alicui ad creditum vendiderunt; quæ leges licèt non obligent extra illud Regnum, non tamen negandum eſt eas ſanctè, iuſtè, ac prudenter conditas eſſe.

Demum. Cum Lucius accipiat tales merces non indigens illis, ſed vt eas vili pretio vendat,& mercator optimè ſciat Lucium non habere voluntatem emendi,ſed ſub illo colore ſuæ neceſſitati ſubueniendi, non poteſt ex parte mercatoris eſſe vera, & realis venditio, vbi deeſt vera, & realis emptio. ſi non eſt venditio, eſt itaque mutuum: & ſic illud lucrum, quod mercator recipiet vltra datam pecuniam in reemptione mercium, erit ex vi mutui palliati quæſitum.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitum,
3 quòd quamuis contractus iſte † fugiendus ſit; attamen in rigo-
4 re † iuris, & conſiderata illius natura, ſi mercator iuſto pretio vendit,licèt rigoroſo, nec conſtituit pactum cum emptore,vt ſtatim illi reuendat, neque eo fine,& animo vendit,vt viliori pretio eaſdem merces citò recipiat,ſed bona fide:contractus iſte eſt licitus, nec tenetur mercator Lucio aliquid reſtituere.

5 Dico primò eſſe fugiendum contractum iſtum:† tum quia habet ſpeciem mali, maleq. communiter apud homines audit, vt aiunt Nauarr.& Mercatus: Nam qui intelligunt reemptionem mercium minori pretio factam,quam fuerit venditio,facilè conijciunt animum, & conſilium mercatoris non vendendi, ſed illo colore pretium rigoroſum lucrandi fuiſſe, quod aliàs non eſſet facilè lucraturus: cumq. iniquitatis ſuſpicio, & omne ſcandalum vitandum ſit, ſequitur quod hic contractus ſcandalum pariens ſit fugiendus.

6 Tum quia † mercator exponit ſe periculo infamiæ, & notæ vſurarij palliati, denuò emendo à ſe vendita pretio etiam iuſto minore illo, quo vendidit: exponere autem ſe tali periculo peccatum eſt,arg. *cap.non ſunt audiendi.* 11. *q.* 3.

7 Dico ſecundo, ſi non interuenit † pactum in venditione, ita vt obligetur Lucius eaſdem merces illimet mercatori ſtatim re-

uendere. Quia ſi pactum interuenit, vſura eſt manifeſta. Quia mercator vltra pretium mercium accipit illam obligationem emptoris, quæ pretio æſtimabilis eſt.

Et quia perinde ſe habet interueniente tali pacto, ac ſi mutuaſſet emptori pretium illarum mercium, quas ab ipſo in numerato reemit, adueniente tempore ſolutionis præfixo recipiendum cum lucro.

8 Dico tertio. Si non eo animo, & fine vendit, † vt eaſdem merces à Lucio viliori pretio ſtatim recipiat. Quia ſic, vendens mutuum potius mente exercet, ex quo lucrum expectat, quam venditionem faciat; & ſic vſuram mentalem committit. Et vtinam vtplurimum non cum iſta mala intentione, & mala fide mercatores venderent, intendentes eaſdem merces vilius ſtatim reemere, & quaſi certitudine morali ſcientes emptores illos nulli alteri eſſe vendituros, quam ipſis.

9 Dico quarto, Si iuſto pretio vendit, † quamuis rigoroſo: quia cum merces huiuſmodi certum pretium à lege illis impoſitum communiter non habeant: ſed iuſtum earum pretium ſit, quo venduntur communi vſu fori, quod latitudinem habet, diuidiq. ſolet in pium, moderatum, & rigidum, ſiue rigoroſum; quocumque illorum quis vendat, vel emat, ſemper iuſtum pretium ſeruat.

His conditionibus ſeruatis probo talem contractum in rigore iuris non eſſe iniuſtum, neque mercatorem obligatum ad aliquid Lucio reſtituendum. Tum quia mercatori huic licet emere, quod
10 alijs liceret; nullo enim iure prohibetur, nec redditur † deterioris conditionis, quã ſint alij mercatores, eo quòd res illas prius ipſe vendiderit: ſed alijs licet merces illas emere quocumque pretio iuſto vel moderato, vel pio: ergo & mercatori iſti licebit. Quod enim ipſemet prius illas vendiderit, nihil facit ad iuſtitiam, vel iniuſtitiam ſecundi contractus. non itaque erit alicui reſtitutioni obnoxius.

Tum quia mercator ſic emens nulla Lucium iniuria afficit, nec quicquam accipit ex mutuo vero, aut palliato. Nam etſi Lucius
11 eget pecunijs, & non mercibus; nõ tamen tenetur mercator † illi ſubuenire mutuando; ſed ſat eſt, vt ſubueniat vendendo: charitatis

tatis enim lex quamuis obliget ad proximi neceſſitatem ſubleuādam, non tamen cogit, vt hoc vel illo modo ſubueniamus, hoc eſt donando, aut mutuando, aut vendendo; ſed modus ſubueniendi pendet à libera voluntate eius, qui ſuccurrit, vt ſentit *Adrianus in quarto q.33.*& probat *Nauarr.in Man. cap.17. num. 61.& 62.* Cum itaque in caſu, vt ſupponimus, fuerit vtraque vera, & realis emptio, ac venditio mercium pro iuſto pretio, nihil debebit mercator Lucio reſtituere. Hæc eſt etiam ſententia *Nauarr.in Man.cap.17.num.241.& cap.23. nu.91. Beiæ par.2. ſuarum reſponſ. caſu 23. Salonis in 2.2. D. Thom.q.78.ar.2.controuerſ.7. Sylueſtri verbo, vſura, 2. quæſt. 4. & Angeli eodem verbo* §.60.

Neque obſtant huic ſententiæ argumenta in principio pro opinione Mercati adducta. Nam ad primum concedimus cum illo talem contractum ratione ſcandali, & ſuſpitionis iniquitatis eſſe vitandum; negamus tamen ex natura rei eſſe illicitum, & iniquū, quia nulli legi iuſtitiæ videtur opponi: cum pretium venditionis,
12 & emptionis ſemper ſit intra limites iuſti. Scandalum † autem omne, & iniquitatis ſuſpicio tolli poteſt, ſi mercator merces illas non emat priuſquam alijs venales proponantur: & tunc nullo alio inuento, qui velit dare pretium iuſtum, etiam infimum, ipſe ab emptore rogatus reemat: in quo caſu mercatorem condemnare, & iniquum iudicare, certe eſſet iudicium temerarium.

Ad ſecundum negatur, quòd contractus iſte rectè conſideratus ſit mutuum cum vſura, niſi interueniat pactum, & mala intentio. Et ad probationem dicitur, quod habet veritatem, quando non adſunt conditiones, quas poſuimus, quia cum adſunt, vt ſupponimus, vtraque eſt vera emptio, & venditio iuſta, & non mutuum.

Ad aliud ſumptum ex legibus Caſtellæ, concedimus leges illas, ſeu ordinationes eſſe ſanćte, & prudenter conditas, & qui eas ibi perfringit, iniquè agere: ſed cum extra illud Regnum non obligent, mercator, qui ſimpliciter merces ſuas vendidit, nullam iniuſtitiam committit, ſi poſtea, quia emptor vult illas reuendere, & non inuenit alium, qui emat, rogatus, pretio iuſto eas iterum

accipiat: nec ad reſtitutionem aliquam tenetur, ad quam ſolius legis iuſtitiæ tranſgreſſio obligat.

Ad vltimum negamus voluntatem Lucij non eſſe emendi; imò
13 cum intendat ſuæ neceſſitati prouidere, & mercator † non teneatur illi ſuccurrere per mutuum, ſed ſatis ſit, vt ſubueniat per venditionem; ideo voluntate principali, & abſoluta vult emere, quãuis ſecundaria, & conditionali vellet potius mutuo accipere. Ita enim charitas ad ſubueniendum proximo obligat, vt modus ſubueniendi, ſcilicet donatione, mutuo, venditione, aut accommodato, pendeat à libera voluntate ſubuenientis, vt ſupra oſtenſum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Parochus grauiter peccat baptizando ſub conditione puerum, quem ſcit domi fuiſſe baptizatum.*

2 *Contra reuerentiam Baptiſmo ſuſcepto debitam eſt, illum reiterare, etiam ſub conditione. & num. 3.*

4 *Non tamen qui puerum domi baptizatum ſub conditione baptizat, in irregularitatem incidit.*

5 *Actus agentium non operantur vltra intentionem eorum.*

6 *Pœnæ Eccleſiaſticæ, quæ imponuntur propter aliqua delicta, intelligendæ ſunt de delictis perfectis, & conſummatis in ſuis ſpeciebus.*

7 *Forma baptizandi ſub conditione (videlicet, Si baptizatus es, non te baptizo, &c.) ſolùm permittitur in illis, de quibus dubium eſt.*

8 *Conditio illa, Si baptizatus es &c. tollit intentionem rebaptizandi hominem baptizatum, & ſuſpendit actum. & num. 9.*

10 *Irregularitas non incurritur, niſi ſit expreſſum in iure.*

11 *Pœnæ non ſunt extendendæ, ſed potius reſtringendæ.*

CA-

CASVS XV.

QVIDAM puer, cùm periculo mortis ſubeſſet baptizatus fuit domi: quem poſtea ad Eccleſiam ductum, Parochus re cognita, ac nullum periculum imminere putans, iterum ſub conditione ſacro fonte baptizauit, inquiens, Si baptizatus es, non te rebaptizo: ſed ſi non dũ es baptizatus, ego te baptizo, &c. *Quæritur an hic Sacerdos grauiter peccauerit, & in irregularitatem inciderit.*

Duo petuntur in hoc caſu: quorum primum eſt, an Parochus grauiter peccauerit baptizando ſub conditione puerum, quem cognouit domi fuiſſe baptizatum. Secundum, an ob id in irregularitatem inciderit.

Ad primum reſpondetur, Parochum hunc grauiter peccaſſe.

1 † Quia quando conſtat hominem eſſe baptizatum ſufficienti ritu externo, ſcilicet interueniente debita forma, materia, & intentione miniſtri, quæ ſemper præſumitur, niſi aliunde ſit probabilis ſuſpitionis ratio, non ſolum peccatum graue eſt iterum baptizare abſolute, ſed etiam ſub conditione. De reiteratione baptiſmi abſolutè patet.

Tum quia eſt contra ſubſtantiam Sacramenti, quod fieri tentatur in ſubiecto incapaci: vnde fit, vt ſit etiam contra inſtitutionem Chriſti.

2 Tum quia eſt contra reuerentiã † debitam Baptiſmo, *c. ex litterar. de apoſtat.* ſignificatur .n. fuiſſe inefficacẽ, & inſufficientem.

Tum denique quia eſt contra ſignificationẽ eiuſdẽ Sacramẽti, per quod Chriſto commorimur, & conſepelimur, qui ſemel tantũ pro nobis mortuus eſt, & ſepultus: & ideo qui baptiſmum iterat, quantũ in ſe eſt, iterum Chriſtũ crucifigit, vt indicatur *ad Heb. 6.*

De reiteratione ſub conditione etiã patet. Tũ quia pariter hoc

3 modo fit magna irreuerẽtia † ſacramẽto Baptiſmi prius ſuſcepto.

Tum

Tum quia etiam illa conditio in tali caſu eſt impertinens, &
moraliter haberi poteſt pro non adiecta. Quid enim intereſt
addere conditionem, quando iam conſtat, quid in re ipſa
factum ſit?

Parochus igitur grauiter peccauit,ac magna reprehenſione eſt
dignus, cum iterum ſub conditione baptizauerit, quem ſibi con-
ſtabat eſſe priuatim domi baptizatum, quia in tali caſu debebat
ceremonias, & ritus Baptiſmi ſupplere, & ea, quæ ſunt ſubſtan-
tialia omittere.

Ad ſecundum reſpondemus negatiuè, Parochum non incurriſ-
4 ſe † irregularitatis pœnam, ſub conditione baptizando puerum
iam domi baptizatum. Probatur, quia etſi damus cum commu-
ni opinione Doctorum eum, qui bis baptizat ſcienter, vel igno-
ranter ignorantia craſſa,irregularitatem incurrere,ſiue crimen ſit
publicum, ſiue occultum (quod tamen de occulto multi graues
Doctores negant, *vt Tolet.lib.1.cap.70.nu.3.inſtruct.ſacerd. &
Suarez.3.p.D.Tho.de ſacram.diſp.31.ſect.6.dub.3.*) inde tamen
non ſequitur Parochum, qui ita baptizauit, in irregularitatis pœ-
nam incidiſſe. Tum quia, qui ſub tali conditione baptizat, non
verè dicitur baptizare,niſi poſita conditione.Cum autem in caſu
noſtro conditio ipſa adiecta non fuerit verificata, fecit ceſſare
actum illum, ac impediuit formalem rationem rebaptizationis:
vnde Parochus non incidit in pœnam rebaptizantium.

Tum quia intentio Parochi non fuit iterare Baptiſmum, cum
5 ſub ea conditione baptizauit: actus autem agentium † non ope-
rantur vltra intentionem illorum, *l. non omnis*, *ff. de rebus cred.*
igitur non fuit rebaptizatio ſimpliciter illa baptizatio cum con-
ditione, & conſequenter non induxit irregularitatem.

Tum quia pœna hæc irregularitatis tantum imponitur pro ſo-
lo actu conſummato, & perfecto rebaptizationis: quoniã huiuſ-
6 modi pœnæ Eccleſiaſticæ, † quæ imponuntur propter aliqua de-
licta, ſimpliciter, & abſolutè intelligendæ ſunt de delictis perfe-
ctis, & conſummatis in ſuis ſpeciebus: ille verò Parochi actus ba
ptizandi cum conditione,fuit imperfectus in eo ordine baptizan-
di: & ideo non ſufficiens ad contrahendam irregularitatem.

Tum

Tum demum, quia Parochus in eo facto non fuit imitator hæreticorum, vt à tali conditionata intentione proceſſit.

Hæc eſt ſententia *Nau. in Man. cap. 27. n. 246. Toleti lib. 1. ſuæ inſtruct. cap. 70. n. 4. Suarez 3. p. D. Th. de Sacramentis q. 71. ar. 4. diſp. 31. ſect. 6. dub. 1. Michaelis de Palatio in 4. diſt. 6. q. 6. col. 3. Henriquez lib. 2. de Baptiſmo cap. 31. §. 1. & lib. 14. c. 4. §. 4. Alph. Viualdi tract. de irregularitate n. 43. & p. 3. cap. 14. n. 57. & Coſmi Philiarchi lib. 4. cap. 14.*

Neque obſtant argumenta contrarium ſentientium, *Soti 4. ſent. diſt. 3. q. 1. art. 9. Graſſij lib. 3. conſ. de Baptiſmo conſ. 1. Sayri de cenſuris, lib. 7. cap. 8. n. 23. & ſeqq. & aliorum*, quòd forma hæc ba-
7 ptizandi † ſolùm permittitur in illis, de quibus dubium eſt: cum autem morali fide conſtat, aut facilè conſtare poteſt aliquẽ fuiſſe ritè baptizatum, etiam domi ab oſtetrice, facit iniuriam Sacramento, qui eum rurſum baptizat, etiam addita conditione: ergo irregularitatem incurrit, tanquam iterans Baptiſmum.

Quia reſpondetur argumentum ſolum probare id eſſe peccatum, non tamen propter illud eſſe irregularitatem impoſitam: illud enim eſt expreſſum in iure, hoc verò minimè, quia iſta non eſt rebaptizatio ſimpliciter.

Neque obſtat ſecundo ſi dicatur, illa conditio moraliter habetur pro non adiecta, cum ſit impertinens: non itaque excuſat ab irregularitatis pœna.

Quia reſpondetur quod licet illa conditio moraliter cenſeatur pro non adiecta, quantum ad hoc, quòd non excuſat à temeritate, & culpa ſacrilegij; operatur tamen aliquid, & magni momen-
8 ti eſt quantum ad hoc, quod tollit † intentionem, & ſuſpendit actum, & conſequenter facit, vt illa non ſit rebaptizatio ſimpliciter, ac denique propterea excuſat ab irregularitatis pœna.

Nec valet inſtantia: Cum conditio hæc adiecta non excuſet à temeritate & culpa ſacrilegij eum, qui cum ea baptizat, quem ſcit eſſe baptizatum: igitur neque excuſabit ab irregularitatis pœna. Nam ſi culpa iſta eſt eiuſdem rationis cum rebaptizatione ſcienter facta, vt concedunt tenentes hanc opinionem, ſequitur, quod irregularitatem inducet non minus quam illa.

Reſpon-

Reſpondetur enim negatione illationis. Et ad probationem dicitur quod licèt culpa iſta ſit eiuſdem rationis cum rebaptizatione ſcienter facta: tamen ſe habet ad illam ſicut actus imperfectus ad perfectum & conſummatum in ordine rebaptizandi: quia
9 non proceſſit † ex intentione dandi Baptiſmum homini baptizato; & ideo non induxit irregularitatem.

Quod ſi rurſum inſtetur, ſic rebaptizans rebaptizatum intentionem rebaptizandi habere conuincitur. Cur enim aliàs priùs baptizatum rebaptizat, niſi vt denuo eidem baptiſmum impendat?

Reſpondetur ſic baptizantem habuiſſe quidem intentionem baptizandi, ſed non rebaptizandi hominem baptizatum, & reiterandi Baptiſmum, quæ requiritur vt contrahatur irregularitas: quia hanc tulit illa conditio, & impediuit formalem rationem rebaptizationis.

Nec obſtat denique, quod Catechiſmus Romanus iuſſu Pij V. editus tractatu de Baptiſmo, cap. de effectibus Baptiſmi in fine, loquens de Sacerdotibus, qui Baptiſmum cum conditione illa eis tribuunt, quos exploratum habent eſſe prius domi ablutos, dicit, quòd illud quidem ſine ſacrilegio facere non poſſunt, & eam maculam ſuſcipiunt, quam diuinarum rerum ſcriptores irregularitatem vocant.

Nam reſpondetur, dictum Catechiſmi non eſſe ſententiam Canonis: & cum in *cap. is, qui, de ſententia excommunicationis,*
10 *in 6.* dicatur, quod irregularitas † non incurritur, niſi ſit expreſſum in iure; & in iure non ſit expreſſum baptizantem cum condi-
11 tione in eam incidere, neque pœnæ ſint extendendæ, † ſed potius reſtringendæ; nullum erit abſurdum recedere ab opinione Catechiſmi, & adhærere ſententiæ contrariæ, quæ eſt grauiſſimorum Doctorum, & validioribus rationibus fulcitur.

Hæc dicta ſint, ſalua, &c.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Socer volens ſoluere dotem genero, ſi hic nolit illam recipere, non tenetur ei certam penſionem dare, aut relinquere fructus pignoris.*

2 *Genero, qui ſemel accepit dotem, & illam mutuat Socero, nec penſionem aliquam annuam, nec fructus pignoris licet accipere, non computando illos in ſortem dotis.*

3 *Gener cui datur pignus fructiferum, donec ſoluatur ei dos, fructus pignoris ſuos facit.*

4 *Explicationes variæ Doctorum cap. Salubriter, de vſuris, & num. 5. & 6.*

7 *Licet genero, quamdiu non ſoluitur ei dos, quotannis certam penſionem recipere, non computando illam in ſortem principalem.*

8 *Ex natura contractus dotalis debet vir recipere vel dotem, vel aliquam rem vtilem loco dotis ad ſuſtentationem onerum matrimonij, & n. 11.*

9 *Iudices iuſta ſententia obligant ſocerum reddere aliquam annuam penſionem genero, quamdiu non perſoluit dotem.*

10 *Pecunia eſt quicquid pecunia æſtimari poteſt.*

CASVS XVI.

MVTIVS nuptui tradens filiam ſuam Claudio, conſtituit ei duo millia ſcutorum pro dote: quæ cum nequeat cuncta ad numeratum ſoluere, dat Genero mille in celebratione contractus, & alia mille ſe daturum pollicetur ad quatuor annos, & interim ei ſoluit ſingulis annis ſcuta quinquaginta ad rationem quinque pro centenario. *Quæritur an Gener tuta conſcientia poſſit illa recipere, non computando in ſortem principalem.*

Ante-

Antequam ad reſolutionem huius caſus deueniamus, præmittimus tanquam certum, quod ſi ſocer velit ſoluere † dotem integram, & gener nolit illam recipere, ſed petat, vt detur ſibi quotannis certa penſio, vel ager fructifer in pignus, ex quo fructus recipiat, ſaluo capitali, & non computando in dotem, erit apertè vſurarius. Quia nolle recipere dotem, ſed manere illam apud ſocerum, perinde eſt, ac ſi eam ſocero traderet in mutuum, & ratione illius mutui perciperet vel penſionem, vel fructus illos vltra ſortem: quod eſt vſura manifeſta. Eſt etiam certum, quod

2 ſi † gener ſemel accipiat dotem, & iterum illam mutuet ſocero eodem pacto, videlicet, vt ſoluat ſibi aliquam penſionem annuã, vel det rem aliquam ferentem fructus in pignus, non detrahendo illos à ſorte mutuata, erit magis apertè vſurarius: Nam quotieſcumque ex mutuo recipitur, ſeu ſperatur lucrum, eſt vſura.

Dubium autem, quod in caſu propoſito tangitur, eſt, an quando ſocer non ſoluit dotem genero ſaltem integram, ſed eius loco vel tradit illi certam penſionem ad tempus, vt quinque, vel ſex ſcuta pro centenario, vel dat in pignus agrum fructiferum, poſſit gener tuta conſcientia pecuniam illam, vel fructus pignoris recipere, nõ cõputando in ſortem principalem, ſeu in dotis ſolutionẽ.

Circa quas difficultates, quæ tantam inter ſe habent affinitatem, vt reſolutio vnius dependeat ab intelligentia alterius, prius pertractabimus de fructibus pignoris, (ex huius enim explicatione patebit aditus ad noſtri caſus deciſionem.) Cuius quæſtionis

3 pars affirmatiua eſt certa, ſcilicet poſſe generum † frui pignore fructuoſo, dum ſibi dos non ſoluitur, & fructus illos non computare in dotem. Eſt enim definita in *cap. Salubriter, de vſuris*, vbi Innoc. III. ſtatuit, generum recipientem à ſocero pignus aliquod fructuoſum, vt vineam, vel agrum loco dotis ſibi promiſſæ, non eſſe compellendum ad computandos fructus illius pignoris in ſortem dotis; ſed tuta conſcientia facere illos ſuos, donec promiſſa illi dos perſoluatur. Sed difficultas conſiſtit in reddenda ratione, propter quam illi fructus non debent computari in ſolutionem ſortis principalis.

Adrianus *in ſuo 4. q. de vſuris, ver. ſed dubium, Maior 4. ſent. diſt. 15.*

diſt.15.q.3.Riccar.ibid.q.5.art.5. Almainus ibid. q.2.Couarr. lib.3.variar.reſolut.cap.1.num.3. Syluester ver. vſura 3.quæſt.2. & alij, quos refert *Salon in 2.2.D. Thom.quaeſt. 78. art. 2. con-*
4 *trouer.* 14. dicunt, illos fructus poſſe generum accipere † ratione damni emergentis,& lucri ceſſantis. Damni emergentis,vt ſi gener ad ſuſtentanda onera matrimonij damnum patrimonij, & rerum ſuarū patiatur,expendendo facultates ſuas in his,quæ ex dote erant comparanda;vel cogatur quærere pecunias,propter quas ſoluere debeat vſuras,vel annuos cenſus.Lucri verò ceſſantis;quia impeditur à negotiatione, quamdiu illi dos non traditur: ſicque ratione horum facit fructus proprios, quos ex pignore recipit.

Sed hæc expoſitio reijcitur:tum quia commune eſt in omnibus cōtractibus aliquid poſſe recipi extra principale ratione lucri ceſſantis,& damni emergentis: & ſi non eſſet alia peculiaris ratio in matrimonio, fruſtra de eo fieret ſpecialis determinatio.

Tum quia iuxta hanc ſententiam, ſi nullum genero accideret damnum,aut ceſſaret lucrum,non poſſet ille fructus pignoris dotalis facere ſuos: at Papa ſimpliciter, & abſolutè concedit genero iſtos fructus, quicquid ſit de damno, vel lucro.

Tum denique,quia lucrum ceſſans ille tantum poteſt exigere, qui exercet negotia: nam qui pecuniam non habet negotiationi expoſitam,agere de lucro ceſſante non poteſt: vnde ſi gener non eſſet vir negotiator, non poſſet iſto titulo recipere fructus pignoris dotalis. Pontifex verò illos abſolutè concedit cuicumque genero,ſiue incumbat negotijs,ſiue nihil magis ſit ipſi alienum: & ita habet conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres.

Secunda explicatio eſt, quam habent idem *Adria. loco cit. Io. Med. C. de vſuris, q.2. in reſponſione ad cap.Salubriter, & Nau. in Man. cap.17.n.213.* generum poſſe accipere fructus iſtos vt
5 ſuos, † titulo donationis: præſumuntur enim donari à ſocero interim, dum dos non ſoluitur.

Sed hæc ſententia multò minus probabilis videtur, quam prima, tanquam repugnans textui. Nam Papa in illo loco cùm interrogatus fuerit de iure, nihil reſpondet de donatione, ſed quod ius, ratioque iubeat.

Quare

Quare his opinionibus miſſis, eſt tertia ſententia, & magis inter Doctores recepta,quam & nos amplectimur: quòd tantum
6 † propter onera matrimonij ſubſtinenda poteſt gener fructus pignoris dotalis accipere vt ſuos. Itaque ratio, ob quam fructus illos facit ſuos eſt, vt illis ſuſtentet onera matrimonij. Ita aſſerit *Gabr.4.ſent.diſt.15.q.11.poſt 4.concl.Caiet.22.q.78.art.2.Petrus Aragon ibid.Sot.lib.6.de iuſt.& iure q.1.art.2.ad 2.Mercatus, de contract.lib.5.cap.8.Panor. & alij ſuper d.cap. Salubriter, de vſuris*, & idem etiam tenuerat *Nau.in commentario de vſuris,n.65.* & omnes recentiores D.Thomæ interpretes: & certè hæc eſt expreſſa determinatio illius capituli:vbi poſtquam Innoc. definiuit generum poſſe recipere fructus pignoris, hanc ſui decreti veram cauſam, & germanam rationem ſubiungit: Cum dotis fructus frequenter nõ ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda. quaſi dicat, cum teneatur maritus accepta vxore, & in propriam domum ducta grauia onera matrimonij ſuſtinere, nempe vxorem & familiam alere,ad quæ ſuſtinenda fuit illi promiſſa dos; accipiens pignus fructiferum loco dotis, debet fructus illius ſuos facere, ſicut feciſſet ſuos fructus dotis:vnde habet idem ius in fructus pignoris quod haberet in fructus dotis, ſi fuiſſet illi actu exhibita.

Ex his elicitur reſponſio ad caſum noſtrum, quòd non ſolum poteſt gener, quamdiu non ſoluitur illi dos, fructus pignoris ſu-
7 mere; ſed etiam † quotannis certam penſionem recipere tuta conſcientia,non computando illam in ſortem principalem. Quæ eſt ſententia *Panor.ſuper dictum cap.Salubriter, Soti lib.6.de iuſt. q.1.art.2. circa fin. Nau.commentario de vſuris n.67.& in Man. cap.17.n.213.Graffij p.par.ſuarum deciſ.lib.2.cap.206.n.2.Ludou. Beiæ p.par. reſponſ.ad caſus, caſu 56. Toleti in ſuo inſtructorio ſacerdotum lib.5.cap.30.n.4.Caiet.22.q.78.art.2.* vbi *Petrus Aragon, & Michael Salon controu.14. Angeli ver. vſura 1.q.25.& Sylu.vſura 3.q.3. Gabr.& Maior in 4.locis ſupra citatis, Mediz. C. de reſtit. q.38. Couarr. vbi ſupra*, & aliorum plurium, quos idem Couarr. & Salon referunt: & probatur.

Tum quia vbi eadem ratio exiſtit, eadem quoque debet eſſe iuris diſpoſitio: ſed cauſa, & ratio propter quam ex natura rei li-

cet

cet genero ſumere fructus pignoris, vt determinatur in cap. ſalubriter, eſt ad ferenda onera matrimonij: ergo & ad ferenda eadem onera licebit eidem certam penſionem, vtpotè ſcuta quinque pro centenario, quotannis accipere, dum dos non ſoluitur integra.

8 Tum quia ex natura cõtractus † dotalis debet vir recipere, vel dotem, vel aliquam rem vtilem loco dotis, ex cuius fructibus leuet onera matrimonij: ergo quando genero nec dos, nec pignus aliquod fructiferum datur ad illa ſuſtinenda, iure poteſt exigere aliquam pecuniam, & annuam penſionem loco fructuum, quos ex dote, vel pignore erat recepturus: nam qui promittit dotem, ex natura contractus promittit ſimul, ſaltem implicitè, fructus dotis, & lucra, quæ cum pecunia illius dotis, vel mediocri diligentia adhibita poſſent acquiri ad leuanda onera matrimonij: illa autem penſio eſt tanquam fructus dotis, & lucrum, & ad eundem finem, quamdiu dos non datur.

Et confirmatur vſu omnium Tribunalium, & Iudicum, qui
9 obligant † ſocerum iuſta ſententia, quamdiu non perſoluit dotem, vel tradit pignus fructiferum, reddere aliquam annuam penſionem pro ratione dotis: gener itaque iuſtè eam accipit, & retinet non computando in dotem; & eo magis, cum præceſſit pactum.

Tum denique, quia cum fructus pignoris pretio æſtimabiles ſint, pro pecunia cenſendi ſunt, iuxta illud vulgare omnium phi-
10 loſophorum, & omnium nationum. Pecunia eſt † quicquid pecunia æſtimari poteſt. At ſi traderetur genero pignus fructiferum, poſſet percipere fructus illius ad onera matrimonij ſupportanda: ergo quando nihil tale illi traditur, poterit exigere aliquam pecuniam.

Neque rationes, quibus *Adrian. in quarto, q. vlt. de vſuris, Io. Andr. Ioan. de Lignara in d. cap. ſalubriter de vſuris. D. Anton. 2. par. tit. 1. §. 7. & 27.* ac non nulli alij perſuaſi ſunt oppoſitum tenere, huic ſententiæ obſtant. Nam cum dicitur, quòd onus matrimonij non valet iuſtificare iſtum contractum: ſicut nec ratione cuiuſcumque oneris iuſtificantur alij contractus, vt patet

Digitized by Google

in pignore, qui forte pro ſecuritate ſtipendij datur militi, qui quamuis teneatur familiam alere, non tamen poteſt fructus pignoris recipere vltra ſtipendium.

Reſpondetur primo, Quod alijs contractibus non ineſt per ſe, & ex natura rei onus aliquod: at contractui matrimoniali ineſt intrinſecè, & ex natura rei ipſius onus alendi vxorem, & familiam: ob quod ſubleuandum iure ipſo poteſt gener, vel fructus pignoris traditi loco dotis ſuos facere; vel lucrum aliquod ſingulis annis exigere, quamdiu non recipit dotem. Cum itaque in alijs contractibus pignorum non ſit per ſe onus familiæ alendæ, debent fructus computari in ſortem; ſecus autem in contractu matrimonij.

Reſpondetur ſecundo, ad probationem de milite, quod cum militi traditur aliquod pignus, traditur pro ſtipendijs temporis præcedentis, nondum ſolutis, & quæ ei debentur: ſicut, & cuicumque alteri creditori datur pignus à debitore in ſecuritatem debiti: non ad onera temporis ſubſequentis, & futura: quia ſi in illo munere perſeueret, recepturus eſt aliud ſtipendium pro annis ſequentibus, & propterea non poteſt percipere fructus illius pignoris. Sed in contractu matrimoniali genero confertur dos ad omnia onera futura, nec augetur illi ex progreſſu annorum, & onerum: & ideo æquiſſimum eſt, vt quamdiu illam non recipit, recipiat aliquid loco eius, ex cuius fructibus onera illa ſuſtineat.

Neque obſtat ſecundo, quod in *cap. ſalubriter, de vſuris*, ſolum habetur ſermo de fructibus pignorum, qui incerti ſunt, varijsq. fortunæ caſibus ſubſunt, quod ſignificant illa verba textus, *Cùm aliquando non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda*: minimè verò ibi agitur de quantitate aliqua in pecunijs perſoluenda, quam oportet eſſe certam: ergo illud capitulum non ſuffragatur huic ſententiæ, quæ cum nulli alij hæreat fundamento, non videtur vera.

Quia dicitur, quòd quamuis Papa non reſpondeat, niſi de fructibus pignoris: quia de his ſolum fuit interrogatus: ex eodem tamen reſponſo colligitur, quod poteſt gener alia via recipere, vnde vxorios ſumptus faciat. Cum enim Pontifex ibi affir-

met

met licere genero recipere fructus pignoris, non abſolutè, & quaſi ex eius conceſſione; ſed reddita cauſa, & ratione propter quam
11 ex natura rei illud ipſi liceat, nempe † ad ferenda onera matrimonij: ſequitur neceſſariò generum in eundem finem poſſe recipere illam pecuniam, & annualem penſionem loco fructuum, quos ex dote, vel pignore eſſet recepturus: quia, ſicut dictum eſt, vbi eadem ratio exiſtit, eadem quoque debet eſſe iuris diſpoſitio. Quod verò fructus ſubſint fortunæ, vel non, parum ad rem facit.

. Neque obſtat tertio, quòd recipere fructus ex pignore dotali, nullam ſecum fert vſuræ ſuſpitionem: accipere autem certam aliquam pecuniæ quantitatem ex dote non ſoluta; cum nulla ibi ſit inſtitutio cenſus, quia nullam confert gener pecuniam ſocero, qua cenſum emat, habet maximam ſuſpitionem vſuræ. igitur cum non ſolum cauendum ſit à malo, ſed etiam à ſuſpitione mali, contractus hic non eſt admittendus.

Nam reſpondetur negando ſecundam partem antecedentis; quia cum conſtet iuſta cauſa, propter quam gener, qui non recipit actu nec dotem, nec pignus fructiferum loco illius, exigat à ſocero quantitatem iſtam pecuniarum, nempe ad leuanda onera matrimonij, nulla inde ſequitur vſuræ ſuſpitio. Maximè cum iam illud habeat vſus omnium nationum, vt quamdiu dos non exhibetur, reddatur ad onera matrimonij ſuſtinenda, vel pignus aliquod fructiferum, vel certa aliqua pecunia, vnde illa ſuſtineantur.

Demum obſeruandum eſt, quod quæ hic dicuntur de ſocero, & quocumque alio conſtituente dotem vxori, eadem intelligenda ſunt de hæredibus illorum; cum ad debita, & obligationes maiorum teneantur quicumque hæreditaria ſucceſſione illorum bona recipiunt.

SVMMARIVM.

1 *Vnicuique licet ſuam vexationem redimere, & num.* 12. *quomodo intelligendum ſit.*

Digitized by Google

2 *A mutuatario iniuria affecto exigere propter mutuum remiſſionem iniuriæ, & vt liti cedat, interueniente pacto, illicitum eſt.*

3 *Priuare aliquem iniuria læſum ex vi mutui libertate, & iure petendi ſatiſfactionem, quod habet, iniquum eſt, ac vſuram redolet.*

4 *A lite deſiſtere, & iniuriam remittere ſecundum ſe ſunt amicitiæ ſigna eiuſdem rationis cum ipſa amicitia. & num. 8.*

5 *Mutuare alteri pecuniam cum pacto, vt teneatur deferre ſuum triticum ad molas mutuantis, vel metere ſuas ſegetes iuſto pretio, & ſimilia, vſura eſt.*

6 *Amicitiam, & beneuolentiam in communi licet mutuo quærere.*

7 *Pœna iniuriæ non debetur in foro conſcientiæ ante iudicis condemnationem.*

9 *Amicitia non recipit obligationem, & debitum, ſed eſt maximè libera, & ſpontanea.*

10 *Ex pacto naſcitur debitum ciuile, & tollitur libertas actuum.*

11 *Offenſus tenetur ad depellendum odium ex animo, non autem ad iniuriæ damnum condemnandum.*

CASVS XVII.

NICOLAVS, qui iniuria affecit Marcum eius famam, & honorem lædendo, pro quo iuſtè poſſet in iudicium vocari, pecuniæq. ſatisfactione mulctari, dat læſo, quem audit pecunia indigere, aureos centum mutuo ea lege, vt liti cedat, & iniuriam remittat. *Quæritur, an hic contractus ſit licitus.*

Notandum, pro maiori caſus intelligentia, aliquem poſſe in iudicium ab alio vocari vel iuſtè, vel iniuſtè. Si iniuſtè vocetur, certum eſt, quod ei licitum erit mutuum dare ea lege, vt

mutua-

mutuatarius liti cedat, & vexare deſiſtat. verbi gratia mouet quis aduerſus Nicolaum litem iniquam, poſtulat quod non debet, poteſt Nicolaus illi mutuare ducendo in pactum, vt deſiſtat ab illa lite: nam licèt hæc obligatio ceſſandi à lite ſit pretio æſtimabilis, & Nicolaus vtatur mutuo ad eam obtinendam: quia tamen deſiſtere à lite mutuatarius ex iuſtitia & debito tenetur, mutuans nihil pretio æſtimabile accepit pro mutuo, ſed tan-
1 tum ſuam vexationem † redimit: quod cuique facere eſt licitum. Si verò iuſte in iudicium vocetur, vt quia re vera alteri aliquid debet, haud dubium eſt, quod non licet illi mutuum dare ea conditione, vt debitum dimittat, & cedat liti: quia tunc iam petitur aliquid ratione mutui, quod eſt pretio æſtimabile: hoc autem eſt vſura.

Sed difficultas eſt, quæ proponitur in caſu noſtro, an propter mutuum licitum ſit Nicolao mutuanti exigere à Marco mutuatario, pacto interueniente, vt remittat iniuriam, & liti cedat; cum iuſtè poſſit Nicolaus in iudicium vocari, & ſatisfactione pecuniæ mulctari.

2 Cui quæſito reſpondetur negatiuè, videlicet non licere † Nicolao, qui Marcum iniuria affecit, mutuare illi cum pacto, vt liti cedat, & iniuriam remittat. Hæc eſt ſententia *Petri Aragonis, 2.2. D. Thom. quæſt. 78. art. 2. verſu, & aliud dubium circa tertiam concluſionem. Michaelis Salonis ibidem controuerſ. ſecunda, concluſione quarta, & Caietani ibidem in principio comment.* Et probatur,

Tum quia, qui ex vi mutui firmato pacto exigat à mutuatario aliquid, quod eſt pretio æſtimabile, operatur illicitum, & vſuram committit, ex communi omnium Doctorum ſententia: ſed in caſu noſtro hoc exigit Nicolaus à Marco: quia mutuando Marco iniuria læſo, qui iuſtè poteſt in iudicio agere ad ſatisfactionem temporalem, addit mutuationi pactum de
3 condonanda iniuria, & ex conſequenti priuat illum † ratione mutui, libertate, & iure petendi, quod habet, manetq. obligatus ad non petendum: quod eſt pretio æſtimabile: ergo illicitum agit, & vſuram committit.

Tum quia quamuis à lite deſiſtere, & iniuriam remittere, 4 ſecundum† ſe ſint amicitiæ ſigna eiuſdem rationis cum ipſa amicitia, & actus nobiles, qui pecunia non menſurantur; obligatio tamen Ciuilis præſtandi illa, quæ naſcitur ex pacto, eſt pretio æſtimabilis: ergo obligare mutuatarium ad iſta, vſura eſt. quod facit Nicolaus.

5 Tum quia ſi qui imponit proximo ratione mutui † obligationem rei aliàs illi non incommodæ, vt quod ad ſuum molendinũ vadat, vel ſuas operas ei locet iuſto pretio, vſuræ labe inficitur, vt ferè omnes concedunt: quomodo non magis erit fœnori ſubiectus Nicolaus, qui occaſione mutui obligationem omnino incõmodam, qualis eſt iſta, non petendi iniuriæ ſatisfactionem, Marco mutuatario imponit? perdereque facit actionem iuſtam? non enim minori pretio obligatio hæc æſtimanda eſt; imò maiori, propter maius incommodum.

6 Tum denique, quia etſi amicitiam,† & beneuolentiã in communi licet mutuo quærere, idq. explicare, & exterius exigere: tamen in particulari aliquod officium, & obſequium in pactum deducere, vt iniuriam remittere, & liti cedere, omnino eſt illicitum; quia eſt pretio æſtimabile. Experientia enim teſte, ante omnem ſententiam iudicis, qui poteſt in iudicio proclamare de aliqua iniuria, vel damno accepto, cedit quandoque illi iuri, & iniuriam illam remittit, ſumpto aliquo pretio: & qui periclitatur ſubire aliquam pœnam ob iniuriam fratri illatam, nititur ſe eximere ab illo periculo, oblata ei pecunia, cui iniuriam intulit. Ergo mutuare cum pacto, vt iniuria ſibi remittatur, & lis non inferatur, eſt illicitum, & vſuræ peccatum: cum obligatio iſta pretio æſtimabilis ſit, & pecunia menſurari poſſit.

Neque obſtat argumentum Nauarri contrarium ſentientis *in*
7 *Man. cap.* 17. *num.* 238. Quòd pœna iniuriæ † non debetur in foro conſcientiæ ante iudicis condemnationem: itaque nullum lucrum mutuans ex tali mutuo reportat, quærendo à tali pœna liberari.

Quia reſpondetur, Quamuis verum ſit, pœnam ante ſententiam non deberi, ac proinde mutuantem non teneri ad reſtitutio-

nem

nem valoris pœnæ, cuius condonationem per mutuum exigit: tenetur tamen proculdubio ad arbitrium boni viri ſoluere valorem illius ceſſionis, & obligationis, qua ad non petendum mutuatarius ex pacto ſubiectus exiſtit, vt contingit in alijs obligationibus ex mutuo extortis.

Neque obſtat ſecundo ratio *Soti lib.6.de iuſt.& iure q.1.ar.2.* Quòd honor, & fama etſi poſſunt pecunia æſtimari, at ſunt eius conditionis, & naturæ, vt iure amicitiæ remitti, & condonari ſoleant: quare illud pactum non eſt niſi amicitiæ quoddam fœdus, & nexus, ſeu confirmatio: & ſic erit licitum ex mutuo illam remiſſionem, & condonationem intendere; ſicut & amicitiam licet in pactum deducere, & exigere illam per mutuum.

8 Nam reſpondetur, quòd quamuis remiſſio iniuriæ † ſecundum ſe ſit eiuſdem rationis cum amicitia, & actus nobilis, qui pecunia non menſuratur: tamen obligatio illa ciuilis, quæ ex pacto naſcitur, eſt pretio æſtimabilis, & poteſt menſurari pecunia: quia licet viri nobiles gratis ſoleant iſta amicitiæ ſigna præſtare, alij tamen inferioris conditionis exhibent accepta pecunia, nec propterea cenſentur iniuſtè agere.

Et negatur, quod pactum illud nihil ſit aliud, quàm amicitiæ
9 fœdus: imò eſt amicitiæ contrarium: amicitia enim non † recipit obligationem, & debitum, ſed eſt libera, & ſpontanea. Vnde actus illi externi, etiamſi ſoleant præſtari ex amicitia, quampri-
10 mum interuenit † pactum, & debitum ciuile, quod ex illo naſcitur, iam non ſunt liberi, & ſpontanei, ſed neceſſarij, & debiti.

Neque demum obſtat *Syluestri* ratio, *verbo vſura primo, q.11.* Quòd mutuans læſo ſub ea conditione, & pacto, vt remittat ſibi iniuriam, & damnum acceptum, obligat illum tantum ad ea, ad quæ iam tenebatur: cum læſus vindicando ſe peccet; remittendo verò iniuriam, & damnum acceptum, ſeruet præceptum charitatis, & miſericordiæ Euangelicæ. Et ita non expetit, neque exigit propriè lucrum ex mutuo: ſed ſolum ſuam vexationem redimit, ideſt agit, vt offenſus faciat quod facere debet: quod vnicuique licet, *ex cap.dilectus, de ſimonia.*

Quia reſpondetur negando antecedens: quoniam offenſus

11 non tenetur † niſi ad depellendum odium ex animo, non autem ad iniuriæ damnum condonandum, niſi iniurians ſibi ſatisfaciat, iuxtà *Gloſſ. in cap. ſi quis contriſtatus, diſtin. 90. & in cap. & qui emendat, diſtinct. 45.* Nam vt inquit *Petrus Aragon 2.2. D. Thomæ quæſt. 25. art. 9. dub. quarto, notabili primo, & concluſ. 5. & vltimâ.* Tria eſſe poſſunt in nobis erga inimicos noſtros. Primum ira, hoc eſt appetitus vindictæ. Secundum ſigna exteriora talem iram manifeſtantia. Tertium ius petendi in exteriori iudicio illatæ iniuriæ ſatisfactionem, ſeu vt dicit *Syluest. verb. charitas quæſt. 6.* actio in foro contra iniuriantem. Licet duo prima teneatur homo remittere ex præcepto: at tertium non tenetur, niſi ille pro poſſe ſatisfecerit, vt in *dicto cap. ſi quis contriſtans aſſerit gloſſa*. Vnde ſecundum legem nullam culpam committit, qui dimiſſo odio debitam ſatisfactionem petit; quamuis valde laudabile ſit, ſi offenſus ſimul odium, & actionem, quam habet apud iudicem deponat.

Et cum dicitur, quod vnicuique licet vexationem ſuam redimere,

Reſpondetur cum *Nauarr. loco citato*, quòd illud intelligi-
12 tur † de vexatione iniuſta: at vexatio, qua iniuria affectus iniuriantem in iudicio vexat, non eſt iniuſta, iuxta *Gloſſ. in dicto cap. ſi quis contriſtatus.*

SVMMARIVM.

1 *Circumſtantiæ ſeptem actuum moralium, ſeu peccatorum explicantur.*

2 *Circumſtantia peccati quid ſit.*

3 *Circumſtantiæ ad confeſſionis integritatem ſpectantes ſunt neceſſario in confeſſione aperiendæ.*

4 *Virginitatis circumſtantiam in peccato cogitationis, & conſenſus aliqui affirmant non eſſe neceſſario confitendam. & num. 5. 6. 7. & 8. contrarium tenetur num. 9. 11. & ſeqq.*

10 *Peccatum voluntatis, oris, & operis eiuſdem ſunt ſpeciei, & ſolum differunt ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem.*

11 *Cir-*

11 *Circumſtantiæ, quæ mutant peccati ſpeciem, ex vna in aliam, ſunt neceſſario confitendæ.*

12 *Alia ſpecies luxuriæ eſt velle fornicari cum virgine, vel cum ſit virgo; & alia velle fornicari corrupta, vel cum ſit corrupta.*

13 *Conſenſus virginis in rem veneream eſt contra ſpecialem virtutem, quæ eſt virginitas.*

14 *Virginitas quid ſit ſecundum ſuam rationem formalem.*

15 *Omne ſtuprum ſiue reale, ſiue mentale, eſt diſtincta ſpecies à fornicatione ſimplici.*

16 *Carnis integritas quid ſit. & ſub num. 18.*

17 *Ratio formalis ſtupri conſiſtit in illicita virginis defloratione, qua in ea corrumpitur integritas carnis.*

18 *Conſenſus puellæ in violationem non tollit, quin corrumpatur integritas carnis.*

19 *Fœmina ſicut non habet dominium aliorum ſuorum membrorum, ita nec ſuæ integritatis virginalis, & corporalis.*

20 *In virginitatis virtute duo ſunt conſideranda, & quæ.*

21 *Vt quis ſit ſtuprator ſatis eſt, ſi extra matrimonium carnaliter cognoſcat fœminam, quæ adhuc retinet ſui corporis integritatẽ.*

CASVS XVIII.

PVELLAE cuidam ingenuæ, ac nobili accidit ſæpius mentalem conſenſum in rem veneream præbuiſſe. Et quia dum confitetur, maximo ſuffunditur pudore exprimere circumſtantiam, ſit ne virgo nec ne, eam ſilentio præterit. *Quæritur, an circumſtantiam neceſſario confitendam reticuerit.*

1 Hic obſeruandum eſt, quod inter ſeptem † circumſtantias actuum moralium, ſiue peccatorum, quas Theologi, & iuriſperiti, & præſertim *D. Thom. 1. 2. q. 7. ar. 3. & Nauar. in Man. c. 6. nu. 2.* enumerant hoc carmine comprehenſas:

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

ideſt,

ideſt, Quis eſt, qui peccauit, quantum peccauit, vbi ſeu in quo loco peccauit, quibus auxilijs, quo fine, quo modo, & quo tempore peccauit. Hæc circumſtantia, de qua in caſu quæritur; ad 1
primam ſpectat ſcilicet ad quis: quæ particula, ſeu circumſtantia nunc non ſignificat perſonam efficiētem: quoniam perſona agens
2 ad actionis ſubſtantiam pertinet: circumſtantia verò † definitur eſſe accidens humani actus: ſed ſignificat perſonæ qualitatem, ſtatum, vel conditionem, veluti ſi ſit voti religione, vel iuriſiurādi vinculo adſtrictus, vel liber. Item ſi ſit matrimonij nexu colligatus, vel ſolutus. Si ſit clericus, aut laicus, ſi virgo, aut corru-
3 ptus, ſeu corrupta. Quæritur ergo, cum teneamur † confiteri præcipuè circumſtantias ad confeſſionis integritatem ſpectantes, an hæc conditio perſonæ confitentis, nempe virginitatis circumſtantia ſit neceſſariò confeſſario aperienda in peccato cogitationis, & conſenſus puellæ in rem veneream, & copulam carnalem.

De qua re *Sotus 4. ſent. d. 18. q. 2. art. 4.* volens pudori puella-
4 rum conſulere, affirmat † non eſſe neceſſe virginitatis circumſtantiam confiteri; ideſt quod illa, quæ confitetur eſt virgo, ſi voluntas fornicandi non peruenit ad actum: quamuis rationes, quibus hāc ſuam opinionem nititur perſuadere, abſolutè probent, etiamſi actus carnalis exterior interceſſit. & ſunt hæ.

Tum quia illa circumſtantia peccati luxuriæ ſiue cogitationis, ſiue actus, eſt neceſſario confitenda, quæ ſpeciem mutat: ſed non
5 † omne ſtuprum ſpeciem fornicationis mutat: vt pote ſimplex ſtuprum, & ſine vi, cùm puella vltrò conſentit, ſaltem ſi non eſt ſub cura parentū. ergo in hoc caſu circumſtantia iſta virginitatis non eſt neceſſario explicanda; & eo minus ſi conſenſus in rem veneream non peruenit ad actum.

Et confirmatur, ex mente *D. Tho. 22. q. 154. art. 6.* vbi aſſerit non ſimpliciter de omni virgine, ſtuprum eſſe determinatam
6 ſpeciem luxuriæ, ſed de illis, † quæ ſunt ſub cura parentum; inquiens, ſtuprum importare illicitam virginum deflorationem ſub cura parentum exiſtentium.

Imò addit *Sotus* tertio, quod nec etiam quando puella eſt ſub
7 cura parentum, ſi violatur conſentiens †, eſt diſtincta luxuriæ ſpecies à

cies à ſimplici fornicatione: quia eſt domina ſui corporis in illo vſu, ſicut puer, qui vult ſponte ſuam virginitatem perdere.

Et tandem corroborari poteſt hæc opinio: quia ſimplex puellæ
8 conſenſus in actum venereum † non aufert virginitatem eius, neque cauſat ſtuprum: ergo non eſt neceſſario confitenda. Et antecedens probatur, tum quia per illum conſenſum non perditur integritas, & ſignaculum corporis, quod tamen amittitur per ſtuprum, tanquam per eius contrarium. Tum quia ſi per conſenſum illum amitteretur virginitas, ſequeretur, quòd ſi quis eam poſtea carnaliter cognoſceret, non diceretur ſtuprari eam, ſi quidem iam non eſt virgo.

His tamen non obſtantibus, reſpondetur ad caſum propoſitum
9 affirmatiuè, quòd puella, † quæ mentalem conſenſum in rem veneream præſtitit, explicare tenetur confeſſario, quod erat virgo.

Hæc eſt communis opinio. *Nau. in Man. cap. 6. nu. 8. Bartol. Medinæ in inſtruct. confeſſ. lib. 1. cap. 9. Lopez p par. ſui inſtruct. cap. 29. Azorij p. 3. inſtitut. moral. lib. 3. cap. 11. q. 3. & 5. & cap. 2. q. 8. difficultate 3. & 4. Graffij p. par. ſuarum deciſ. lib. 1. cap. 20. nu. 31. & Ioſeph Angles in ſuis Floribus in 4. ſent. p. par. q. de confeſſione art. 4. difficultate* 8. & probatur.

10 Tum quia peccata † voluntatis, oris, & operis ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſolùm differunt ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem, ſecundum *D. Tho.* 1. 2. *q.* 52. *art.* 7. & conſequenter ſtuprum mentale, quod eſt voluntas habendi copulam cum virgine, vel cum ſit virgo, erit eiuſdem ſpeciei cum ſtupro reali, quod eſt ipſa copula: at ſi quis, vel quæ copulam habuit, debet confiteri illam circumſtantiam, vt etiam ipſemet Sotus loco cit. ait. ergo etiam debet confiteri qui, vel quæ eam voluit habere, licet non habuerit.

Tum quia Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 5. *Can.* 7. declarauit, cir-
11 cumſtantias, † quæ mutãt peccati ſpeciem ex vna in aliam, neceſſario eſſe confitendas: quòd ſine illis peccata ipſa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant. Sed hæc circumſtantia, de qua loquimur, mutat peccati ſpecem: cum
12 alia ſpecies † luxuriæ ſit velle fornicari cum virgine, vel cum ſit virgo,

virgo; & alia velle fornicari cum corrupta, vel cum ſit corrupta: ſicut & fornicari cum virgine, vel cum ſit virgo, & fornicari cum corrupta, vel cum ſit corrupta.

13 Tum quia conſenſus virginis† in rem veneream eſt contra ſpecialem virtutem, quæ eſt virginitas, quia per illum perditur, licet recuperabiliter per pœnitentiam: ergo habet ſpecialem rationem luxuriæ, & per conſequens eſt circumſtantia neceſſario confitenda. Prima pars antecedentis patet, & ſecunda manifeſta-
14 tur: quia virginitas ſecundum ſuam rationẽ formalem † eſt propoſitum perpetuò ſeruandi integritatem carnis: hoc autem mente & animo perditur, cum puella in copulam carnalem conſentit.

Neque obſtant argumenta *Soti* in principio adducta. Nam ad primum negatur, non omne ſtuprum ſpeciem fornicationis mu-
15 tare: imò omne ſtuprum† ſiue reale, ſiue mentale, eſt diſtincta ſpecies à fornicatione ſimplici. Et ad probationem dicitur, quod non conſtituitur ſpeciale peccatum luxuriæ in hoc, quod corrumpatur virgo, quæ alioqui ſit nuptura, aut ſit ſub cura parentum, vel conſentiens, vel diſſentiens. Sed ex hoc, quod corrumpitur in puella
16 carnis integritas, † quæ eſt donum quoddam naturale, datum ab auctore naturæ vna cum ipſa natura corporis; & quia carnis integritas tollitur ſiue puella conſentiat, ſiue non; & ſiue ſit ſub cura parentum, ſiue libera; ideo voluntatis conſenſus puellæ non tollit rationem ſtupri.

Et ad confirmationem ex *D.Tho.* dicimus ex mente eius ratio-
17 nem formalem ſtupri † conſiſtere in illicita virginis defloratione, ſeu carnis integritatis corruptione: addere verò ibi *D.Tho.* ſub cura parentum, non tanquam conditionem neceſſariam ad rationem ſtupri, ſed aggrauantem.

Ad id, quod tertio addit, quod non eſt propriè ſtuprum, ſi violetur puella conſentiens, iam patet eſſe falſum: quia conſenſus
18 † non tollit, quin corrumpatur integritas carnis, quod eſt de ratione ſtupri. Et ad probationẽ, negatur quod fœmina habeat dominium ſuæ integritatis virginalis, & corporalis: quoniam integritas corporis eſt bonũ naturale ad corporis naturã pertinens: & ſi-
19 cut † fœmina nõ habet dominium aliorum ſuorum membrorum,

ita

Digitized by Google

ita nec ſuæ integritatis: & ideo qui corrumpit virginem conſentientem, ſtuprum facit, licet talis conſenſus iniuriam ſtupratoris attenuet, & à reſtitutione ſaltem in parte liberet.

20 Ad vltimum reſpondetur. In virtute virginitatis † duo eſſe conſideranda; videlicet, id, quod habet formalem rationem virtutis, ſcilicet propoſitum ſeruandi perpetuo carnis integritatem: & materiale, & accidentarium, quod eſt ſignaculum, & clauſtrum virginale. Quamuis conſenſus puellæ in actum venereum non auferat virginitatem eius quantum ad id, quod eſt materiale, & accidentarium in virtute virginitatis, tollit tamen id, quod habet rationem formalem virtutis: & ſic mente non eſt virgo, licèt ſit corpore. quæ carnis integritas non ſolum amittitur per ſtuprum reale; ſed etiam per copulam matrimonij licitam. Et ad proba-
21 tionem vltimam, negatur illatio: quia vt quis ſit ſtuprator, † ſatis eſt, ſi extra matrimonium carnaliter cognoſcat fœminam, quæ adhuc retinet ſui corporis integritatem.

Hæc ſint dicta ſalua ſemper meliori ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Nulli licet mutuare alteri cum pacto, vt ille ſibi in poſterum tantundem mutuet, ſiue quicquam aliud; immo fæneratitia eſt conuentio.*

2 *Variæ Doctorum opiniones de obligatione remutuandi in præſenti, num. vſuraria conuentio ſit.*

3 *Quotieſcumque in mutuo interuenit obligatio ex pacto, committitur vſura. limitatur hæc propoſitio, n. 13.*

4 *Mutuans exigens à mutuario, vt ſimul, & viciſſim aliquid aliud ſibi mutuet, bifariam poteſt ſe habere.*

5 *Licitum eſt mutuanti, ſi ciuiliter ſe obligat de præſenti ad mutuandum, obligare mutuatarium ad ſibi aliud mutuandum eodem tẽpore, dummodo ex parte rei mutuatæ ſeruetur æqualitas, & n. 9.*

6 *In vſura neceſſario intercedit inæqualitas.*

7 *Vſura eſt pretium rei mutuatæ.*

8 *Mutuans, & mutuatarius ſi viciſſim ſe obligant ad mutuandum in futurum, non interuenit vſura.*

10 *Quan-*

10 *Quando mutuator dat rem, cuius eſt copia; cum obligatione accipiendi à mutuatario rem cuius eſt inopia, non ſeruatur æqualitas.*

11 *Obligatio naturalis, qualis eſt obligatio gratitudinis, quam dicunt antidoralem, non poteſt tranſire in ciuilem, qualis eſt omnis obligatio in pactum deducta, & n. 12.*

14 *Licet venditori obligare ementem ad aliquid aliud vendendum, ſi obligatio fiat reciprocè.*

CASVS XIX.

HORTENSIVS poſtulat à Fabritio aliquot menſuras tritici: dicit autem Fabritius, mutuabo tibi triticum illud, ſed hac lege, vt ſicut ego mutuo tibi triticum, quo indiges, ita tu quoque mutues mihi oleum, quo ego egens ſum; aliter nolo tibi triticum, quod poſtulas mutuare. *Quæritur, an hic contractus ſit licitus, vel vſurarius.*

Pro huius caſus intelligentia aduertendum, communem eſſe
1 Doctorum opinionem; nulli licere † mutuare alteri cum pacto, vt ille ſibi in poſterum tantundem mutuet, vel quicquam aliud, imò fœneratitiam eſſe conuentionem, vt habet expreſsè *D. Tho.* 22. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 4. & *gloſ. ſing.* quæ eſt 2. *in cap. ſi fœneraueris,* 14. *quæſt.* 3. *Caiet. Aragon*, & *Salon. controu.* 2. & *omnes Thomiſtæ loco citato D. Thomæ*, *Sot. lib.* 6. *de iuſtitia*, & *iure*, *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 2. *Syluest. ver. vſura* 1. *quæſt.* 2. *Nau. in Man. cap.* 17. *num.* 223. cæterique Doctores communiter. Cuius rationem afferunt: quia obligatio iſta, pro quanto eſt ciuilis, eſt pecunia æſtimabilis. Quamuis enim accipiens mutuum teneatur ex debito morali ad remutuandum, quando opus erit, & poterit; non tenetur tamen ex debito ciuili, quale debitum oritur ex pacto. Cum igitur obligatio iſta ſit pecunia æſtimabilis, non poteſt ex mutuo in lucrum duci abſque vſura. Sed de

obliga-

2 obligatione remutuandi in præſenti, † num ſcilicet vſuraria conuentio ſit, mutuare aliquid ea lege, vt non in poſterum, ſed ſtatim mutuatarius mutuanti aliud viciſſim conferat, ac remutuet, verbi gratia vinum, vel oleum: variæ ſunt Doctorum ſententiæ.

Magiſter Victoria *in lectura art.2.quæſt.78.iam citata D.Thomæ*, vt referunt *Salon ibidem, & Lopez par.2.inſtructorij cap.56. q.5.* dicit maximè probabile eſſe, hunc contractum non eſſe vſurarium, ſed licere mutuanti ita exigere, & paciſci cum mutuatario. & probatur hæc ſententia.

Tum quia illa obligatio, qua quis alium obligat ad ſibi remutuandum in præſenti, ſtatim cum illi mutuat, non eſt oneroſa. Nam ſicut rogatus vendere mulam, poteſt non vendere, niſi emens accomodet ſibi equum: ſic in præſenti videtur poſſe mutuantem dicere; mutuare nolo tibi frumentum, niſi mihi mutues vinum, vel oleum.

Tum quia ſicut ſe habet ſimonia in ſpiritualibus, ita & vſura in temporalibus: àt ſi clericus poſtulet à me, vt hodie celebrem pro intentione ipſius, poſſum ſine vlla ſimonia ducere in pactum; faciam quidem, ſi tu quoque pariter celebres iuxta meam intentionem, vt docent ferè omnes Doctores. *Sot.lib.9. de iuſt.quæſt.5.art.2.ad 3.in fine, Maior in 4. diſt.25.quæſt.6. conc.1.Aſtenſ.in ſum.lib.6. tit.55. art.3. Angelus ver.ſimonia 2. num. 32. Sylueſt. eodem verb. quæſt. 16. Aragon 2. 2. D. Thom. quæſt. 100. art. 1. Salon quæſt. 78. art. 2. controu. 3. & Azor. 3. par. inſtitut. moral. lib. 12. cap. 3. quæſt.* 2. Nam huiuſmodi pactum non eſt iure prohibitum, quia ſimpliciter non commutatur ex pacto vnum Miſſæ ſacrificium cum alio; ſed obligatio vnius ſacerdotis, cum obligatione alterius ſacerdotis. Ergo licet ſimiliter citra omnem vſuræ labem, cum Hortenſio poſtulante à Fabritio triticum, conſtituere hoc pactum: mutuabo tibi triticum, ſi tu etiam mutues mihi oleum, & non aliter.

Tum ex *D.Thoma 22.quæſt.78. art.2.ad* 4. vbi habet, quòd licet ſimul mutuanti vnum, aliquod aliud mutuum recipere: non

autem licet eum obligare ad mutuum faciendum in poſterum. Si itaque licet mutuanti ſtatim aliquod aliud mutuum à mutuatario accipere; licebit etiam nolle mutuare, niſi mutuatarius eodem tempore remutuet.

Oppoſitum docent *Sotus lib.6. de iuſt.q.1. art.2.ad 2.Aragon. 22. D.Tho.q.78.art.2. dub.1. caſu 3. Azor.par.3. inſtitut. mor. lib.5.cap.7.q.5.& Rebellus, de obligationibus iuſtitiæ, lib.8.cap.8.* & nonnulli alij aſſerentes, neque ipſo tempore mutui licere obligare mutuatarium ad remutuandum. quod ita probant.

3 Tum quia quotieſcumque in mutuo † interuenit obligatio ex pacto, committitur vſura: quia talis obligatio cum ſit ciuilis, tollit libertatem, & pecunia æſtimabilis eſt: ſed qui mutuat hac ratione, etiam ſi exigat illud mutuum in præſenti, obligat mutuatarium, & ex pacto. vſuræ itaque labe inficitur.

Tum quia ſi liceret obligare ipſum mutuatarium ad remutuandum in præſenti, liceret quoque obligare ementem ad aliquid aliud vendendum in præſenti; cum obligare ad vendendum non ſit maior obligatio, & magis oneroſa, quam obligare ad mutuandum: at hoc non licet: quia cum omnis obligatio ciuilis ſit pecunia æſtimabilis, obligare ementem ad aliud vendendum, eſt exigere ab eo præter iuſtum rei pretium aliquid aliud pecunia æſtimabile: quod eſt iniquum, & iniuſtum. ergo neque illud licitum eſt.

Tum quia ſi mutuare alicui ſub obligatione, vt aliquid in poſterum mutuet, vel faciat, eſt vſura: quoniam tunc mutuans vltra ſortem accepit illam obligationem, quæ eſt pretio æſtimabilis: pariter erit pretio æſtimabilis obligatio remutuandi ſtatim: cum hæc obligatio non minus tollat libertatem, quàm illa.

Nec D.Thomas contrarium dicit: Nam loquimur ſolùm de eo, qui ſtatim gratis, & non ex conuentione alterum mutuum recipit: quod eſt licitum, inquit Aragon. Imò potius D.Thomas huic ſententiæ fauere videtur; non enim dicit, licere mutuanti obligare mutuatarium ad aliud mutuandum de præſenti; ſed ſolùm dixit, licere accipere: vbi conſultò vſus eſt voce, accipere, quia quamuis liceat accipere, non tamen licet obligare.

In hac

In hac opinionum contrarietate potius in verbis, quam in re exiſtente, obſeruandum eſt, antequam ad caſus noſtri propoſiti reſolutionem veniamus; mutuantem, qui exigit à mutuatario, vt
4 ſimul, & viciſſim aliquid ſibi mutuet, † bifariam poſſe ſe habere: aut ita, vt velit obligare illum ad mutuandum, ipſe verò manere liber: aut ita, vt ſicut obligat mutuatarium ad mutuandum ſibi, ita quoque ipſe mutuãs ſimul ciuiliter ſe obliget ad mutuandum illi, quod poſtulat. Rurſum, res quam poſtulat à mutuatario, aut talis eſt, quæ reſtituetur illi omnino æquiualens, & ſine vlla valoris diminutione; aut reſtituetur illi cum aliqua valoris imminutione; vt contingit in mutuatione tritici, vel olei, quando eorum eſt copia, & abundantia; & reſtitutione, cum eſt inopia.

His poſitis reſpondemus ad caſum, quòd ſi Fabritius mu-
5 tuans † ſe ciuiliter obliget de præſenti ad mutuandum Hortenſio frumentum, licet ei obligare Hortenſium, vt ſibi eodem tempore mutuet oleum, dummodo ex parte rei mutuatæ ſeruetur æqualitas: at ſi viciſſim non ſe obligent, contractus eſt illicitus, & vſurarius.

Prima pars probatur argumentis primæ opinionis, & cõfirma-
6 tur. Tum quia in vſura † neceſſario intercedit inæqualitas: nam mutuans ſolum confert vnum, nempe ſortem; mutuatarius autem reddit duo, nempe ſortem, & lucrum, vel aliquid aliud pretio æſtimabile. Sed quando obligatio eſt mutua, & reciproca ex parte vtriuſque, nulla interuenit inæqualitas; cum tantum recipiat mutuans, quantum contulit mutuatario, & nihil amplius: quia ſi mutuatarius confert duo, nempe & rem mutuatam, quam reſtituet, & obligationem illam mutuandi; mutuans tantundem illi exhibet, nempe & rem, quam mutuat, & obligationem, qua viciſſim illi ſe obligat. non itaque eſt vſura.

7 Tum quia vſura eſt pretium † rei mutuatæ: in hoc autem caſu mutuans nullum rei mutuatæ pretium exigit: nam ſi quod exigeret, certe illam obligationem, qua tenetur mutuatarius illi remutuare: ſed in hoc caſu illa obligatio non eſt pretium rei mutuatæ, ſed pretium ſimilis obligationis, cui ſe pariter deuin-

cit ipſe mutuans: ergo non eſt vſura, cum in obligatione ſint pares.

8 Tum denique, quia ſi vterque viciſſim ſe obligaret † ad mutuãdum in futurum, non eſſet vſura: quia eſſet æqua obligatio, ac æquale grauamen, & periculum damni, vel commodi: ergo neque erit vſura aliqua, quod vterque ſe ſimul obliget in præſenti: cum in hoc contractu æqua ſit ſimiliter obligatio, & grauamen.

Hæc eſt ſententia *Salonis in 22. D. Tho. q. 78. art. 2. controu. 3. Lopez par. 2. ſui inſtructorij cap. 56. q. 5. Azor. 3. par. inſtitut. mor. lib. 7. cap. 7. q. 5.*

Secunda pars, ſcilicet, quòd ſeruanda ſit ex parte rei mutuatæ æqualitas,

9 † probatur: quia ſi ex parte rei mutuatæ non ſeruetur æqualitas, aperta eſt iniuſtitia, cum inuſtitia in æqualitate conſiſtat, & ſic contractus eſt illicitus: eſt etiam vſurarius, cum lucrum hanc inæqualitatem cauſans proueniat ex mutuo.

10 Contingit autem iſta inæqualitas † ex parte rei mutuatæ, quando mutuator dat rem, cuius eſt vbertas, & copia, cum obligatione accipiendi à mutuatario rem, cuius eſt inopia: tunc enim accipit aliquid maiori pretio æſtimabile, quam ſit id, quod ipſe confert: vt ſi Fabritius mutuet Hortenſio triticum, quod propter abundantiam præſentem non valet niſi vt ſeptem, neque deinceps minoris valebit, ſed fortaſſe pluris: oleum autem, quod ab Hortenſio exigit, ob præſentem penuriam valet vt decem; tempore autem quo reſtituetur, forte non valebit niſi, vt ſex, vel ſeptem. Propter iſtam igitur inæqualitatem ex parte rei mutuatæ hic contractus eſt illicitus, & vſurarius.

Reduci autem poſſet ad æqualitatem iſta conuentio, ſi qui mutuat rem cuius eſt inopia; de damno paciſceretur: nam poteſt licitè ſuæ indemnitati conſulere, vt docet *D. Tho. 22. q. 78. art. 2. ad 1.*

Tertia pars, videlicet, ſi non ſe viciſſim obligant, contractus eſt illicitus, & fœneratitius, probatur argumentis ſecundæ opinionis, quæ in iſto ſenſu rectè concludunt: quia ſic mutuans recipit vltra ſortem aliquid pretio æſtimabile vi mutui, nempe illam obligationem remutuandi.

Neque

Neque obſtat, ſi dicatur, omnis obligatio, & onus, quod ex natura ineſt rei, poteſt in pactum deduci: mutuatarius autem iure naturali ex honeſtate, & gratitudine tenetur mutuatori recompenſare beneficium, etiam ſi libere mutuauit: ergo abſque vſura poteſt mutuator hanc iuris naturalis obligationem in pactum deducere.

Quia reſpondetur ad Maiorem, quòd cũ duplex ſit obligatio,
11 videlicet naturalis,† qualis eſt obligatio beneuolentiæ, & gratitudinis, ſeu honeſtatis, quam doctores vocant antidoralem, ſeu ad antidora, qua tenetur quis beneficia beneficijs cõpenſare; & obligatio ciuilis, ſeu legalis, quæ cũ tollat libertatẽ, pretio eſt æſtimabilis: obligatio naturalis non poteſt tranſire in ciuilem, qualis eſt omnis obligatio in pactum reducta: neque debitum iure beneuolentiæ, & gratitudinis in debitum lege iuſtitiæ. Quare vſurariũ lucrum eſt, ſi naturali obligationi ciuilis addatur: quia tunc obligatione pecunijs æſtimabili alterũ mutuator ſibi obſtringit, & plus ſorte ex pacto exigit. Maior itaque non eſt vera in propoſito: quia obligationi naturali ad antidora repugnat ciuilis obligatio, quæ oritur ex pacto. Et ad Minorẽ dicitur, quod dupliciter quis tenetur ad recompenſationem beneficij: vel ex debito iuſtitiæ, & ſic mutuatarius tenetur ſolùm tantum reddere, quantum mutuo ac-
12 cepit: vel ex debito amicitiæ, & gratitudinis, & tali debito † non competit ciuilis obligatio, per quam inducitur quædam neceſſitas, vt non ſpontanea recompenſatio fiat. ex *D. Thom. hic ad ſecundum, & Azor. p. 3. inſt. moral. lib. 7. cap. 7. q. 5.*

Neque etiam obſtat, ſi arguatur à ſimili: Sicut nulla eſt ſimonia, ſi beneficium Eccleſiaſticum conferatur Hortenſio cũ pacto, vt ſe obliget ad onera, quæ ſunt illi beneficio annexa: ſic non eſt vſura, ſi eidem Hortenſio quis mutuet eo pacto, vt illi remutuet, ſicut tenetur iure naturali illi benefacere.

Nam reſpondetur non eſſe ſimile: quia onera illa annexa ſunt beneficio, vt debita ex iuſtitia, & non ex charitate ſola, ſiue honeſtate: vnde neceſſario ratione beneficij tenetur illa ſubire. At mutuanti remutuare tenetur mutuatarius ſolùm ex honeſtate, & gratitudine, non lege iuſtitiæ: quia ſic ſo-

Digitized by Google

lum tenetur ei tantum reddere, quantum mutuo ab eo accepit.
Supereſt tandem argumentis ſecundæ opinionis ſatisfacere, quatenus videntur cõtra noſtram caſus reſolutionem militare. Vnde

Ad primam rationem, in qua dicitur, quotieſcumque in mutuo interuenit obligatio ex facto, committitur vſura. Reſponde-
13 tur † veram eſſe propoſitionem, ſi talis obligatio ex pacto non
fiat reciprocè: atqui ſi reciprocè fiat, itaut vterq. ad mutuandum ſibi inuicem in æquali quantitate, & non vltra, maneat obligatus, non eſt vera; & hoc ſecundo modo ſuſtinemus licere mutuatarium ad remutuandum obligare.

Ad ſecundam reſpondetur concedendo Maiorem, nempe lice-
14 re † venditorem obligare ementem ad aliquid aliud vendendum,
ſi obligatio fiat reciprocè, vt vendam tibi triticum, ſi vendas mihi oleum. Et cum dicitur in probatione Minoris, obligare ementem ad aliud vendendum, eſt exigere ab eo præter iuſtum rei pretium aliquid aliud pretio æſtimabile. Reſpondetur, quod illa obligatio non eſt pretium rei venditæ, vt tritici: ſed pretium ſimilis obligationis, cum fiat mutua obligatio.

Et per hæc patet reſponſio ad tertium.

SVMMARIVM.

1 *Duplex obligatio, qua quiſpiam fieri poteſt reſtitutioni obnoxius, ciuilis ſcilicet, & naturalis, & quæ ſit vtraque.*

2 *Naturalis obligatio contrahitur ex tribus radicibus, videlicet ex iniuſta rei alienæ acceptione, retentione, & cauſa data iniuſtæ acceptioni, vel retentioni.*

3 *Nouẽ modi, quibus quis dat cauſam, vt aliquis alterũ damnificet.*

4 *Qui ſolùm iubet famulis ſuis, vt aliquem occidant, non tenetur ad reſtitutionem pecuniæ, quam poſtea ſurripiunt.*

5 *Mandans non tenetur ex mandato, cum mandatarius mandati limites exceſſit, quos obſeruare facillimum ei fuit.*

6 *Damnum, quod nullo modo eſt volitum, non eſt reſtituendum.*

7 *Vbi mandatum, licèt illicitum, non dirigitur in aliquod delictum per ſe, aut immediatè, non tenetur mandator de delicto illo ſequuto. & num. 8.*

9 *Regu-*

9 *Regula illa, ſi culpa tua damnum datum eſt, iure te ſatisfacere oportet: quomodo intelligenda eſt.*

10 *Quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: quando vera eſt propoſitio hæc.*

CASVS XX.

PAVLVS quibuſdam ſuis famulis mandauit, vt Ioannem interficerent, & ſtatim effugerent, data illis pecuniarum ſumma: iſti non modo Ioannem interemerunt, ſed etiam ex eius crumena centum aureos ſurripuerunt: cuius furti nunc conſcius Paulus, diſplicet ei plurimum, agitq. cum homicidis, vt reſtituant, ſed operam ludit. *Quæritur, an Paulus in foro animæ teneatur ad illud damnum compenſandum, videlicet ad illos centum aureos ſoluendos.*

Antequam ad caſus reſolutionem veniamus, animaduertendum eſt cum *Io. Medina C. de rebus reſtituendis, q. 2. dub. 6.* Bifa-
1 riam poſſe quempiam † ad reſtitutionem obligari, nempe obligatione ciuili, & obligatione naturali. Obligatio ciuilis eſt, qua contra obligatum in iudicio agi poteſt: & hæc multipliciter contrahitur; ſcilicet verbis, litteris, & re. Verbis quidem, & litteris, vt in ſtipulatione, aut promiſſione. Re autem dupliciter contrahitur, videlicet ex delicto, vt ex furto, rapina, extorſione; & ex contractu, vt ex mutuo, commodato, depoſito, &c. de quibus latè pertractant Iuriſtæ *lib. 3. Inſtitutionum iuris ciuilis.*

Obligatio ſecunda eſt naturalis, & currit in foro conſcientiæ,
2 etiamſi contra obligatum in iudicio agi non poſſit. Et hæc † ex tribus radicibus contrahitur, loquendo de obligatione reſtituendi rem aliquam, ſcilicet ex iniuſta rei alienæ acceptione: ex iniuſta rei alienæ retentione: & ex cauſa data iniuſtæ

acceptioni, aut retentioni, vt fur, raptor, vſurarius reſtitutioni obnoxij ſunt primo modo. Moroſus debitor, qui, ex quo incipit eſſe in mora, eſt iniuſtus rei alienæ detentor, etiamſi rem primò non iniuſtè, ſed de voluntate domini acceperit, vt patet in re ad certum tempus mutuata, vel commodata, ad reſtitutionem obligatur ſecundo modo. Tertio hi aſtringuntur, qui verbo, aut opere dant cauſam, vt aliquis alterum damnificet, rem eius accipiendo, ſeu retinendo, quales communiter his verſibus notari ſolent.

3 † *Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,*
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans,
Currere cum fure faciunt, furtiq. reatum.

De quibus ait Pſalmiſta. *Si videbas furem, currebas ſimul cum eo.* Et quia Paulus verbo, mandando ſcilicet, cauſam præſtitit neci Ioannis, ex qua interfectores furtum faciendi occaſionem ſumpſerunt: meritò quæritur, an dictus Paulus teneatur ad tale damnum recompenſandum, & ad reſtitutionem illorum centum aureorum furto oblatorum, ſicuti ipſi fures tenentur.

Pro parte affirmante facit primo *cap. fin. de iniurijs, & damno dato,* vbi dicitur. *ſi culpa tua damnum datum eſt, iure te ſatisfacere oportet*: igitur cum ex culpa iuſſionis homicidij damnum hoc datum ſit, & furtum exortum, videtur quod ad ſatisfaciendum iubens Paulus ſit obligatus. Qui enim occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur, dicitur ibidem.

Secundo facit *cap. is, qui mandat, de homicidio, lib. 6.* vbi definitur, mandantem, aliquem verberari citra mortem, ea ſequuta, fieri irregularem ex homicidio; cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire poſſe debuerit cogitare. Igitur cum mandans teneatur ad ea, in quibus mandatarij excedunt fines mandati, vt patet ex allato decreto, ſequitur Paulum teneri ad reſarciendum damnum datum, nempe ad reſtituendum aureos illos centum, quos mandatarij è crumena Ioannis interfecti ſurripuerunt.

Tertio, facit vulgata illa propoſitio, *Quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.* Cum igitur Paulus fuerit homicidij cauſa; vnde cauſatum eſt furtum: nam ſi nõ occidiſſent Ioannem eius famuli, tale

tale furtum non commiſiſſent;ſequitur,quod fuerit etiam cauſa furti, & per conſequens ad reſtitutionem tenetur.

His tamen non obſtantibus, ad caſum propoſitum reſpondeo
4 negatiuè: Cum Paulus † non ea mente, & voluntate iuſſerit ſuis famulis Ioannem occidere, vt ab eo deinde auferrent centum illos aureos, neque de eis ſurripiendis aliquid cogitauerit, nequaquam in foro animæ ad eorum reſtitutionem eſt obligatus. quod probatur.

Tum quia in *l. diligenter, ff. mandati*, habetur, mandatorem
5 tunc † ex mandato non teneri, quando mandatarius mandati fines exceſſerit. Quod intelligendum eſt cum hac limitatione ſecundum *Baldum in l. Non ideo minus, C. de accuſationibus, & Azor. 3. par. inſtitut. Moral. lib. 2. cap. 8. notab. 5. & Couarr. in Clemen. Si furioſus, de homicidio, par. 2. §. 1. num. 2.* & alios ab eo ibi citatos, videlicet, ſi in poteſtate mandatarij eſt ſeruare mandati fines: vt ſi mandator iuſſerit mandatario, quòd Sempronium extra prætorium percutiat, vel occidat: is vero illum intra prætorium percuſſerit, vel occiderit, tenebitur quidem mandator de percuſſione, ſeu occiſione facta extra prætorium; non autem de ea, quæ intra pretorium contigerit, nec de damnis inde ſequutis: quia in poteſtate fuit mandatarij, immo ei facillimum mandati fines, & limites obſeruare. At non minus in caſu noſtro fuit in poteſtate famulorum Pauli ſeruare mandati formam, ac limites, nempe occidere Ioannem, & non furari. Cum igitur non ſeruauerint, non tenetur Paulus mandans homicidium ſolùm, compenſare damnum ex furto illatum.

6 Tum quia damnum, † quod nullo modo eſt volitum, non eſt reſtituendum: nam cauſa damnificans eſt agens ſecundum intentionem: furtum autem illud nullo modo à Paulo fuit volitum; non in ſe, & directè, vt ſatis patet: nec etiam in cauſa: cum homicidium illud non ſit ex ſe directum, & ordinatum in tale furtum; nec iſta duo delicta inter ſe neceſſariam connexionem habeant, ita vt vnum ſequatur, aut dependeat ex natura ſua ab alio, ſicut effectus à cauſa. Non itaque tenetur Paulus ad illud damnum compenſandum.

7 Et confirmatur, quia vbi mandatum † licèt illicitum, non ten-
dit, nec dirigitur in aliquod delictum per ſe, aut immediatè, non
tenetur mandator de delicto illo ſequuto . Quod declaratur
8 exemplo, vt ſi quis iuſſerit † aliquam fœminam rapi cauſa libidi-
nis , & mandatarius in raptu ipſam fœminam occiderit , non te-
nebitur de hoc homicidio mandator, quamuis teneatur de raptu:
ſiquidem raptus cauſa libidinis ſit, nec dirigitur ad ipſius mulie-
ris occiſionem immediatè , nec per ſe , licèt per accidens fuerit
ipſa fœmina occiſa. ita reſpondet *Dec. in conſ. 234. col. vlt. & Co-
uarr. vbi ſupra* cum alijs ibi ab eo citatis. Cum igitur homicidium
quod Paulus fieri mandauit cauſa vindictæ , non tendat , nec di-
rigatur ad furtum illorum aureorum 100. nec immediate, nec per
ſe, licet per accidens factum fuerit, non tenebitur mandator de
delicto furti ſequuto. Hæc eſt ſententia *Azorij 3. par. inſtitut. mor.
lib. 2. c. 8. not. 5. Beiæ 2. par. ſuarum reſponſionum caſu* 27. *Couarr.
Decij, & aliorum locis ſupra citatis*.

Neque obſtant argumenta in principio allata pro parte affir-
mante : quia ad primum reſpondetur cum *Salone* 22. *quæſt.* 62.
art. 7. *in explicatione litteræ*, quòd illa regula iuris , Si culpa,
9 tua &c. † intelligenda eſt de cauſa efficaci , & mouente . Modo
Paulus iubens homicidium non fuit efficax cauſa , & mouens re-
ſpectu furti , ſed tantum homicidij . Et ad id quod dicitur de
occaſione , dicimus quòd fuit occaſio potius accepta , quam
data.

Ad ſecundum ſumptum ex *c. ſi, qui mandat*, vbi definitur, man-
dantem aliquem verberari citra mortem, ea ſequuta fieri irregu-
larem : dicimus quòd procedit in caſu , in quo ipſe mandans de-
buit præcogitare, & præuidere talem effectum ex percuſſione eue-
nire poſſe, imo ſolere ſæpe euenire : quia qui percutit, non ſolet ,
nec poteſt ita prudenter cauere , vt ſic percutiat, vt non occidat ;
& propterea tenetur de damno dato . Sed in caſu noſtro non eſt
ita : quia homicidium non ordinatur ad furtum .

10 Ad tertium reſpondetur quod vera eſt propoſitio, † vt cauſa ſe-
cunda ſubditur ordini primæ cauſæ : ſed non eſt vera in quantum
exit ordinem cauſæ primæ : ſicut patet de miniſtro , qui ſi facit

contra

contra mandatum domini, non reducitur in dominum. ita in caſu noſtro accidit.

SVMMARIVM.

1 *Poteſtas iudicis delegati non ſe extendit vltra limites in commiſſione præfixos.*
2 *Quando aliqua cauſa commiſſa eſt alicui iudici decidenda infra certum tempus, eo lapſo iudex non poteſt quidpiam in illa amplius agere.*
3 *Iubilæi tempore tranſacto non poteſt confeſſarius oblita vota commutare.*
4 *Votorum ſimplicium commutatio ad quem ſpectet.*
5 *Peccata reſeruata oblita cur abſoluantur poſt Iubilæum à quolibet confeſſario, vota autem non commutentur.*
6 *Fauores ſunt ampliandi, & priuilegia largè interpretanda. limitatur hoc axioma, n. 7. & 8.*

CASVS XXI.

PHILIPPVS graui morbo oppreſſus votum emiſit ieiunandi die ſabbati, quouſque viuet, ad D. Mariæ Virginis honorem, ſi priſtinam recuperaret ſanitatem: qua habita multis annis ſtetit promiſſis. Sed nunc cum difficile onus ſuſtinere ſibi videatur, nec eius fuerit recordatus durante Iubilæo, quo concedebatur facultas cuiuſcumque voti commutandi, religionis, & caſtitatis votis exceptis, poſtulat à confeſſario, vt illud ſibi commutet virtute præſentis Iubilæi. *Quæritur, an poſſit confeſſarius votum iſtud Philippo commutare.*

Ad hunc caſum negatiuè reſpondetur, nempè confeſſarium non poſſe commutare Philippo Iubilæo tranſacto, ieiunandi votum, cuius commutationem petere oblitus eſt illo durante.

1 Probatur, tum quia poteſtas † iudicis delegati ex commiſſione non ſe extendit vltra limites in ea præfixos, *cap. Prudentia, de offic. & poteſt. iud. delegati.* Sed limites iubilæi ſunt duæ hebdomadæ immediatè ſe habentes, in quibus ſolùm à ſummo Pontifice datur confeſſori facultas abſoluendi à peccatis reſeruatis, & à cenſuris; & commutandi vota. igitur duabus illis hebdomadis tranſactis expirauit dicta facultas, nec confeſſarius habet vltra auctoritatem vota commutandi.

Tum quia, cum aliqua cauſa verſans inter duos, committitur
2 alicui iudici † decidenda infra certum tempus, puta infra quindecim dies, ſi elapſo præfixo termino, alter, contra quem pronunciata eſt ſententia, vellet denuo rationem afferre, cuius fuerat oblitus; quamque ſi attuliſſet, iudex in eius fauorem ſententiam certe dediſſet, iam non poſſet vlterius iudex commiſſarius de ratione illa oblita cognoſcere, nec quidpiam in cauſa illa agere, *arg. cap. de cauſis de officio iud. delegati.* ergo à ſimili, cum à ſummo Pontifice comiſſa fuerit confeſſario poteſtas, vt infra terminum iubilæi commutet pœnitentium vota, ſequitur, quod ela-
3 pſo iubilei tempore, † non poſſit vlterius confeſſarius oblita vota commutare, quæ tamen potuiſſet ſua commiſſione durante, *arg. cap. in literis, de officio iud. delegati,* vbi dicitur, quòd ex quo iudex delegatus per ſe, vel per alium ſententiam executioni mandauit, vel mandari præcepit, eius auctoritas, & iuriſdictio ceſſat: quia ſemel eſt officio ſuo functus.

Hæc eſt ſententia *Graſſij p. par. deciſ. aurearum, lib. 4. cap. 15. num. 4. Beiæ 2. par. ſuarum rationum ad caſus, caſu* 10. & videtur probabilior, licèt ab ea recedat *Sayrus in claui regia lib. 6. cap. 12. num. 17.*

Cui non obſtat, ſi dicatur, quòd cum non minorem auctoritatem requirat abſolutio à peccatis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, quam voti ſimplicis commutatio: nam ab illis abſoluere ſolius eſt Papæ, vel eius cui Papa facultatem commiſit; vota verò ſim-

plicia

4 plicia † commutare quinque exceptis, nempe religionis, caſtitatis, peregrinationis in Hieruſalem, Compoſtellam, & vrbem Romam, ad Epiſcopum ſpectat, vel ad habentem iuriſdictionem Epiſcopalem, vt cum *D.Tho.*22. *q*.88. *art*.12. aſſerunt omnes theologi; & cum *Innoc.* omnes canoniſtæ *in cap.*1.*de voto*; nec non *Azor. p.par.inſtitut.moral.lib.*11.*cap.*18.*q*.3. abſoluere autem à peccatis Apoſtolicæ Sedi reſeruatis eum, qui per obliuionem tempore iubilæi omiſit illa confiteri, quilibet confeſſor ab ordinario admiſſus poteſt, cum poſtea factus memor illa pœnitēs cōfitetur, vt tenetur; ita affirmant *Nauarr. in Man.cap.*26.*nu.*12. *Palud. in quarto ſent.diſt.*18.*q*.5.*col.penult.Syluest.ver.confeſſio* 1.*num.*7. *q*.4.*Graff.*1.*par.deciſ.lib.*4.*cap.*15.*num.*3. *Couarr. in cap. Alma, de ſententia excommunicat.lib.* 6. §. 1.*n.*12. & eſt communis, vt refert *Antonutius in cath. Neapolit.lib.*5.*cap.*3. ergo pariter idem confeſſarius poterit Philippo votū ieiunandi cōmutare, cuius fuerat oblitus, dum habenti auctoritatem commutandi confiteretur.

Quia reſpondetur non eſſe eandem rationem de caſibus reſer-
5 uatis oblitis, ac de votis: † quia confeſſarius abſoluens virtute Iubilæi, abſoluit generaliter ab omnibus cenſuris, & peccatis etiā oblitis, ſine culpa tamen: non quidem ab his formaliter; quia non ſunt confeſſa; ſed extenſiuè, & conſecutiuè, cum gratiam per ſacramentum conferat, atque adeo omnium remiſſionem, vt docet *Sotus* 4.*ſent.d.*15.*q*.1. *art*. 3. quæ propterea deſierunt eſſe reſeruata, & habere excommunicationem adiunctam, remanſeruntq. ſolubilia à quouis proprio ſacerdote: ſed per abſolutionem peccatorum non fuit à voto Philippus abſolutus, aut illud ei commutatum: cum commutatio cognitionem requirat & rei, quæ permutatur, & in quā permutatur. quare non eſt ſimile de vtroque.

6 Neque etiam obſtat, quòd fauores ſunt † ampliandi, & priuilegia, quæ non præiudicant iuri alieno, ſunt largiſſimè interpretāda. *cap. cum dilecti de donationibus*. Cum ergo commutare vota virtute Iubilæi, conceſſum ſit in fauorem pœnitentis lucrantis dictum Iubilæum, non videtur hæc ampla facultas limitanda, aut contrahenda ad tempus in Iubilæo præſcriptum, ſed etiam vltra extendenda, præſertim quoad vota oblita.

Quo-

7 Quoniam reſpondetur primo antecedēs eſſe verum, † quando priuilegium non contrariatur iuri communi: quia cum eſt contrarium iuri communi debet ſtrictè interpretari, vt minus derogetur iuri communi, quàm ſit poſſibile, vt notant Iuriſperiti in *c. cit. cum dilecti, de donat.* & in *cap. cum dilectus, de conſuetudine*. & *in cap. priuilegia, diſt.* 3. Iam autem confeſſorem quemlibet poſſe commutare vota, aduerſatur iuri communi, *cap. 1. de voto, & voti redemptione*.

8 Dicitur ſecundo, quod quando priuilegium † habet tempus præfixum, quo duret, tenor priuilegij eſt ſeruandus, & non extendendus, *cap. Abbate, de verb. ſignif. & cap. Porrò, de priuilegijs.* & cum hoc priuilegium de commutandis votis arctetur ad dies Iubilei, nequit vltra illos protendi.

Hæc dicta ſint, ſalua ſemper meliori ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Vſurarius pecuniæ, vel alterius rei per vſuram acceptæ non acquirit dominium.*

2 *In rebus permanentibus reſtitutio facienda eſt in eadem numero re neceſſario: in alijs, quæ vſu conſumuntur, vel diſtrahuntur, non ſemper, & num.* 4.

3 *Obligatio duplex realis, & perſonalis.*

5 *Qui non eſt dominus rei, non poteſt dominium eius in alium transferre. Fallit propoſitio hæc in rebus conſumptibilibus, & diſtrahibilibus, num.* 11.

6 *Res emptæ de vſuris ſuccedunt loco pecuniæ de vſuris receptæ. In quo ſenſu hoc verum ſit n.* 13.

7 *Fœnerator acquirit dominium fundi, quem pecunijs vſurarijs emit, & fructuum illius n.* 10.

8 *Vſurarius quando non redditur impotens ad reſtituendum, celebrat ex pecunia vſuraria contractus validos.*

9 *Alex. III. in cap. cum tu, de vſuris, quando præcipit poſſeſſiones vſurarij eſſe vendendas, quomodo intelligatur. & n.* 12.

CA-

CASVS XXII.

QVINTILIANVS multos annos vſuras exercens, ampliſſimas pecunias cumulauit: & quamuis memoria mutuatarios retineat, à quibus illas extorſit, ac quibus reſtituere tenetur; maluit tamen dictas pecunias in fundo fructifero collocare, quam reſtituere. *Quæritur, an fundi fœneratitijs pecunijs empti verum dominium acquiſiuerit.*

In hoc caſu vnum ſupponitur, & alterum quæritur: ſupponitur
1 enim, vſurarium † rei per vſuram acceptæ non acquirere dominium; de quo cum ſit quæſtio maximè controuerſa præcipuè inter Iuriſperitos, ac Theologos, alias fortaſſe exactius pertractabimus: Nam ſi vſurarius pecuniæ in pretium mutuationis vſurariæ receptæ dominium compararet; cum non habeat minus iuris in rem emptam, quàm in pecuniam ipſam, inde ſequeretur apertè rei ex pecunia vſuraria emptæ dominium acquirere. Verùm dato, quod tale dominium pecuniæ vſurariæ non habeat, difficultas non parua eſt, an acquirat dominium fundi pecunia vſuraria empti, de quo quæritur in caſu noſtro.

Pro cuius intelligentia obſeruandum eſt cum *Michaele Salone 22. D. Thomæ q. 78. ar. 3. controuer. 2. num. 1. 5. & 6. & Aragone ibidem, & q. 32. ar. 7. & Soto de iuſtit. & iure lib. 6. q. 1. ar. 4. & alijs*, Magnum eſſe diſcrimen inter res, quæ vſu conſumuntur, nec diſtrahuntur, & eas, quæ permanent, nec vſu conſumuntur:
2 nam cum in his reſtitutio † facienda ſit in eadem numero re; quia dominus rationabiliter vult eandem ſibi reſtitui, vt eandem domum, eundem agrũ, ſitque illi magna iniuria, ſi ipſo reclamante aliquis ſpoliare eum velit re illa in indiuiduo: ideo ſi vendatur, vel donetur, contractus eſt nullus: nec emptor dominium rei acquirit. At in rebus vſu conſumptibilibus, quales ſunt, quæ conſi-

conſiſtit in numero,pondere,& menſura,vt pecunia,vinũ,oleum, triticum, non ſemper eſt neceſſe ſub pœna peccati mortalis, fieri reſtitutionem in eadem re numero; ſed ſatis eſt,fiat in re ſimili,& æquiualenti: cui conſonat lex ciuilis, *l.ſi nummi,ff.de ſolutionibus:* Quia cum in his nõ tam attendatur res ipſa,quam illius valor, irrationabiliter ſe haberet dominus huiuſmodi rei,ſi ita vellet eandem numero rem ſibi reſtitui,vt non admitteret ſimilem in pecunia, & omnino æquiualentem. Vnde in prioribus illis exiſtit
3 ſemper obligatio realis, † ita vt quocunq. illa transferantur, comitetur ea vinculum, & obligatio, vt reſtituantur: poſterioribus verò ſimpliciter,& de iure eadẽ quoq. obligatio conuenit, quandiu apud vſurarium ſunt,& impermixta manent: non enim in ipſum translatum eſt dominium. Cum verò ab illo expenduntur,& in aliquem vſum erogantur, ſolùm competit obligatio perſonalis & debitum perſonale,quo tenetur vſurarius ipſe illorum valorem
4 reſtituere. Et quia parum refert † in ijs, quæ vſu conſumuntur, num eadem res numero, vel alia illi omnino ſimilis, & æquiualens reſtituatur, modo non differatur reſtitutio; concedunt quidem Doctores valere contractum vſurarij habentis alia bona in promptu, ex quibus ſine vlla dilatione temporis reſtituere valeat: non quidem per ſe, & abſolutè, quaſi poſſit ex illis vt proprijs diſponere, cum nullius rei vſurariæ dominium acquirat; ſed per accidens; quia habet alia, quæ loco illarum reſtituat, ſatisfaciatque mutuatario iuxta leges iuſtitiæ. Sed difficultas eſt, quando res per vſuram accepta, eſt vſu conſumptibilis, & vſurarius non habet alia bona præter ea, quæ per vſuram acquiſiuit: an contractus emptionis, vel venditionis, quem cum illa celebrauerit, ſit validus, & firmus, acquiratque emens rei emptæ dominium: quomodo etiam caſus noſter in diſputationem vocari poteſt,dum quæritur, An Quintilianus fundi fœneratitijs pecunijs empti verum dominium acquiſiuerit.

Pro parte negante, quam tuentur *Altiſiodorenſ.in 3.par.tract. 26.q.1.Hoſtien.in cap.Tua nos,de vſuris,Maior in 4.ſenten.diſt. 15.quæſt.38.&* nonnulli Iuriſtæ,quos referunt *Angel.verb.vſura 1.§. 55.& Couarr. lib. 3. variarum reſolut. cap. 3. num. 6.*

Facit

5 Facit primo: Quia vſurarius, † cum non ſit dominus illius pecuniæ, non poteſt dominium in alium transferre; ſed in quemcumque eam transferat, perinde ſe habet, ac ſi à mutuatario vero illius domino exhiberetur per manus vſurarij, velut cuiuſdam tertij, vel miniſtri: ergo res illa pecunia empta non eſt vſurarij, ſed mutuatarij, qui verus illius pecuniæ, & pretij dominus eſt. non itaque Quintilianus vſurarius fundi empti fœneratitijs pecunijs dominium acquiſiuit.

Secundo videtur facere *Cap. cum tu, de vſuris*, vbi præcipit Alex. III. poſſeſſiones pecunia vſuraria emptas vendendas eſſe, & illarum valorem reſtituendum mutuatarijs: at ſi poſſeſſiones iſtæ eſſent vſurariorum, & pænes eos eſſet verum illarum dominium, non compellerentur hæredes vſurarij ad illas vendendas, vt reſtituerent vſuras defuncti, ſed poſſent ex quibuſuis alijs bonis illas reſtituere; compelluntur tamen. ergo non erant ſuæ, nec habebant earum verum dominium. ergo nec fundus à Quintiliano emptus eſt ſuus, nec acquiſiuit illius dominium.

Et confirmatur ratione *gloſſ. ſuper dicto c. cum tu.* Quia res em-
6 ptæ † de vſuris ſuccedunt loco pecuniæ de vſuris receptæ. ergo ſicut pecunia vſuraria erat reſtituenda, ita etiam & res empta. ſi reſtituenda, non igitur Quintilianus acquiſiuit dominium fundi tali pecunia empti.

Demum facit, quia Quintilianus vſurarius non potitur maiori iure in fundum pecunia vſuraria emptum, quam potiretur in pecuniam illam, qua fuit emptus: at illius pecuniæ vſurariæ non erat dominus Quintilianus, ſed mutuatarius, ſeu mutuatarij, à quibus iniquè illam accepit. ergo & fundi illa pecunia empti verus dominus mutuatarius, & non Quintilianus vſurarius cenſendus eſt.

His tamen nõ obſtantibus vera eſt pars affirmans, ſcilicet Quin-
7 tilianum † acquiſiuiſſe, & habere dominium fundi, quem pecunijs vſurarijs emit. Quæ eſt ſentẽtia *D. Tho. 22. q. 78. ar. 3. ad 2.* vbi apertè dicit, quòd poſſeſſiones emptæ de vſuris ſunt ementiũ, obligatæ tamen illis, à quibus fuerunt vſuræ acceptæ *& Salonis ibidem controu. 2. & 4. Aragonis ibidem, & q. 32. art. 7. Gabr.*

in 4.

Digitized by Google

*in 4.ſent.diſt.15.q.2.Ricardi eadem diſt.art.5.q.6. Adriani in ſuo 4.de reſtitut. cap.*quod incipit,*ſed occurrunt*, *Angeli ver.vſura*, §.55. *Syluest. eodem ver. vſura 6.q.2.Soti lib.6.de iuſt.& iure q.1. art.4.conc.2.Lopez.par.2.inſtruct.cap.80. Azorij par.3. inſtitut. moral.lib.8.cap.26.q.5.Couarr.lib.3.variarum reſol.cap.3.nu.6.* & aliorum plurium quos iſta citat *ibid.* Et probatur, tum quia contractus emptionis, quo Quintilianus ex pecunia vſuraria fundum acquiſiuit, eſt validus,& firmus: ergo talis fundus tranſit in dominium ipſius. Patet conſequentia, quia vnuſquiſque eſt dominus rei, quam iuſto titulo poſſidet: inter iuſtos autem titulos poſſeſſionis rei eſt titulus emptionis, vel donationis, vel hæreditatis, vel præſcriptionis, vt docet *Salon.22.D.Tho.tract.de ſubiecto dominij q.2.art.4.conc.vlt.*Et antecedens probatur: ſi mutuatarius conſentiret in illum contractum, eſſet validus, & firmus: ſed cenſendus eſt implicitè, & interpretatiuè in illum conſentire: quia implicitè, & interpretatiuè cenſendus eſt velle, vt quando pecuniam, vel res ſua ſibi non reſtituitur, ſaltem non conſumatur inaniter, ſed exerceatur ex ea contractus cedens in ipſius vtilitatem,& commodum: hoc enim de quouis prudente ſentiendum. Contractus autem, de quo in caſu noſtro, cedit in vtilitatem, & fauorem mutuatarij: quoniam pecunia, & quælibet res vſu conſumptibilis facile conſumitur, & diſtrahitur; conuerſa verò in pretium fundi, & rei permanentis conſeruatur, & manet vnde poſſit fieri reſtitutio. ergo talis contractus eſt validus.

8 Et confirmatur, quia quando † vſurarius non redditur impotens ad reſtituendum, contractus, quos celebrat ex pecunia vſuraria validi ſunt: in hoc autem caſu Quintilianus emendo pecunia vſuraria fundum fructiferum, non redditur impotens ad reſtituendum: habet enim rem illam, quam emit, vnde reſtituat: ergo contractus emptionis fundi eſt validus, & conſequenter emptor acquirit eius dominium.

Tum quia ſi fundus pecunia vſuraria emptus à Quintiliano non eſſet ipſius, ſed mutuatarij, omnes quoque fructus illius eſſent mutuatarij, & ei reſtituendi vna cum integro valore ipſius
9 fundi: hoc autem eſt falſum; quia in *cap. cum tu*, † *de vſuris* cui

aucto-

auctores alterius opinionis nituntur, præcipit quidem Alexāder, vbi non extant alia bona vſurarij, ex quibus vſuræ reſtituantur, poſſeſſiones, quæ de vſuris comparatæ ſunt, vendi, & iſtarum pretia his, à quibus vſuræ ſunt extortæ, reſtitui; non tamen præcipit, vt fructus, quos ex poſſeſsione illa vſurarius receperat, reſtituātur, neque eſt in vſu. Et nō alia ratione, niſi quia nullus tenetur reſti-
10 tuere fructus agri ſui proprij: † res enim fructificat domino ſuo.

Denique probatur textu in *l. ſi ex ea, C. de rei vendic.* vbi habetur, rem emptam etiam mala fide emptoris, ex pecunia mea, non eſſe meam, nec mihi debiāt, ſed emētis. Idem tex. in *l. Qui aliena, C. ſi quis alteri vel ſibi*. Adeò, vt iuxta communem Doctorū ſententiam, fur vineam emens ex pecunia furtiua, licet teneatur omnino reſtituere pecuniam illam, aut æquiualentem ſuo domino, dominium tamen vineæ acquirat, nec tranſeat in dominū, cuius erat illa pecunia furto ablatā, ſed ſit furis: ergo & fundus à Quintiliano emptus pecunia mutuatarij, non erit mutuatarij, ſed ipſius ementis.

Quare figmentum eſt, dominum illius pecuniæ vſurariæ, nempe mutuatarium eſſe illius vineæ emptorem; vſurarium non, quaſi tertiū, ſiue mediatorē, & miniſtrum: Nam quamuis dominus pecuniæ in contractu iſto implicitè & interpretatiue, cum cedat in eius vtilitatem, cenſendus ſit conſentire: iſte tamen cōſenſus implicitus non ſufficit, ſed requiritur explicitus, & expreſſa voluntas in contractu emptionis, & venditionis.

Ex his facile eſt argumēta aduerſariorum allata diluere. Nam ad primum cum dicitur, vſurarius cum non ſit dominus illius pecuniæ, non poteſt dominiū in alium transferre. Reſpondetur quod
11 iſta Maior propoſitio † non eſt vniuerſaliter vera: licet enim vera ſit in rebus, quæ vſu non conſumuntur, in quibus exiſtit ſemper obligatio realis; & quas vſurarius ſi alienauerit, alienatio erit irrita, nec earum dominium in alium transferet: tamen in rebus vſu conſumptibilibus, & diſtrahibilibus, vt ſunt pecuniæ, nō eſt vera: quia cum non ſit neceſſe, vt eædem numero reſtituantur, contractus alienationis tenet; dummodo per ipſum vſurarij ſubſtantia non fiat minor, quàm quæ ſoluendis debitis ſufficiet. Et cum in

caſu noſtro Quintilianus tantum habeat in rebus, quantū habebat in nummis, contractus eſt firmus. Figmētum vero eſt opinari in huiuſmodi contractu priorem dominum pecuniæ, eſſe emptorem per manus vſurarij; cum in venditione illi ſint vere, & propriè contrahentes, qui expreſsè de re venali, & eius pretio inter ſe conueniunt.

Ad ſecundum reſpondetur, conſtare iam ex dictis Alex. III. in
12 illo *c. cum tu de vſuris*, non præcipere † abſolutè poſſeſsiones vſurarij eſſe vendendas, ſed quando nulla alia exiſtunt vſurarij bona, vnde fiat reſtitutio: vnde non ſequitur, vſurarium non fuiſſe verum illarum dominum: quia aliter præcepiſſet fructus quoque ex illis ab vſurario perceptos eſſe reſtituendos.

Ad confirmationem gloſſæ reſpondetur, quod res emptæ de
13 vſuris ſuccedunt loco pecuniæ de vſuris acceptæ † in hoc ſenſu: quia ſicuti pecunia illa erat vſurarū debitis obligata, ita fundus pecunia vſuraria emptus remanet iiſdē obligatus, nō obligatione reali, ſed perſonali, ſicut & alia bona vſurarij, ſi habet. vnde nō ſequitur, quòd ſit reſtituendus, vt male infert gloſſa, ſed vendēdus.

Ad vltimum reſpondetur falſum eſſe, Quintilianum fœneratorem non habere plus iuris in fundum pecunia vſuraria emptum, quam in pecuniā ipſam habebat: quia illa pecunia ſemper ei fuit aliena, cum non eam acquiſiuerit neque induſtria ſua, neque ex contractu iuſto. ſed in fundum emptum habet ius ratione induſtriæ, habet enim illum tanquam induſtriæ, & laboris ſui fructum, & non vt pecuniæ vſurariæ partum.

SVMMARIVM.

1 *Ludus aleæ lege prohibitus.*

2 *Laici alea ludentes non peccant mortaliter.*

3 *Clerici vero Beneficiati, & alij in ſacris ordinibus conſtituti peccant quidem mortaliter, ſi frequenter alea ludant.*

4 *Lucrans in ludo prohibito non tenetur ad aliquam reſtitutionem neque iure naturali, neque diuino; neque iure ciuili, aut canonico, niſi aliqua alia circumſtantia ludus vitietur.*

5 *Leges prohibentes ludum, dominij tranſlationem non impediunt.*

6 Filius

6 *Filius familias conſiderari poteſt, vel vt in paterna domo commoratur, vel vt extra patriam.*

7 *Lucrans à filio familias exiſtente in domo patris, & à quibuſcumque alijs, qui non poſſunt alienare, eſt reſtitutioni obnoxius.*

8 *Non tamen ab eodem filiofamilias habente bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia.*

9 *Filiusfamilias extra domum paternam degens, quantum poſſit quotannis in ludis inſumere.*

10 *Lucrans aleæ ludo pecuniam à filiofamilias, quam pridie cum eodem perdiderat, poteſt illam ſibi tuto retinere.*

11 *Parentes communiter ſolent cedere lucro ex induſtria filij acquiſito, & ludo comparato.*

12 *Bona profectitia filij ad patrem pertinent tam quo ad dominium. quam quoad vſumfructum: limitatur hoc dictum n. 13.*

CASVS XXIII.

ROBERTVS luſit cum Pamphilo, qui eſt ſui iuris, alearũ ludo, perdiditq. ſcuta quinquaginta, quæ pridie ſine fraude lucratus fuerat ab eodem Pamphilo. Ludo finito Robertus reperitur eſſe filiusfamilias ætatis triginta annorum, vel circa, qui non poſſidet aliqua bona caſtrenſia, vel aduentitia, nullasq. alias pecunias habet, præterquam centũ aureos, quos à patre ſingulis annis ratione alimentorum recipit, cum moretur extra patriam. *Quæritur, an Pamphilus ſit tutus in foro poli; vel reſtitutioni obnoxius.*

Hic non quærimus de ludo, an ſit actio licita, vel vitioſa; lucrumuè turpe ſit, quod ludo reportatur, an honeſtum: nec quærimus, cum ſit † alearum ludus lege prohibitus, vt conſtat *l. ſolent. ff. de aleæ vſu, & aleatoribus*, & *l. Alearũ vſus, C. de relig. & ſumpt. fun.* & *c. Epiſcopus. diſt. 31. & cap. Clerici, 2. de vita, & honeſtate cleric.* An tali ludo ludens peccet mortaliter, vel venialiter. Circa

1

I 2 quod

2 quod illam opinionẽ putamus probabiliorem,quæ affirmat † laicos non peccare mortaliter,etiamſi pro magna quantitate ludant ſecluſis alijs circumſtantijs prauis contra ius naturæ: cum leges illæ laicos cum tanto rigore obligare non cenſeantur; & ſaltem quo ad eos per conſuetudinem contrariam, quantum ad obligationem ſub mortali, ſint abrogatæ; vnde communiter abſolui ſolent, quamuis non habeant propoſitum ab hoc genere ludi abſtinendi, dummodo tamen abſint ſupradictæ circumſtantiæ. ita tenet *Sotus lib.4.de iuſt.& iure q.5.ar.2.ante conc.4.Nau.in Man. c.20.n.11. Greg.de Valent.tom.3.diſp.5.q.6.puncto 6.dub.8. & Sayrus lib.11.c.12.n.3. Clauis Regiæ*. Clericos verò beneficia-
3 tos, † & quoſcunq. alios in ſacris ordinibus conſtitutos,quantum eſt ex iure communi, ſi aleæ deſeruiant,hoc eſt ſi frequenter alea ludant,peccare mortaliter,conſtat. *c.1.diſt.35*.& *c.Inter dilectos de exceſſibus Prælatorum*, iubentur clerici aleatores publici, ſi non deſiſtant à ludo,à beneficio remoueri,vel ab vſu,& exercitio ordinis ſacri ſuſpendi: quæ pœna non infligitur, niſi propter peccatum mortale: non tamen ſi raro ludant,in loco ſecreto,& abſq. ſcandalo aliorum:nam ius commune ſolum punit aleatores;quod nomen, ſicut cætera nomina verbalia ſimilia, vt eſt communis omnium opinio, ſignificat aſſiduitatem,& frequentiam actus.Sed quærimus, an lucrum tali ludo acquiſitum ſit reſtitutioni obno-
4 xium,non quidem in genere,& vniuerſali; quomodo † longè veriorem illorum ſententiã iudicamus, qui negant lucrantẽ in ludo prohibito ad aliquam reſtitutionẽ teneri,niſi aliqua alia circumſtantia ludus vitietur. Quia neque iure naturali,aut diuino, neq. iure ciuili,aut canonico ad reſtitutionẽ talis lucri obligatur.Non quidem primũ: quoniam nemo tenetur ad reſtitutionem iure naturali, aut diuino, niſi propter iniuſtam acceptionem alieni, aut detentionẽ,quæ fit inuito domino:& cum lucrans pecunia in ludo non retineat illã inuito domino,ad nullam reſtitutionem tenetur.
5 Non ſecundum:quia leges † prohibentes ludum,dominij tranſlationem non impediunt: nam quando lex prohibet dominij tranſlationem, non imponit pœnam. Cum igitur lex non auferat dominium à lucrante, nec dicat contractum tacitum, qui inter

luſores

luſores inuenitur, eſſe ipſe iure nullum; nec cogat perdentem, vt contra lucrantem agat; ſed ſolum imponat pœnam lucrãti, vt poſſit ab illo repeti id, quod lucratus fuerit, apertiſſimè conuincitur, illum non teneri ad reddendum lucrum, antequam ab illo petatur. Ita docent *Aragon. 22. D. Thomæ quæſt. 32. artic. 7. Salon 22. quæſt. de dominio, 5. art. 6. dub. 2. Ioſeph. Angles in ſuis floribus in 4. ſent. par. 2. q. de ludi reſtitutione. Azor. 3. par. inſtitut. moral. lib. 5. cap. 24. quæſt. 4. Rebellus de obligat. iuſtitiæ par. 2. lib. 12. quæſt. 2. num. 2. Sayrus in claui Regia lib. 11. cap. 13. num.* 8. & complures alij ab eo ibidem citati.

Sed in particulari inquirimus de lucro alearum ludo comparato à filio familias, an ſit in conſcientia reſtituendum, ſi prius fuit cum eodem in ludo amiſſum.

Vbi animaduertendũ eſt, antequam ad quæſiti ſolutionem de-
6 ueniamus, quòd filius familias † bifariam conſiderari poteſt, vel vt in paterna domo commoratur: vel vt extra in ſcholis, aut in curia, aut alibi vitam degit. Si primo modo eum contemplemur, cum vt ſic nullius pecuniæ ſit dominus, non poteſt aliquam ſine patris facultate ludo exponere, nec exponendo per ludũ transfert
7 aut acquirit dominiũ: quare † qui eam lucrifecerit, tenetur patri reſtituere. Et idem dicendũ eſt de cunctis alijs, qui non poſſunt alienare bona ſua, vt ſunt Religioſi, pupilli, minores, & mẽte capti: quia vel non habẽt dominium, vel ſi habent, habent illud impeditum.

8 Hinc patet, filium † habentem bona caſtrenſia, hæreditate, aut alia via accepta, in quibus non ſubijcitur patri, ſed eſt ipſe abſolutus illorum dominus, poſſe illa in ludo exponere, & perdere, ac ſimilia lucrari tuta conſcientia.

Si autem ſecundo modo filium familias expendamus, nempe
9 vt extra patriam vitam agit, † cui pater ſingulis annis ratione alimentorum centum aureos mittit, poteſt aliquam illarum pecuniarum particulã, nempe quatuor, aut quinq. aureos ex centum ludo exponere, & recreationis gratia expẽdere ex conſenſu patris tacito, & interpretatiuo. Ita tenet *Sotus 4. de iuſt. & iure q. 5. ar. 2. poſt medium, Nau. in Manu. cap. 20. num. 9. Rebellus de obligat. iuſt. par. 2. lib. 12. q. 4. ſect. 1. num. 3. Azor. par. 3. inſtitut. mor.*

*lib.*5.*cap.*25. *q.*6. & plerique Doctorum, quos citat, & ſequitur *Sayrus vbi ſupra cap.* 12. *num.* 7. & ratio eſt: Quia pater, qui tribuit illam pecuniam filio, cenſendus eſt ei concedere, vt conſumat illam in eos vſus, ſine quibus vita mortalis commodè tranſigi nequit: ludus autem eſt quoddam animi leuamen, quo vita mortalis indiget pro laborum requie. Ad tollendum igitur laborem, & leuandum, ac reficiendum animum, poteſt filius aliquam illarum pecuniarum particulam, quas à patre ratione alimentorum accipit ſingulis annis, ludo exponere, atque diſperdere. Et qui hanc partem lucrabitur, tutus erit in conſcientia, tutus quoque ipſe filius familias lucrando.

10 Quibus ſic explicatis, reſpondeo ad caſum, Pamphilum,† qui luſit alea cum Roberto filio familias, & acquiſiuit quinquaginta aureos, quos pridie eius diei cum eodem perdiderat, poſſe illos ſibi tutò retinere. Quicquid contradicat *Armilla ver. Ludus*, §. 8. *Beia.p.par. reſponſionum ad caſus , caſu* 61. *& Sayrus loco citato cap.* 12. *num.* 12. Eſt enim hæc noſtra ſententia *Sylu. ver. Ludus, quæſt.*17. *Angeli ibidem* §. 8. *Nau. in Man.cap.* 20.*num.* 19. *Lopez.par.*2. *instruct. cap.*35. *quæſt.*3. *Rebelli par.*2. *de obligat. iuſt. lib.*12.*quæſt.*4.*ſect.vlt. num.* 16. *&* 17. qui omnes in foro conſcientiæ tenent admittendam eſſe compenſationem.

Et ſi quis ſequi vellet Soti opinionem tenentis loco citato filium familias non poſſe à colluſore plura lucrari, quam colluſor ab ipſo, facilè hanc ſententiam probaret. Quia cum Robertus filius fam. non potuerit à Pamphilo colluſore plura lucrari quam quinque, quæ potuit perdere, & alienare, tenebatur in foro animæ reliqua 45. reſtituere Pamphilo vero domino: & per conſequens hic accipiens, & retinens illa 45. vt ſibi debita, & præterea quinque, quæ vt diximus, filius familias extra paternam domum degens ludo ex pręſumpta patris volũtate exponere potuit; nihil iniuſtum operatur, nec obligationem reſtituendi incurrit.

Verùm quia hæc opinio communiter non tenetur, & multis argumentis eam refellit *Nau.in Man.cap.*20.*n.*12.*Salon, & Bañes, & Beia locis vbi ſupra citatis*, quæ breuitatis cauſa, miſſa facimus; ideo fundamento Soti reiecto, reſponſum noſtrum hac ratione

fulci-

Digitized by Google

fulcimus. Quia cum primum filius familias extra domum paternam à patre mittitur cum bonis, ex quibus viuat, per conſuetudinem, quæ iam habet vim legis, poteſt filius de illis diſponere, quæ ſua induſtria acquiſiuit, patre in id conſentiente voluntate quadam interpretatiua: atqui quinquaginta illos aureos, quos deinde perdidit cum Pamphilo, prius ſua induſtria fuerat lucratus Robertus, hoc eſt ludendo cum eodem. potuit igitur eos ludo exponere & conſequenter Pamphilus illos lucrifacere, ac tuta conſcientia retinere.

11 Et confirmatur, quia communiter † parentes ſolent cedere huiuſmodi lucro ex induſtria filij acquiſito, & conſentiunt, vt filij hæc, & ſimilia lucra ludo comparata, denuò etiam ludo exponant, dummodo ex pecunijs paternis nihil perdant. ſi itaque Robertus filius familias potuit lucrũ illud ludo exponere, & Pamphilus valuit ludo ab eodem recuperare, & tutò in foro poli retinere.

Nec obſtat, ſi dicatur, Vbi Robertus filius familias 50. illos aureos lucratus eſt, ſubſunt dominio patris: quicquid enim acquirit filius, acquirit patri. ergo non poteſt Robertus denuò eodem patre inuito illos diſtrahere, & alienare: poteſt enim ludendo patri acquirere, ſed non acquiſita ſine eius licentia alie-
12 nare: quoniam numerantur inter bona profectitia filij, † quorum tam dominium, quam vſusfructus ad patrem pertinet. Vnde Pamphilus, qui nunc à Roberto quinquaginta lucratur, reſtituere tenetur quadragintaquinque, cum Robertus quinque tantum perdere, & alienare potuerit.

Quia reſpondetur negando antecedens in caſu noſtro: quia filius extra patriam degens per conſuetudinẽ, quæ iam habet vim legis poteſt de illis bonis diſponere, quæ ſua induſtria acquiſiuit patre in id conſentiente conſenſu tacito, & voluntate quadam
13 interpretatiua. Vnde talia bona profectitia, † licet quando filius eſt in domo patris ſint ſub diſpoſitione, & dominio patris, cum primum extra mittitur, poteſt filius de illis diſponere, & eorum transferre dominium de licentia patris tacita, vt dictum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Vxor innocens conſcia adulterij viri ſui, licitè negat ei debitum matrimoniale. & num.5.*

2 *Separatio coniugum quoad thorum tantùm, fieri poteſt auctoritate priuata, comperto adulterio: at non quoad cohabitationem, quæ diuortium dicitur.*

3 *Frangenti fidẽ quomodo innocens coniux non tenetur ſeruare fidẽ.*

4 *Coniuges quoad ius negandi, vel exigendi debitum pares ſunt.*

6 *Vxoris adulterium quomodo nocumentum maius inferat, quam viri. & num. 7.*

8 *Innocens coniux quamuis viro adultero debitum petenti debeat remittere iniuriam, poteſt tamen, & debet corrigere culpam, nec iuri ſuo cedere tenetur.*

9 *Negatio debiti nõ eſt præceptum, ſed conceſſio in fauorẽ innocentis.*

10 *Licitè poteſt innocens coniux virum ſuum iam fornicatum iuramento aſtringere ad fidem in poſterum ſeruandam, ſi cupit, vt ei debitum reddat.*

11 *Aſſiduitatem, & temeritatem iurandi, non ſimpliciter iurare interdixit nobis Chriſtus Matth.5.*

CASVS XXIV.

SABINA vxor de viri ſui fidelitate ſuſpecta, ſecretò eum in adulterio deprehendit: quamobrem multis ab hinc retro menſibus debitum matrimonij eidem petenti, & pluribus verbis roganti reddere recuſat: neque ab hac ſententia vult decedere, niſi vir iureiurando promittat in ſimile peccatum ſe in poſterum non caſurũ. *Quæritur, an Sabina niſi ſententiam mutet, abſolutionis beneficium à confeſſario obtinere valeat.*

1 Ad hunc caſum reſpondemus breuiter, Sabinam † licitè poſſe debitum coniugale viro ſuo, qui fidem ei fregit negare, beneficiumq. abſolutionis obtinere, atque maritum ad fidem illi in poſterum ſeruandam, ſi cupit, vt ipſa iuri ſuo cedat, iuramento aſtringere.

Prima pars, in qua exiſtit maior difficultas, & quam tuentur *D.Thom.in Addit.ad 3.par.q.62.ar.1. & 4. Petrus de Ledeſma ibid.D.Bonauen.4.ſent.diſt.35.q.2.Sotus 4.ſent.diſt.36.q.1.ar.3. & 4.Beia p.2. reſponſ.caſu 26.Caiet.to.1.opuſc.tract.31.reſponſ. 4.Syluest.ver.debitum coniugale quæſt.2.Rebell.par. 2. de obligat. iuſt.lib.2. quæſt.16.de matrimonio. num.6. & quæſt.17.num. 3. probatur*.

Tum quia Sabina iam eſt certa virum ſuum ſibi fidem fregiſſe, cum in adulterio comprehenderit: poteſt igitur propria auctoritate debitum illi etiam petenti denegare, quia & iure naturæ, & diuina lege ſoluta eſt ab obligatione reddendi, Diuina quidem lege vt patet *Matth.* 5. & 19. vbi dicitur. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur*. Cumq. dimiſſio vxoris propter adulterium bifariam intelligi poſſit: & quantum ad thorum, vt eorum corpora non cōmiſceantur; & quantum ad thorum, & cohabitationem ſimul: li-
2 cèt hæc ſecunda † abſque Iudicis auctoritate fieri nequeat: quia publicum ſupplicium, quale eſt diuortium à domo, nemo niſi publicus Iudex inferre valet: *can.Porrò de diuortijs*: dimiſſio tamen quantum ad thorum poteſt propria auctoritate fieri ob delictum occultum; cum ſolum dicat abſtinentiam occultam, & priuatam ab vſu coniugali, vt communiter omnes Doctores aſſerūt. Et quod de viro dicitur circa actum matrimonij, intelligitur etiam de vxore; cum in hoc ſit æqualis vtriuſque conditio. Iure verò naturæ: quia ius naturæ concedit, vt frangenti fidem fides non ſeruetur. *l.cum proponas.C. de pactis. & cap.peruenit. de iureiur.*
3 Abſoluta eſt itaque Sabina † ob fractā fide à viro ab obligatione eidem ſeruandi fidem in redditione debiti: fides enim conſiſtit in duobus, ſcilicet in reddendo illi, & non alteri. A primo poteſt abſolui coniux innocens in præiudicium fornicantis, nempe quod

non

non reddat ei debitum: & ſic intelligitur quod poſſit ei fidem frangere. ſed non à ſecundo: quia aliàs poſſet licitè fornicari. Si igitur abſoluta eſt Sabina à redditione debiti, licitè poteſt illud denegare. Vide *Abulenſ. ſuper Matth. cap.* 19. *quæſt.* 65. Et confirmatur ex Concilio Florentino, vbi in inſtructione Armenorum apertè definitur, ex cauſa fornicationis licere thori ſeparationem facere.

4 Tum quia vir, & vxor † quoad ea quæ ſunt matrimonij, ad paria iudicantur, *extra de diuortijs, cap. gaudemus,* & *cap. christiana religio* 32. *q.* 5. itaut ſit vni licitum, vel illicitum, quod alteri: ſed quoad thorum ſolùm, poteſt vir dimittere vxorem ſtatimatque ei conſtat de adulterio, proprio arbitrio, nec tenetur debitum reddere, niſi per eccleſiam compellatur: ergo & vice verſa Sabina vxor quoad thorum poterit virum ſuum dimittere.

Tum demum, cum Apoſtolus æquali iure dicat, vxorem non habere poteſtatem corporis ſui, ſed virum, nec virum ſui, ſed vxorem; ſequitur quod pari iure tenetur vir fidem vxori ſeruare, ac
5 vxor viro. Si ergo propter fractionem fidei † poteſt vir ab vxoris thoro diuertere, illique coniugale debitum non reddere, vt ait Dominus in Euangelio, poterit ſimiliter vxor à thoro viri ob eandem fidei fractionem diuertere, & ei debitum negare.

Neque obſtat, ſi dicatur, quod Dominus Matt. 19. non idem ius vxoribus conceſſit, quod viris: nam non eſt par ratio; cum ma-
6 ius nocumẽtum † inferat adulterium vxoris, quam viri: tollit enim prolium certitudinem: quare de ſolo viro locutus ait, quòd ob fornicationis cauſam valeat vxorem dimittere. Non videtur itaque conceſſum vxori, vt viro ſuo fornicanti debitum coniugale neget.

Nam reſpondetur negando non idem ius eſſe conceſſum vxoribus, quod viris: contrarium enim oſtenſum eſt ſupra. Et ad probationem cum dicitur, quod Dominus locutus eſt de ſolo viro, Matth. 19. conceditur, quod ſolùm ibi explicitè de iure viri agit, non quòd idem ius vxori non competat, ſed quia loquebatur cum Iudæis, à quibus mota fuerat ei quæſtio, an liceret viro dimittere vxorem quacunque ex cauſa, (quoniam vxori non permittebatur virum dimittere): & inde gradum faciens ad legem Euangelicam,

gelicam, non niſi de viris mentionem fecit, dicens, quòd quamuis illis antea alijs de cauſis impunè permittebatur dimittere, & repudiare vxorem, in Eccleſia ſua non erat permittendum viro dimittere vxorem, niſi ſolius fornicationis cauſa: dimittere inquam quoad ſeparationem à thoro, vel etiam à domo, non autem quoad diſtractionem matrimonij. Ex quibus verbis non ſequitur, quod in lege Euangelica idem ius non competat vxoribus. Et licèt verum ſit,
7 † quod in comparatione ad bonum prolis maior ſit cauſa diuortij in vxore adultera, propter prolis incertitudinem, quam in viro, non tamen ſequitur, quod non concedatur par facultas vxori dimittendi virum, & viro dimittendi vxorem, licèt non ſit par cauſa in vtroque. vnde dici conſuetum eſt; ad paria ſe habere, ſed non pariter: nam licèt cauſa maior ſit in viro diſcedendi, tamen quæ eſt in fœmina, ad ipſum ſufficit.

Neque etiam obſtat, quod vir petendo debitum ab vxore, videtur veniam de iniuria poſtulare: venia verò non eſt deneganda petenti.

Quia reſpondetur quod licèt adulter petendo debitum coniugale ab innocente, videatur de iniuria veniam poſtulare: attamen non tenetur innocens iuri ſuo cedere, & illud reddere: quia reconciliatio fieri debet ſaluo iure, & intereſſe parti debito. Et quam-
8 uis † Sabina debeat remittere iniuriam, poteſt tamen, & debet corrigere culpam, vt ait *D. Bonau. 4. ſent. d. 35. q. 2.*

Hinc patet beneficium abſolutionis non eſſe ei negandum, cum liceat Sabinæ abſque peccato non reddere debitum viro fornicanti: fatemur tamen perſuadendum eſſe Sabinæ vxori innocenti, vt viro quamuis adultero debitum non deneget, quamuis non faciat ex odio, ſed vt vtatur iure ſuo, quod ſemper eſt lici-
9 tum: quia huiuſmodi negatio debiti † non eſt præceptum, ſed permiſſio, ſeu conceſſio in fauorem innocentis, & quilibet poteſt renunciare iuri, & fortaſſe ſic vir faciliùs emendabitur, & ab adulterio recedet.

10 Patet etiam licitè poſſe † Sabinam ad ſeruandam in poſterum fidem, virum ſuum in adulterio deprehenſum iuramento aſtringere, ſi vult, vt illa iuri ſuo cedat: Quia cum iuramentum ſit af-

firmatio

firmatio vel negatio, aút promiſſio alicuius rei licitæ, & quæ fieri poſſit, ſacra atteſtatione munita; vt eſt communis Doctorum aſſertio, *Hoſtien. Abbatis, Felini, Baldi, Couarruias in cap. quamuis, de pacto, par.* 1. §. 10. *n.* 1. *& Azorij p. par. inſtitut. moral. lib.* 11. *cap.* 2. licitumq. ſit, immò præceptum, vt vir fidem ſeruet vxori. Poteſt igitur Sabina virum ſuum iuramento promiſſorio obligare, ne violet in futurum coniugij fidem per concubitum cum alia à ſua coniuge.

Neque obſtat, quòd Chriſtus Dominus in Euangelio generatim, & in vniuerſum iuramentum prohibuit, *Matt.* 5. illis verbis, *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non periurabis: ego autem dico vobis, non iurare omnino.*

Reſpondetur enim omiſſis aliorum dicendi modis, Chriſtum
11 eo loci † non prohibuiſſe ſimpliciter omnem modum iurandi, ſiue per Deum, ſiue per creaturam, neque iuramentum ſimpliciter damnaſſe, ſed aſſiduitatem, & temeritatem iurandi, ſcilicet ne paſſim, aut ex leui cauſa iurarent; ne ex facilitate iurandi, veniatur ad conſuetudinem iurandi, & à conſuetudine in periurium cadatur. Prohibentur enim quædam, quia per ſe mala ſunt, vt furtum; quædam verò prohibentur ex cauſa, non quia per ſe mala, ſed quia ſi fiant frequenter, & paſſim, ſequantur inde mala. Vnde quod dictum eſt, *non iurare omnino*, ſubintelligendum eſt, abſque vrgente neceſſitate. Sicut enim Deus dum *Leuit.* 16. præcipit; non occidere, non prohibet niſi homicidium, quod natura vetat; non autem quod Iudex malefactores, aut ſuum quiſque aggreſſorem occidat: quoniam ſimiles caſus nunquam illic fuerunt incluſi: pari modo dicens Chriſtus, nolite iurare omnino, neutiquam nobis interdixit, niſi iuramentorum abuſum. Eſt itaque præceptum naturale de iurando quantum ad vtramque partem, ſcilicet iurare, quando ratio poſtulat; & non iurare, quando nec neceſſitas, nec vtilitas adeſt.

Hæc dicta ſint ſalua ſemper meliori ſententia.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Debita ſoluenda in futurum vocantur à Doctoribus pagæ acerbæ, & quare.*

2 *Debita in futurum ſoluenda, ſi eorum ſolutio eſt difficilis, & incerta, poſſunt ante terminum, arbitrio boni viri, minoris emi.*

3 *At ſi ſint certò ſuo tempore ſoluenda abſque impenſis, labore, & moleſtia, aliqui Doctores idem aſſerunt, & probant, num. 4.5.6. & 7.*

8 *Contraria tamen ſententia vera eſt, & inter Doctores communis.*

9 *Qui daret alteri nonaginta recepturus poſt annum ab eodem centum, vſuram committeret.*

10 *Ratione anticipatæ ſolutionis aliquid vilius emere, vſurarium eſt.*

11 *Contractus, in quo non ſeruatur æqualitas inter datum, & accipiendum, eſt iniuſtus, & n.15.*

12 *Ius, ſeu actio ad rem tantum valet, quantum ipſa res, ad quam eſt actio, & num.14. & 18. vbi explicatur l. Minus, ff. de reg. iuris.*

13 *In contractu, de quo quæritur, eſt mutuum, & vſura non formaliter, ſed virtualiter.*

16 *Diſcrimen inter actionem ad rem fructiferam, & non fructiferam.*

17 *Res, quæ eſt ſolum in potentia, & ſpe, non tanti æſtimatur, quanti ea, quæ eſt in actu: quomodo verum ſit.*

19 *Plus ſoluit, qui ante tempus ſoluit. inſt. de actio. §. Plus. limitatur hoc pronunciatum in eo, qui ſoluendo ante tempus patitur aliquod intereſſe.*

CA-

CASVS XXV.

TIBERIVS dat Petro nonaginta ducatos in promptu pro debito centum ducatorũ, quos Paulus debet ipſi Petro in fine vnius anni illi ſoluendos omni intereſſe ceſſante, nulloq. periculo in debiti recuperatione exiſtente.

Quæritur, vtrum iſte contractus ſit licitus, an vſurarius.

Vetus quæſtio eſt inter Doctores de debitis ad certum tempus ſoluendis, quæ aliqui dicunt futura, alij pagas acerbas vocant,
1 † ſumpta metaphora à fructibus terræ, qui ſicut antequam ad maturitatem perducantur tempore illis à natura conſtituto, ſunt guſtatu peracerbi; ita & debita, donec ſolutioni eorum præfixũ tempus adueniat, immatura & acerba dicuntur. Quæſtio inquam, antiqua eſt, an talia debita minoris emi poſſint, quando emuntur pretio anticipato, videlicet ante tempus ſolutioni conſtitutum.

De qua duæ ſunt opiniones: vna eſt aſſerentium ea debita poſſe minoris emi, ne dum quando illorum ſolutio eſt difficilis, & incerta, vt quia debita non ſunt liquida, ſed ſub lite; vel debitor eſt pauper, & impotens ad ſoluendum; aut nequeunt ſine labore, & expenſis talia debita recuperari: in his enim conue-
2 niunt † Doctores omnes, poſſe illa ante terminum vilius emi iuxta illorum difficultatem, & incertitudinem arbitrio prudentis: quia minus valent cum iſtis periculis, & alijs conditionibus affecta:
3 Sed etiam † cum certum eſt debitum, & certo ſoluendum ſuo tempore abſque vllo periculo, impenſis, labore, & moleſtia. Ita *Caiet. in ſumma verbo, vſura, cap. Pagas acerbas, Armilla eodem verbo, n. 50. & Nau. in Man. cap. 17. n. 231. & ſeqq.* & eiuſdem ſententiæ videntur ante eos fuiſſe *Hoſtien. Io. Andr. & Panor. in cap. in ciuitate, de vſuris*, ac nonnulli alij relati ab *Azor. par. 3. inſtit. moral. lib. 8. cap. 10. q. 5.* quæ opinio his præſertim rationibus fulcitur.

Primo

Primo, Si huiuſmodi contractus non eſſet licitus, ſed iniquus,
4 certè quia interueniret in eo aliqua vſura, vel iniuſtitia: at † neutrum horum in eo reperitur: non vſura, quoniam vbi non eſt mutuum, vſura locum non habet; cum vſura ſit lucrum ex mutuo: in caſu autem, de quo loquimur, non eſt mutuum; quod probatur. Tum quia de ratione mutui eſt datio rei ab ipſo dante reuocabilis: & quod qui dat, habeat contra accipientem actionem ad ſortem: & quòd periculum ſortis ſit apud accipientem. Hæc verò in caſu noſtro minimè reperiuntur, ſed eorum oppoſita: Nam Tiberius, qui Petro nonaginta pro præfato debito dedit, non ea dedit reuocabiliter; nec habet amplius actionẽ contra Petrum ad præfata nonaginta ab eo repetenda; ſed ſolum habet actionem ad centum, quæ Paulus debet: & ſi caſus accidat, quod Paulus pereat, aut impotens omnino efficiatur ad præfatum debitum ſoluendum, periculum debiti manet apud Tiberium, & non apud Petrum, vt hæc omnia in caſu ſupponimus. Igitur datio, quã Tiberius dedit Petro nonaginta, nullo modo fuit mutuatio.

Tum quia Vbi eſt vera emptio, & venditio, non eſt mutuatio; in caſu verò propoſito eſt vera emptio, & venditio: quiã concurrit merx, ſcilicet ius, & actio, quam Petrus contra Paulum habebat ad recuperandum ab eo centum in fine anni; quam quidem actionem in Tiberium pro nonaginta transfert: concurrit etiam pretium à Tiberio datum pro præfata actione, ſcilicet nonaginta in promptu data: concurrit denique contrahentium conſenſus. igitur eſt vera emptio, & venditio: & itã non eſt mutuatio, & conſequenter etiam neque contractus vſurarius eſt.

Quod verò in hoc contractu non interueniat iniuſtitia, quæ eſt altera pars probanda, ſic oſtenditur.

Quia ſi in eo adeſſet iniuſtitia, maximè ob id, quod minus datur, & plus eſt ad terminum accipiendum: ſed hoc non facit contractum iniuſtum: quoniam quantum ad humanum vſum non minus valent nonaginta in promptu, quam centum ad finem anni ſoluenda: cum homines vt plurimum pluris æſtiment pecuniam ſtatim traditam: ſiquidem ſtatim eſt vtilis, &

conuer-

conuerti poteſt in proprios vſus,quàm poſtmodum tradenda,quæ per annum eſt inutilis: quemadmodum plus valet vinea ſtatim tradita, quam poſt annum, vel duos annos tradenda, vt ſatis de ſe conſtat: & ita in venditione vineæ ad terminum tradendæ deſcenditur in pretio.

Et confirmatur,quia in eo fit emptio iuſto pretio: ergo non eſt iniuſtus.Antecedẽs probatur,quia Tiberius non emit illa centum pro nonaginta,ſed ius ſolùm, quod Petrus habebat in illa cẽtum:
5 ius autem ad centum† poſt annum recipienda non valet centum, ſed nonaginta:Quia res,quæ ſolùm eſt in potẽtia,& ſpe,non tanti æſtimatur,quanti ea,quæ eſt in actu:vt patet de tritico in herba, & in potentia,& in tempore meſſis: & in fructibus acerbis & maturis: minoris enim pretij ſunt fructus acerbi,quam maturi.Centum verò poſt annum ſoluenda, nunc non ſunt in actu, ſed in ſola potentia, & ſpe; & debita acerba, non matura.

6 Accedit (*& eſt argum. Nau.*) Quia minus eſt † habere actionem in rem, quam rem ipſam, *l. Minus ff. de reg. iuris*, & per alia, quæ congerit *Decius in Regula.qui actionem, ff. eodem*. minus itaque debet valere actio in centum; quam ipſa centum, & ſic iuſtum illius pretium erunt nonaginta ſola.

Demum, ſi pro debito ſoluendo ad annum, vt centum, red-
7 derentur ſtatim in pecunia numerata alia centum,† venditor haberet pluſquam debet habere:Nam *inſtitut. lib. 4. §.plus autem de actionibus* dicitur,*Plus ſoluit,qui ante tempus ſoluit.* hoc autem eſt iniquum: ergo pro centum ſoluendis ad annum non ſunt reddenda in præſenti alia centum, ſed pauciora.

8 His tamen non obſtantibus contraria ſententia † verior eſt,ac ſecurior, & communis, & proinde eligenda, videlicet,quod præfatus contractus eſt iniuſtus ſimul, & vſurarius ſaltem implicitè. Ita tenent *Io. Medina c. de reſtit.q.38.§.ſequitur amplius. Angel. ver.vſura.1.§.63.& 64. Sylu. eodem ver.2. q. 14. Tabienſis eodem ver. q.10. D.Anton.2.par. tit.1.cap.8.§.12.Gabr. 4.ſent.diſt. 15.q.12.dub.4.Sot.lib.6.de iuſt.q.4.art.1. ad tertium:* cui ſubſcribunt omnes fere recentiores, *Aragon.22. D.Thom. q.77. art.4. Salon. ibidem q. 78. art. 2. controu. 17.* idem ſentit *D.Thom. in*

Opuſc.

Opuſc.67.de empt.& vendit ad tempus ad lectorem Florentin. circa fin. Aſtenſis in ſumma par.1. lib.3. tit.8. ar.1.q.2. caſu 2. Bart. in l. Per diuerſas, C. mandati, & Bald. in l.2.C. Ne lite, vt colligit *Syluester loc. cit.* & ad eam inclinat *Azor.par.3.inſtit.moral. lib.8.c.10.q.5.* qui vocat ipſam ſententiam communem, tutiorem, & proinde eligendam. Et probatur.

9 Quia ſi Tiberius daret nonaginta † Petro, recepturus poſt annum ab eodem centum, eſſet vſura, nec alio nomine, niſi quia pro nonaginta ſtatim datis recipit poſtea centum: ergo & in hoc contractu eſt vſura, in quo perinde res ſe habet, ac ſi Tiberius mutuaſſet Petro nonaginta recepturus poſt annum à Paulo debitore Petri centum. conſequentia deducitur: quia quod pro nonaginta recipiantur centum ab eodem, cui illa nonaginta data ſunt, vel ab alio, non mutat naturam contractus.

Præterea, ſecundum opinionem contrariam, Quanto debitum, quod emitur, ſerius erit ſoluendum, tanto minori pretio emetur ab emptore, quicquid ſit de illius certitudine: cæteris enim omnibus paribus centum ſoluenda poſt duos annos vilius ementur ab emptore, quàm ſi eſſent ſoluenda poſt annum. Quo fit, vt ra-
10 tione † anticipatæ ſolutionis detrahatur à valore debiti, ſeu à valore actionis ad debitum quicquid ab emptore detrahitur: hac autem ratione vilius aliquid emere, conſtat vſurarium eſſe, ex *cap. conſuluit, & cap. in ciuitate, & cap. fin. de vſuris.*

Sed eſto, non ſit vſurarius talis contractus, eſt tamen iniuſtus:
11 † quia in illo non ſeruatur æqualitas inter datum, & accipiendum: nam dantur nonaginta, & accipientur centum.

Si dicatur, quod termini huius contractus non ſunt nonaginta, & centum, ſed nonaginta, & actio ad centum poſtea ſoluenda; quæ actio aliud quid eſt ab ipſis centum poſtea ſoluendis: & huiuſmodi actio ad prædicta centum in rei veritate non valet niſi nonaginta in promptu.

12 Contra ſtat ratio: Quia actio ad rem † tantum valet, quantum ipſa res, ad quam eſt actio, deductis laboribus, & expenſis, vt ait *Bartolus in d. l. per diuerſas, C. mandati, & Baldus in l.2.C. Ne lite pendente.* Vnde ſi res, ad quam eſt actio, nullius valoris eſt,

ipſa actio ſimiliter nullius eſt valoris: ſi res eſt parui, vel magni valoris, & actio ſimiliter erit magni, vel parui. Sed in noſtro caſu res, ad quam eſt actio, valet centum, nec aliquæ expenſæ, vel labores ſubeundi ſunt, vt ſupponimus in illius recuperatione. igitur actio ad eam ſimiliter valet centum: erit itaque inæqualitas dare pro illa ſolùm nonaginta.

Deinde, ſi ius, ſeu actio ad pecuniam ſoluendam ad terminũ minus valeret, quam pecunia ipſa in promptu ſoluta, & inde præfatus contractus iuſtificetur, ſequitur hunc contractum ſimiliter eſſe iuſtum, ſcilicet, indiget Petrus nonaginta ducatis, quos mutuo à mercatore petit: mercator autem nolens mutuare dicit, conſtitue mihi contra te actionem ad centum in fine anni ſoluenda, & dabo tibi per illa, nonaginta, quæ petis. Si Petrus hoc acceptans ita contrahat cum mercatore, quis contractum talem ab iniquitate, & vſura ſaltem palliata excuſabit? certè nemo. igitur nec præſentem de quo diſputamus, cum videatur omnino ſimilis, & eaſdem excuſationes pro ſe habere.

Rationes autem primæ opinionis huic ſententiæ non obſiſtunt. Nam ad primam

13 Reſpondetur, quòd quamuis † in contractu, de quo loquimur, non ſit vſura formaliter; eſt tamen virtualiter, & interpretatiuè. Et ad primam probationem dicitur, in hoc contractu eſſe mutuum virtualiter. Nã eſto venditor Petrus nõ maneat obligatus ad reddendum aliquid immediatè, & per ſeipſum Tiberio emptori; neque maneat emptori aliqua actio, & ius recuperandi aliquid à Petro venditore; ſufficit nihilominus, vt ſit verè quoddam genus mutui, vt maneat obligatus in aliena perſona, ſcilicet in Paulo ſuo debitore, qui ſubſtituitur Tiberio emptori vice, & loco Petri venditoris. Et ſic omnia, quæ ſunt de ratione mutui, ibi ſaluantur: nã Tiberius dat Petro nonaginta reuocabiliter; quia poteſt ea ab eo, qui loco Petri ſubſtituitur, & quem Petrus loco ſui debitorem facit, repetere. Et ſi illud debitum pereat, perit ſubſtituto, non Tiberio mutuanti.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, eſto quòd ſecundum formam cõtractus illic ſit emptio, & merx ſit actio præfata ad cẽtum

14 tum:illa tamen actio † ad centum non minus valet, quàm centũ, vt tactum eſt: nec intentio ementis tendit principaliter in actionẽ ratione ſui; ſed in centum ſoluenda: cum actio per ſe, & ratione ſui nihil valeat. Et ita quicquid ſit de nominibus illius contractus, ſecundum rem, & affectum contrahentium, nil fit, niſi quod Tiberius dat in promptu nonaginta, vt poſt annum ſibi reddantur centum: quod iniuſtitia eſt, & vſura.

Ad probationem verò alterius partis, ſcilicet, quod non ſit ibi
15 iniuſtitia, Dicendum, quòd ita eſt, ideo illum contractum † iniuſtum eſſe: quia minus datur, & plus recipitur, aut recipietur. Et ad probationem Minoris, negatur quod plus valeant nonaginta in promptu, quàm centum ad finem anni ſoluenda: cum pecunia ex ſe ſit ſterilis, licèt vt ſubeſt induſtriæ hominis, ſit vtilis, & fructifera. & ſi homines magis æſtimant pecuniam præſentem, quã ad annum ſoluendam, eſt vel propter periculum debiti, vel propter intereſſe proprium: quia ſcilicet ipſa vſuri erant, aut ob aliud huiuſmodi: & ita ob has cauſas licebit in pretio deſcendere. In caſu autem diſputato proceditur, vbi debitum eſt liquidiſſimum, & certiſſimum, & omni hinc inde intereſſe ceſſante. Ad exemplum
16 autem adductum de vinea, dicendũ quòd aliud eſt † de actione ad rem fructiferam, & aliud de actione ad pecuniam, quæ non fructificat: quia in emptione rei fructiferæ, quæ non eſt ſtatim tradenda, deſcenditur in pretio ratione fructuum, quibus emptor per dilationem traditionis carere compellitur. quod in emptione præfati debiti minimè reperitur.

Ad confirmationem negatur antecedens: ad cuius probationẽ negatur, quod ius ad centum poſt annum recipienda non valeat
17 centum. Et cum dicitur, res † quæ eſt ſolum in potentia, & ſpe, nõ tanti æſtimatur, quanti ea, quæ eſt in actu: Reſpondetur verum eſſe, quando illa potentia, & ſpes impediri poteſt: quod non contingit in caſu noſtro. Nec exemplum de tritico in herba eſt accommodatum debito, de quo loquimur: quia triticum in herba ſecundum ſe non valet quantum triticum perfectum, & poteſt multis vijs impediri, ne perueniat ad meſſem: & ſimiliter fructus acerbi ne perueniant ad maturitatẽ: quæ non conueniunt debito, de quo

loquimur: nam centum certa, & ſecura ſemper valent centum, quamuis non ſint recipienda niſi poſt annum: & dicitur tale debitum matureſcere quoad præſentiam ſolutionis, vnde ſumpta eſt iſta ſimilitudo, & metaphora; non tamen dicitur matureſcere quoad augmentum valoris.

Ad aliud, quod eſt Nau. patet ſolutio ex dictis: negatur enim quod minus valeat actio in centum, quam ipſa centum, vt in caſu
18 noſtro. Nec lex † adducta aliquid obſtat: nam loquitur ſolum de eo, qui actionem habet ad rem, quam non ſine detrimento, aut periculo conſequetur.

Ad vltimum dicitur proloquium illud, Plus ſoluit, qui ante
19 tempus ſoluit; verum eſſe † in eo, qui ſoluendo ante tempus patitur aliquod intereſſe: & ideo cogentem illum ad ſoluendum ante debitum tempus, plus petere, vt habetur in *cap.* 1. *de plus petent.* non de eo, qui ſoluens ante tempus debitum, nullum patitur intereſſe nec damni emergentis, nec lucri ſibi ceſſantis: hic enim non plus ſoluit ex præmatura illa ſolutione: quomodo res ſe habet in caſu noſtro.

SVMMARIVM.

1 *Qui iurauit ſoluere vſuras, tenetur ad illas ſoluendas, & n.9.*

2 *Ludens pecunia abſente, data ſolum fide, tenetur deinde ſoluere perdita in ludo. & num.6.*

3 *Iure naturæ promiſſio facta de re licita, maxime ſi mutua ſit, ſeruanda eſt, & num.7.*

4 *In ludo debet eſſe æqualitas inter ludentes.*

5 *Ludens pecunia credita, ſeu promiſſa poteſt lucrari à ludente pecunia præſenti.*

8 *In toto iure ciuili communi non ſit vlla diſtinctio inter ludentem pecunia appoſita, & fide data.*

10 *Qui ludit pecunia credita, & lucratur, tuta conſcientia retinet pecuniam ſibi ſolutam, donec in iudicio repetatur.*

11 *Ex iure ciuili communi datur actio ei, qui perdidit ad repetendum, ſi ſoluerit.*

12 *Cui datur actio, ei competit retentio: quomodo hæc regula vera ſit.*

CA-

CASVS XXVI.

VLiſſes ludendo taxillis cum Tullio certam pecuniæ quantitatem perdidit fide data de ſoluendo, ſi perdiderit, itaut pecunia in ludo præſens non fuerit, ſed tantum loco illius fuerit fides data. *Quæritur, num Vliſſes potuit ſibi retinere dictam pecuniam, an ſoluere teneatur.*

Obſeruandum eſt pro intelligentia huius caſus, non eſſe hic quæſtionem de promiſſione, & fide data firmamento firmata: tunc enim perſpicuum eſt ob reuerentiam iuramenti ſoluendum eſſe promiſſum, quicquid leges diſponant: cum talis ſolutio ſit licita, quamuis poſſit ſtatim fieri apud Iudicem repetitio, vt conſtat ex *cap. Debitores, de iureiurando:* vbi definit Alexander III.
1 eum qui iurauit † ſoluere vſuras, teneri ad illas perſoluendas ex religione, & reuerentia diuini nominis: & eadem de cauſa ſi promiſit ſub iuramento ſoluere, & non repetere, tenetur ad vtrunq. ſeruandum, quia illud ſoluere licitum eſt. & lex, quæ dat repetitionem, ſolum eſt facultas in beneficium perdentis: licet autem vnicuique facultati, quæ ſibi ſit à lege, renuntiare. Sed quæſtio excitatur de promiſſione, & fide data abſque iuramento.

Nunc ad caſum reſpondentes dicimus, Vliſſem, qui luden-
2 do † taxillis cum Tullio, data fide de ſoluendo perdidit, debere illi ſoluere amiſſam pecuniam non ſolum iure naturæ, ſed etiam ex iure ciuili communi. Quæ eſt ſententia *Salonis ſuper* 22. *D. Thomæ, de dominio, quæſt.* 5. *art.* 6. *Bañes ibidem quæſt.* 32. *ar.* 7. *Io. Medinæ C. De rebus reſtit. quæſt.* 22. *Caſtri lib.* 5. *de lege pænali cap.* 2. *Franciſci Garziæ de contractibus, par.* 2. *cap.* 19. *&* *Azor. par.* 3. *inſtit. moral. lib.* 5. *cap.* 24. *quæſt.* 7. & probatur primo quoad primam partem, videlicet, quod iure naturæ obligetur ad ſoluendum.

3 Tum quia iure naturæ † promiſſio facta de re licita, maximè ſi

mutua ſit, adimplenda eſt; obligat enim in conſcientia; in huiuſ-
modi autem ludo, mutuo, & viciſſim promittunt ſibi luſores ſol-
uere quicquid ſic ludendo perdetur: quæ ſolutio licita eſt, cum
poſſint etiam gratis dare. ergo Vliſſes tenetur ſeruare fidem, &
ſoluere amiſſam pecuniam.
4 Tum quia in ludo † debet eſſe æqualitas inter ludentes, cum
ſit contractus pertinens ad iuſtitiam commutatiuam: at ſi ludunt
5 duo, vnus pecunia præſenti, alter verò † ſola fide data ſoluendi;
hic omnium conſenſu, ſi lucratur, verè acquirit dominium pecu-
niæ præſentis. ergo & ille quoque acquirit dominium pecuniæ
ſibi promiſſæ; alioqui non eſſet æqualitas, ſed eſſet peioris con-
ditionis ludens pecunia appoſita, quàm ludens pecunia credita;
quod eſt maximum abſurdum, & contra leges ludi.
6 Secunda pars, videlicet, quod ſoluere teneatur † ex iure ciuili
communi, etiam probatur. Tum quia contractus iſte, quo luden-
tes ſibi inuicem promittunt perdita ſoluere, nulla lege ciuili eſt
irritus; leges enim ciuiles ſolùm dant repetitionem, non autem
prohibent ſolutionem. ergo naſcitur ex illo obligatio ſoluendi:
7 cum iure naturæ omne promiſſum, † quod nulla lex prohibet
adimplere, ſit debitum.
Tum quia qui ludit pecunia præſenti, tenetur citra dubium,
ſi perdit, ſoluere. ergo & qui ludit data fide, tenetur ſoluere ſi
8 perdat: in toto enim iure † ciuili communi nulla fit diſtinctio inter
ludentem pecunia appoſita, & ludentē fide data pecunia abſenti.
Tum quia ſi non teneretur Vliſſes, qui perdidit, ſoluere, id cer-
tè eſſet, quia poteſt, quæ ſoluit in iudicio repetere: hæc autem
facultas non tollit debitum ſoluendi: Nam qui iurauit vſurario,
9 & latroni † aliquid dare, poteſt illud in iudicio repetere, nec prop-
terea liberatur à debito ſoluendi, quæ promiſit.
Tum vltimo, ſi ludens pecunia credita perdat, & ſoluat dein-
10 de lucranti, hic † non tenetur reſtituere pecuniam acceptam, ſed
tuta conſcientia illam retinet, donec in iudicio repetatur. ergo
per huiuſmodi ludū ſub data fide transfertur etiam dominium;
alioquin ille, qui fuerat lucratus, non potuiſſet deinde lucrata
recipere, nec retinere.

Diximus

Diximus autem, ex iure communi teneri ſic perdentem ſoluere: quia alicubi, vt puta in Hiſpania, extat lex regia, *vt Sotus lib. 4. de iuſtit. quæſt. 5. art. 2. Couarru. in Regula peccatum, par. 2. §. 4. & Nauarr. in Manual. cap. 20. num. 17.* referunt, quæ in conſcientia reddidit irritas huiuſmodi promiſſiones, immo etiam ſolutiones, quotieſcunque luditur in pecuniam abſentem fide data.

11 Nec obſtat, ſi dicatur, Ex iure ciuili communi † datur actio ei, qui perdidit ad repetendum, ſi ſoluerit, & non datur ei, qui lucrifecit ad petendum ab eo, qui perdidit pecuniam promiſſam ludi cauſa. igitur qui perdidit, antequam ſoluat, poteſt ſibi retinere: perinde enim eſt ſibi retinere antequam ſoluat, ac ſi repeteret: nam quorſum iſte circulus, vt ſoluat, quæ ſtatim in iudicio poteſt recuperare?

Reſpondetur enim primo hoc argumentum pari paſſu procedere, quando luditur præſenti pecunia, & abſenti, ac expectata. ſi itaque qui perdit pecunia appoſita, tenetur ſoluere, etiam tenetur qui perdit pecunia credita, non obſtante, quod poſſit repetere.

Reſpondetur ſecundo negando conſequentiam: neque circuitus ille, videlicet ſoluendi primùm, & poſtea repetendi, eſt inutilis reipublicæ: quoniam ſic homines arcentur ab huiuſmodi ludis, dum intelligunt, quod tenentur ſoluere primum, quamuis deinde poſſint repetere.

Quod ſi quis inſtet, Cui datur actio, ei compĕtit exceptio, & retentio, ex *Regula iuris* 71. *qui ad agendum, in 6. de reg. iuris, & l. inuitus nemo, §. cui damus ff. de reg. iur.* Ei autem, qui perdidit, competit per leges actio ad repetendum poſt quam ſoluerit. ergo competit & retentio, antequam ſoluat.

12 Reſpondetur Regulam illam, retentio competit, † cui datur actio, duplicem ſenſum habere poſſe: vnum, vt poſsit retinere, qui poteſt repetere beneficio legis: & ſic Regula eſt falſa: quia quod aliquis repetere poteſt ſola auctoritate legis, & per ſententiam Iudicis, non poteſt ante illam ſentẽtiam ſibi retinere, ſed tenetur illud excluere. & hoc modo contingit in caſu noſtro: poteſt enim repetere qui perdidit & ſoluit, beneficio legis. Alterum ſenſum

habet, vt poſsit retinere, qui poteſt repetere tanquam verè ſuum: & in hoc ſecundo ſenſu Regula eſt vera. Habet famulus apud ſe decem aureos domini ſui, debet illi dominus totidẽ ex ſtipendijs, quæ famulus commodè recuperare non poteſt: valet illos apud ſe retinere, quia poſſet illos in iudicio repetere, vt verè ſuos.

Hæc eſt ſolutio *Salonis loco citato*.

SVMMARIVM.

1 *Præter ſacramentum pœnitentiæ nullum aliud dicitur informe, quamuis effectu careat, ſed inefficax.*

2 *Quæ confeſſio vocetur informis.*

3 *Confeſſio, in qua totaliter deficit dolor, & deteſtatio peccati, eſt inualida, & iteranda.*

4 *Confeſsio eſt eſſentialiter peccatorum accuſatio.*

5 *Confeſſio exiſtimantis ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum, quamuis verè non ſit, eatenus valida eſt, vt non ſit neceſſario iteranda.*

6 *Finis præcepti non cadit ſub præcepto.*

7 *Homo nunquam eſt certus, quod ſit in ſtatu gratiæ.*

8 *Viri prudentes, licet certi eſſe nequeant ſint ne in gratia Dei, non ob id dubitant, an præceptum confeſſionis impleuerint.*

9 *In confeſſione informi verè homo abſoluitur à ſacerdote, & conſequenter à Deo, etſi non quantum ad efficaciam ratione obicis, ſaltem quantum ad ſufficientiam. & num.* 10.

11 *Sacramentum pœnitentiæ bifariam conſiderari poteſt, videlicet abſolutè, & vt fructuoſum; & quomodo in eo cõcurrit contritio.*

12 *Contritio, vt eſt actus virtutis, non poteſt eſſe informis, ſed bene vt eſt pars ſacramenti.*

13 *In Concilio Florentino ſolùm determinatur in genere, quod contritio eſt pars ſacramenti pœnitentiæ.*

14 *Per confeſſionem informẽ quomodo impletur confeſſionis præceptũ.*

15 *Peccata confeſſa confeſſione informi, recedente fictione remittuntur per ipſummet ſacramentum, quod fuit informe.*

16 *Sacramentum baptiſmi, & confeſſionis in quo differant, & conueniant.*

CA-

CASVS XXVII.

ALBERTVS ſine debita diſpoſitione, attritionem tamen habens imperfectam, peccata ſua integrè confeſſario confitetur, & vere abſolutionem percipit, ſibi tamen inefficacem propter obicem ſacramento poſitum: culpabili enim ignorantia putat ſe eſſe legitimè diſpoſitum, cum verè non ſit. *Quæritur, vtrum hæc confeſsio, quæ dici ſolet informis, ſit valida, an neceſſario reiteranda.*

Caſus præſens ſicut difficilis eſt deciſu ob varias Doctorum opiniones; ita eſt ſcitu neceſſarius ad ſedandas puſillorum conſcientias ſæpe contendentium in ſeipſis, an eorum confeſſio ſit iteranda, nec ne. Pro cuius explicatione, & intelligentia quid nominis confeſſionis informis, animaduertendum eſt, cum *Soto* 4.
1 *ſent. diſt.* 18. *q.* 3. *art.* 2. quòd nullum aliud ſacramentum † propriè dicitur informe, quamuis effectu careat, præter ſacramentum pœnitentiæ; ſed dicitur inefficax: nam etſi omnia ſunt cauſa gratiæ, nullum tamen eandem in ſe recipit; quia eorum materia eſt res extrinſecus ſuſcipienti appoſita: in hoc verò eſt peculiare, quod cum confeſſio, quæ eſt actus pœnitentis, ſit materia ſacramenti, dicitur informari gratia, & charitate, quæ ſunt effectus ſacramenti; atque adeo dum ſacramentum eſt inefficax, dicitur informis confeſſio. Vocatur ergo, vt ad rem noſtram ſpectat, con-
2 feſſio † informis, non illa, quæ non informatur vera ſacramentali forma: vt ſi ſacerdos poſt auditam confeſsionem nolit abſoluere, quæ cum non ſit ſacramentum, conſtat reiterandā eſſe. ſed ea, ex qua verum efficitur ſacramentum, adueniente ſacramētali forma, nempe abſolutione, & tamen etiam poſt illam receptam informis manet: quia licet ſacramētum eſſentialiter integrū ſit, non tamen habet effectum in ſuſcipiente defectu diſpoſitionis. quod in alijs ſacramentis ſatis conſtat. Qui enim verè abluitur aqua naturali,

& ver-

& verbis, & intentione debita, & ſacramentum ea intentione recipit, quam habet Eccleſia; ſed recipit ſine peccatorum dolore, aut etiam in complacentia peccati: verum recipit Baptiſmum, quem cum teneretur recipere, amplius iam non tenetur, imò nec poteſt iterum recipere; ſed effectum ſcilicet gratiam non recipit. & ſic in alijs conſtat. Modo verò dubium eſt de hoc ſacramento pœnitentiæ, in quo videtur ſpecialis ratio, an idem dicendum ſit, ſcilicet, quòd poſſit eſſe informe, ideſt abſque collatione gratiæ ad prauam confitentis diſpoſitionem, & tamen validum. Et quæſtio tantum eſt in caſu noſtro, quando eſt defectus in
3 dolore ſolum; non quòd totaliter deficiat; quia ſic † ſine dubio eſſet iteranda confeſſio, & inualida; quia nec eſſet vera confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio, vbi totaliter contritio deficeret: nam qui confitetur, proponit peccatum ſuum vt malum proprium, quo carere deſiderat; & quantum appetit exonerari, tantum ſibi diſplicet peccati onus. Qui autem ſolùm narrandi gratia confitetur, non niſi æquiuocè confitetur: confeſſio enim ſacramentalis deteſtatiua eſt peccatorum confitentis. Accedit quòd
4 cum confeſſio † ſit eſſentialiter peccatorum accuſatio, vbi nulla eſt contritionis ſcintilla, confeſſio ipſa non habet accuſationis imaginem, & veritatem, ſed eſt ſimplex quædam peccatorum narratio, & ſimulata accuſatio. Sed quia confitentis dolor eſt imperfectus, quem tamen non percipit, culpabiliq. ignorantia putat eſſe ſufficientem, cum verè non ſit: Quæritur itaque, an in tali caſu confeſſio ſit valida, & non neceſſariò iteranda.

Et pro parte negante, quam probare, & tutari conantur *Ioannes Maior in 4.diſt.17.q.3.& 9. Adrianus q.4.de confeſſione,dub. 5.Io.Medina C.de pœnitentia, tractatu de confeſſione, cap.de confeſſione ficta reiteranda*, & nonnulli alij recentiores, facit primo: Quia ſi in caſu verum eſſet abſolutionis ſacramentum, verè eſſet Albertus à ſacerdote abſolutus: ſicut ſi quis verum ſacramentum Baptiſmi, vel ordinis, vel confirmationis accepit, verè manet baptizatus, confirmatus, vel ordinatus. Sed in caſu Albertus, qui ſine debita diſpoſitione confitetur, non manet verè à ſacerdote abſolutus; quia tunc eſſet verè abſolutus à Deo, iuxta

pro-

promiſſionem Chriſti, *Quorum remiſeritis peccata*, *remittentur eis*: à Deo tamen non manet Albertus abſolutus, cum maneat eiſdem peccatis irretitus, quibus prius; immo & plus ligatus manet, eò quod fictè confitendo, nouum peccatum addidit: ergo non eſt verum abſolutionis ſacramentum.

Et confirmatur, quia ſacramenta gratiæ, & Euangelica ſacramenta veritatis ſunt, & non falſitatis: forma autem illa abſoluendi, qua confeſſor in caſu vtitur, eſt falſa, cum dicat, ego te abſoluo à peccatis, qui tamen verè huiuſmodi fictum non abſoluit, ergo non eſt ſacramentum.

Secundo facit: quia confeſſione exiſtente informi deeſt vna pars ſacramenti, quæ eſt contritio: ergo ſacramentum non eſt validum, ſed eſt iterandum, vt patet in alijs ſacramentis, quando deeſt aliqua pars. Quòd verò contritio ſit vna partium ſacramenti pœnitentiæ, definitum eſt in Conc.Florentino.

Tertio ſi confeſſio informis eſſet valida, ſequeretur, quòd per ipſam impleretur præceptum non ſolum eccleſiaſticum, verum etiam diuinum; conſequens tamen inde apparet falſum, quia intentio diuini præcepti eſt hominis iuſtificatio, quæ per informem confeſſionem non fit.

Demum, ſi confeſſio informis eſſet valida, ſequeretur, quòd poſtea recedente fictione ſacramentum præcedens ſuum ſortiretur effectum: hoc autem priuilegium ſolo Baptiſmo tribuitur, qui ſi fictè ſuſcipitur, incipit prodeſſe, quando fictio recedit, vt habetur *Can. Tunc valere, de conſecrat. diſt.* 4. ergo non conuenit confeſſioni.

His tamen non obſtantibus, reſpondemus ad caſum propoſi-
5 tum affirmatiuè, nempe, confeſſionem † Alberti exiſtimantis ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum, quamuis verè non ſit, eſſe validam, & non neceſſariò iterandam, licèt ex abſolutione gratiam non conſequatur. Hæc eſt ſententia *D.Thomæ 4.ſent.diſt.17.q.3.art.4.quæſtiuncula* 1.*Capreoli ibidem q.1.art.3.ad* 4. *Ricch.art.2.q.8.ad* 5. *& Palud.q.8. Soti diſt.18.q.3.art.2.conc.2.& art.3.conc.5.Caiet.tom.1.opuſc.tract.5.q.5.Syluest.ver.confeſſio 1.q.23.Melchioris à Cano par.5.Relect. de pœnitentia, Nau.in Man.c.9.n.13.*

Digitized by Google

*n.*13.*Armillæ ver.confeſſio ſacramẽtalis,n.*8.*Couar. p.par.de ſent. excommun.*§.4.*n.*13.*Conradi p.par.reſponſ.q.*65.*Victoriæ in ſumma ſacramentorum q.*158.*Toleti lib.*3.*cap.*10. *n.*5. & nonnullorum aliorum: & probatur.

Tum quia cætera ſacramenta, vt baptiſmus: confirmatio, extrema vnctio, verè recipi poſſunt integra ſecundum eſſentiam abſque fructu gratiæ, propter prauam diſpoſitionem ſuſcipientis: ergo & hoc ſacramentum pœnitẽtiæ eodem modo recipi poterit.

6 Tum quia finis præcepti † non cadit ſub præcepto: ſed adeptio gratiæ eſt finis confeſſionis ſacramentalis: ergo poteſt abſque gratia quantum ad ſubſtantiam impleri confeſſio, & pariter præceptum confeſſionis: quare tunc non eſt neceſſarium, vt repetatur.

Tum quia, ſi confeſſio ſacramentalis non poſſet eſſe informis, & valida, ſequeretur, quod homo nunquam ſciret, ſe rectè fuiſſe confeſſum, ſemperque maneret ambiguus, vtrum præceptum
7 confeſſionis impleuerit; cum nunquam homo ſit † certus, quod ſit in ſtatu gratiæ, iuxta illud *Eccleſ.* 9. *Neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit*; & per conſequens ſemper deberet eſſe anxius, & propter hanc ambiguitatem iterum, & ſæpius eadem peccata confiteri; quod eſt maxime abſurdum; tunc enim ſacramentum, quod nobis ad placandas conſcientias inſtitutum eſt, illa potus turbulentia, & tremore inquietaret: cum non magis certi eſſent homines ſe verè fuiſſe confeſſos, quam iuſtificatos.

Tandem, vitæ norma ex prudentum more, & vſu ſumenda eſt:
8 viri autem prudentes, † licèt certi eſſe nequeant, ſintne in gratia Dei, non ſubindè anxiantur dubij, an præceptum ſumendi ſacramentum impleuerint.

Neque obſtant argumenta in contrarium allata. Nam ad pri-
9 mum concedimus verè † eſſe Albertum à ſacerdote abſolutum, & conſequenter à Deo, iuxta illud, *Quodcumq; ſolueris ſuper terram*, &c. & ad probationem dicitur, quòd etſi illa remiſſio non ſit tunc quoad efficaciam ratione obicis: ſit ſaltem quantum ad ſufficientiam; atque adeo ablato obice, ex vi illius abſolutionis fiet efficaciter illa remiſsio.

Ad con-

Ad confirmationem negatur, quod forma illa abſoluendi, qua
10 vtitur confeſſor in caſu, ſit falſa: quia, vt dictum eſt, vere † abſoluit quantum ad ſufficientiam, licèt non quantum ad efficaciam, vt contingit in forma Baptiſmi, dum confertur ſacramentum fictè accedenti.

Ad ſecundum reſpondetur primo cum *Caiet.q.illa* 5.*citata* de confeſsione informi, quod in contritione duo ſunt, ſcilicet, velle recompenſare offenſam, & charitas informans illud velle; & ſa-
11 cramentum pœnitentiæ † poteſt conſiderari dupliciter, vel abſolutè, vel vt fructuoſum. reſpectu ſacramenti abſolutè, ſufficit contritio quo ad primum: reſpectu autem eiuſdem ſacramenti fructuoſi in ipſius præſentia, concurrit contritio etiam quo ad ſecundum: & hoc ſolum deeſt in propoſito; vnde nulla pars ſacramenti, vt neceſſaria eſt ad ſacramentum, deeſt, quamuis deficiat vt neceſſaria ad ſacramenti effectum. Nunc

Reſpondetur ſecundo cum *Soto loco citato*, *art*.2. quòd dupli-
12 citer conſideratur contritio, vel vt eſt † actus virtutis, vel vt pars ſacramenti. Primario cum ſit actus meritorius, & Deo acceptus, ſignificat actum gratia informatum: ſecundario, videlicet vt eſt pars ſacramenti, quantum ad eius ſubſtantiam, non dicit niſi deteſtationem in ordine ad ſacerdotem, vt confeſsio ſit peccatorum explicatiua per modum accuſationis.

13 Vnde in Concilio ſolùm determinatur † in genere, quòd contritio eſt pars ſacramenti: quod autem contritio formata ſit neceſſaria, vel ſacramentum ſit perfectum, & efficax, vel attritio ſufficiat ad ſubſtantiam ſacramenti, relictum eſt Theologorum ſcholis explicandum.

Ad tertium negatur eſſe falſum per confeſsionem informem
14 † impleri præceptum confeſsionis quantũ ad ſubſtantiam actus. Et ad probationem reſpondetur concludere, quod non impletur præceptum ad intentionem, & finem præcipientis: ſed finis præcepti non cadit ſub præcepto.

15 Ad vltimum conceditur, quòd recedente † poſtea fictione ſacramentum abſolutionis præcedens, ſuum poſtea ſortiatur effectum: quia cum nullum peccatum mortale poſt Baptiſmum commiſſum

Digitized by Google

miſſum remittatur, niſi per ſacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto ſuſceptum; & peccata confeſſa non ſit neceſſe iterum confiteri; poteſt enim homo habere formale propoſitum nunquam iterum confitendi illa peccata, & nihilominus remiſſionem conſequi: ſequitur apertè remitti ratione ipſiusmet ſacramenti, quod fuit informe. vnde negatur eſſe priuilegium ſolius Baptiſmi, quod recedente fictione ſuum conſequatur effectum: quia
16 licet ſacramentum Baptiſmi, † & Confeſsionis in hoc differant, quod vnum eſt iterabile, & non aliud: conueniunt tamen in hoc, quòd vtrũque eſt medium neceſſarium ad remittenda peccata ſibi ſubiecta. Conueniunt etiam in hoc, quòd ſicut non eſt neceſſarium iterare Baptiſmum fictè ſuſceptum ad conſequendam remiſsionem peccatorum ante Baptiſmum commiſſorum, per ipſum met Baptiſmum: ita non eſt neceſſarium iterare confeſsionem informem ad conſequendam remiſsionem peccatorum ſic confeſſorum per ſacramentum pœnitentiæ: ſed ſufficiet confiteri fictionem illam, cum illi conſtiterit malè ad ſacramentum acceſsiſſe, quia dolebat de peccatis, ſed imperfectè, & inſufficienter.

Hæc dicta ſint, ſalua ſemper, &c.

SVMMARIVM.

1 *Mercator pluris poteſt vendere merces ſuas pecunia credita, quando erat eas ſeruaturus ad tempus, in quo plus eſſent valituræ, & quare, n.2.*

3 *Si conectum eſt, merces tempore, quo ſunt tradendæ, minus valituras, licitum eſt eas anticipata ſolutione vilius mercari, quam præſenti foro veneunt, & n.14.*

4 *Res, quæ nunc in emptoris vſum non venit, non eſt æſtimanda præſenti pretio, ſed illo, quod, dum ei tradetur, eſt valitura.*

5 *Mercator, vt cariùs vendat merces ſuas expectata ſolutione, quam præſente, an ſit neceſſaria hæc conditio, vt ſeruaturus fuiſſet eas in aliud tempus, Caietani opinio eſt negans, ſed affirmans eſt vera, n.7.*

6 *Nos diſtinguere non debemus, vbi lex non diſtinguit, quomodo intelligenda ſit hæc regula, n.12.*

8 *Ven-*

8 *Vendens pecunia credita nullo alio nomine poteſt carius vendere vltra pretium præſens, quam vt ſeruet ſeipſum indemnem.*
9 *Contractus eſt vltro citroque obligatio.*
10 *Merx ad terminum vendita non plus valet, quàm ſi ad ſtatim venderetur.*
11 *Dubium, quo veriſimiliter dubitatur rem tempore ſolutionis plus, minusuè valituram, non iuſtificat contractum, niſi venditor ſit etiam ſuam mercem alioqui ſeruaturus.*
13 *Lex poſterior explicat, & declarat priorem.*
15 *Contractus venditionis, & emptionis quando abſoluitur, & perficitur. & ſub num. 9.*

CASVS XXVIII.

BERNARDVS vendidit Cæſari Kalendis Nouembris currentis anni quinque tritici rubia ſcutis quadraginta, recepturus pretium menſe Maij, quo tempore veriſimiliter creditur tanti valitura; cum de præſenti pretio rigoroſo non valeant niſi triginta quinque: non tamen venditor erat triticum ſuum vſque ad illud tempus ſeruaturus. *Quæritur, an hic contractus ſit licitus: quod eſt quærere, num potuerit Bernardus triticum carius vendere propter dubium de valore, quem in tempore ſolutionis habebit.*

Pro maiori intelligentia huius caſus prænotandum; Certum,
1 & exploratum eſſe, poſſe † Mercatorem pluris merces ſuas vendere credita pecunia, quam numerata, quando eas ſeruaturus erat ad tempus, quo plus eſſent valituræ, & tamen precibus emptoris cogitur eas ſtatim vẽdere pecunia credita: poſſe itidẽ tanti vendere, quanti eſſet eas venditurus eo tempore, ad quod erat ſeruaturus, deductis laboribus, & impenſis, quas feciſſet in ſuis mercibus ſeruandis vſque ad tempus, quo pluris venderentur.

Hoc

Hoc enim apertè colligitur ex *cap. Nauiganti*, vbi ponitur caſus ad litteram de Mercatore carius, quàm in promptu merces valeant, vendente, quia erat eas ad tempus ſolutionis, quo credebatur plus valituras, ſeruaturus. Ratio vtriuſque eſt: quia talis
2 venditor † pretium non auget ratione temporis, ſed damni, quod patitur, cum eſſet ſeruaturus merces ad tempus, in quo pluris eas vendidiſſet.

Deinde; quia lucrum, aut damnum non cenſetur, niſi deductis periculis, quibus ſubiecta res eſt.

Adde, quia non debet in hoc caſu æſtimari pretium ſecundum præſens, ſed ſecundum tempus, quo venditor ſuas erat merces diſtracturus; alias pateretur emergens damnum, à quo poteſt ſe iure venditor ſeruare indemnem, quando rogatus vendit.

3 Similiter etiam, è contrario licitum eſt, † merces anticipata ſolutione vilius mercari, quam præſenti foro veneunt; ſi tamen eſt coniectura, tempore, quo ſunt vendendæ, plus, minuſuè valituras. Vt verbi gratia, emere menſe Aprilis triticum, quod vſque ad meſſem non eſt recipiendum, non pro pretio, quod in Aprili valet, ſed pro minore, ſi creditur in meſſe, ſiue in æſtate plus, minuſuè valiturum. Et hic caſus etiam ponitur in dicto *cap. Nauiganti*. Eſtque illius ratio: Quia cum res propter vſum
4 emantur, quod nunc † in emptoris vſum non venit, non eſt cur præſenti pretio æſtimetur, ſed illo, quod dum ei tradetur, eſt valiturum.

5 Sed dubitationem habet, An quando mercator † ſuas merces non erat ſeruaturus vſque ad tempus ſolutionis, & credito vendit, pluris poſſit vendere quàm numerata, & ſoluta ſtatim pecunia, ſolùm quia dubitatur, an tempore ſolutionis pretium mercium futurum ſit maius, aut minus eo quod nunc mercator taxat.

Caiet. 22.*q*.78.*ar*.2.*in ſolutione ad ſeptimam partem* tenet affirmatiuam, docetque non eſſe neceſſariam eiuſmodi conditionem, vt Mercator ſuas merces fuiſſet ſeruaturus in aliud tempus: & mouetur his rationibus.

Primo quia in *cap. In ciuitate, de vſuris*, vbi agitur hic caſus, nihil tangitur de iſtius modi conditione; ſed id tantum, ſi du-

bium

bium fuerit, ſintnè plus, an minus merces valituræ: igitur cum Alex. III. non apponat ibi huiuſmodi conditionem, neque diſtinguat inter venditorem ſeruaturum merces, & eum, qui non
6 eſt ſeruaturus, nec nos † diſtinguere debemus, vbi ius non diſtinguit, ex Regulis iuris. Et ita diuerſum putat eſſe caſum *cap. in ciuit.* & caſum poſtremum *cap. Nauiganti.*

Secundo, quia rei ad terminum venditæ, vel emptæ pretium taxandum eſt, prout veriſimiliter valebit tempore ſolutionis, vt habetur expreſsè in *cap. nauiganti* iam citato, cuius verba ſunt, quæ ſequuntur: Qui dat decem ſolidos, vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, vtrum plus, vel minus tempore ſolutionis fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur; non debet ex hoc vſurarius reputari: ergo Bernardus vendens triticum Cæſari credito pro pretio, quod tempore ſolutionis valebit, non eſt reputandus vſurarius, nec agit rem illicitam.

Tertio, venditio ad terminum, ideſt pro pretio poſtmodum ſoluendo, licèt tempore contractus inchoetur, ſolutionis tamen tempore perficitur, & conſummatur: ergo licitum eſt pretium pro tempore ſolutionis, quando perficitur emptio, & venditio taxare, ſiue res eſſet à venditore vſque ad tunc ſeruanda, ſiue non. Cum ſolutio, per quā emptio conſummatur, videatur ad ſe venditionem trahere: vnde ſi tempore ſolutionis, quo conſummatur emptio, res quæ venditur, acceptura eſt veriſimiliter augmētum in valore, poteſt tunc pluris vendi quàm ſit pretium præſens.

Sed his non obſtantibus, reſpondemus ad caſum propoſitum,
7 Non licere Bernardo, qui non erat † ſeruaturus ſuum triticum ad menſem Maij, quo plus creditur valiturum, vendere illud carius ſolutione dilata, quam valeat tempore, quo ipſum tradit. Hæc eſt ſententia *Io. Medinæ C. de reſtit. q. 38. §. aliam quintam cauſam. Soti lib. 6. de iuſt. q. 4. ar. 5. Sylu. ver. vſura 2. q. 1. & 2. Angeli eod. verbo §. 34. Couar. lib. 2. variar. reſol. cap. 3. nu. 6. Mart. Nau. in Man. cap. 17. n. 239. Petri Nauar. de reſtitut. tom. 2. lib. 3. c. 2. nu. 229. Graff. 1. p. Deciſionum aurear. lib. 2. cap. 115. nu. 2. Azorij 3. par. inſtit. moral. lib. 8. cap. 9. q. 4. Aragon. 2. 2. D. Tho. q. 77. ar. 4.*

Salonis ibidem q.78.ar.2.controuer.22.gloſſ.c.nauiganti de vſuris. & eſt communis, & vera, & probatur.

Primo, quia vendens pecunia credita nullo alio nomine poteſt carius vendere vltra pretium præſens, ſeu quod currit in fo-
8 ro tempore venditionis, † quam vt ſeruet ſeipſum indemnem ab aliquo damno emergente, vel lucro ſibi ceſſante: at ſi Bernardus non erat ſuum triticum ſeruaturus in menſem Maij, in quo plus illud valiturum credebatur, nihil ei profuturum erat augmentum futurum, vt conſtat; atque adeo nec damnum illi emergit, nec lucrum ceſſat: ergo vendendo pecunia credita, & ſolutione dilata, nihil niſi pretium, quod in præſenti currit, percipere poteſt.

9 Secundo, Contractus, † vt habetur *l.Labeo, de verbor. ſignific.* eſt vltro, citroque obligatio, ideſt integrè celebratur per conuentionem, qua ſe inuicem contrahentes obligant: ergo tunc contractus emptionis abſolutus eſt, & perfectus, quando emptor vel tradit, vel tradere obligatur mercem, atque emptor vel ſoluit, vel ſoluere obligatur pretiũ. Quo fit vt expectata ſolutio nihil vetet, quominus contractus perfectus ſit. Quare ex illo capite nihil vltra pretium præſens recipi poteſt. Mercis enim traditio, et pretij ſolutio, effectus ſunt potius prioris contractus, quam de eius ratione, ſiue eſſentia.

Tertio, Venditionis forma, quæ credito fit, vna eſt ſemper, ſcilicet, vendo tibi hanc rem pretio tali tempore ſoluendo: nulla ergo reſtat diſcriminis ratio, vt dicatur aliquando contractus inchoatus, & non perfectus; aliquando verò perfectus, & includens mutuum; immo ſemper includit mutuum, puta expectationem ſolutionis.

Denique, Mercis valor non eſt diuerſus per hoc, quod venditur pro pretio in promptu ſoluto, vel poſtmodum ſoluendo; nec
10 valet plus merx † ad terminum vendita, quam ſi ad ſtatim venderetur: ergo propter hoc, quod ad terminum venditur, non eſt licitum in pretio aſcendere magis, quàm ſi ad ſtatim venderetur. Et probatur antecedens; quia venditio ad terminum nihil addit ſupra venditionem ad ſtatim, niſi expectationem ſoluendi pretij in fu-

in futurũ: hæc autem expectatio eſt quædam mutuatio tacita, vt conſtat:non igitur facit,vt merx illo modo vendita,ſit maioris valoris, quam ſi ad ſtatim venderetur: alioqui ratione mutuationis liceret in pretio aſcendere;quod eſt falſum:quia illud eſſet vſura.

Et ſi dicatur, non iuſtificari contractum in caſu,de quo loquimur, in quo carius ad terminum venditur,quàm ad ſtatim,ob id, quia ad terminum venditur;ſed ob dubium,quo veriſimiliter dubitatur,rem tempore ſolutionis plus,minusue valituram.

11 Contra ſtat ratio aperta, quòd ſolum hoc dubium † non iuſtificat contractum, niſi ſimul hoc aliud concurrat,ſcilicet venditorem eſſe alioqui ſuam mercem ſeruaturum. Quod patet ex textu ipſo *cap.nauiganti* iam citati: vbi cum ſummus Pontifex mentionem feciſſet de dubio veriſimili, ſi plus, minusuè tempore ſolutionis res eſſet valitura,ſubiungit, Ratione huius dubij etiã excuſatur,qui pannos,granum,vinum, oleum, & alias merces vendit, vt amplius quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro eiſdem; ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. Quibus verbis manifeſtè patet, ſolam rationem præfati dubij huiuſmodi contractum non iuſtificare, niſi ſimul illa conditio concurrat, ſcilicet ſi venditor eſſet mercem ſeruaturus: alioquin fruſtra dixiſſet textus: Si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. Irrationabile igitur videtur eſſe, dicere, quod propter præfatum dubium poſſit venditor rem carius vendere ad terminum,quam ad ſtatim,ſi ipſe eſſet illicò rem venditurus,& non ſeruaturus.

Neque obſtant,quæ pro Caietano adducta ſunt. Nam ad primum reſpondetur,Alex.III. ibi re vera loqui de cinamomo,pipere,& mercibus, quas venditores illi in aliud tempus ſeruare inſtituebant;& Greg.IX.in *c.*illo *nauiganti*,explicaſſe mentem Alex. in *d.cap.in ciuitate*.conueniunt in hac parte omnes Doctores affirmantes, quæ implicitè dixit Alexander,explicitè declaraſſe Gregorium in tertio caſu *c.nauiganti*.Et ad inſtantiam,Nihil tale
12 diſtinxiſſe Alexandrum;& vbi lex†non diſtinguit,nec nos debemus diſtinguere:Dico cum *Sal. l.cit.* Vbi nullum ſequitur incommodum, non eſſe diſtinguendam legem, quæ abſolutè loquitur:

L 2 at

at vbi grauia ſequuntur damna; cum lex non ſit in laqueum conſcientiarum, ſed recta, & debita regula noſtrarum actionum, diſtinguendum eſſe neceſſariò: maximè quando extat alia lex in ſimili caſu illa incommoda tollens, ſicut in hoc caſu accidit.

Poſſumus etiam dicere, nos propriè non diſtinguere, ſed le-
13 gem poſteriorem † explicare, & declarare priorem per huiuſmodi diſtinctionem. quod poteſt.

Ad ſecundum, cum dicitur pretium rei venditæ, vel emptæ ad terminum, debere taxari prout valebit tempore ſolutionis: Admittimus, ſi erat rem ſeruaturus venditor ad illud tempus, cum limitatione tamen in principio caſus poſita; nempe deductis laboribus, & impenſis, quas feciſſet in ea ſeruanda vſque ad illum terminum, in quo erat eam diſtracturus. Sed ſi non erat eam ſeruaturus, negatur: quia tunc iuſtum pretium eſt, quod communiter currit tempore venditionis. Et ad textum *cap. Nauiganti*,
14 dicimus, quod ſicut, qui mercem emit † anticipata ſolutione, poteſt vilius emere quam tunc valet, ratione intereſſe, ſi eſt veriſimile mercem tempore traditionis vilius valituram; ſic qui erat mercem ſeruaturus, ratione eiuſdem intereſſe poteſt illam vendere carius ad terminum, quam ad ſtatim.

Ad tertium reſpondetur negando venditionem ad terminum
15 perfici tempore ſolutionis: quia, vt oſtenſum eſt, contractus † venditionis, & emptionis abſoluitur, & perficitur, quando venditor vel tradit mercem, vel tradere obligatur, atque emptor vel ſoluit, vel ſoluere obligatur pretium, iuxta definitionem contractus ſupra poſitam: per ſolutionem verò pretij contractus, & ipſius obligatio ſuum completè effectum ſortitur. Sed ex hoc non ſequitur, quod tempore contractus poſſit is, qui credito vendit, in pretio aſcendere, ſuppoſito quòd non ſit rem ſeruaturus, ſed illicò diſtracturus: quamquam poſſet pretij taxationem relinquere ex valore futuro rei pendere: vnde accideret venditorem maius pretium poſtea recepturum, quàm res vendita in promptu valeat.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Pactum quid ſit, & pollicitatio.*
2 *Promiſſio ſimplex quid ſit propriè ſumpta.*
3 *Diſcrimen inter offerre fidem, & dare fidem.*
4 *Promiſsio per vim, aut metum, vel dolum extorta non obligat in aliquo foro.*
5 *Qui promiſsionem, & fidem datam violat in re graui, peccat lethaliter, & contra iuſtitiam. & num.* 8. & 12.
6 *Omnis iniuria, per quam inter prudentes iuſtè diſſoluitur amicitia, peccatum mortale eſt contra charitatem.*
7 *Violatio voti eſt contra virtutem Religionis, & contra virtutem fidelitatis.*
9 *Fides, quam alteri damus, pertinet ad iuſtitiam, immo eſt ipſiſſimum iuſtitiæ fundamentum.*
10 *Iuſtitia eſt reddere debitum; & omne promiſſum verè eſt debitum.*
11 *Promittere ſignificat dicere verum, obligando ſe, cui dicitur, ad illud ſeruandum.*
13 *In vera promiſsione duo ſunt, veritas in promittendo, & fides in adimplendo.*
14 *Mendacium, & fidei violatio diuerſa ſunt peccata.*
15 *Iuſtitia duplex, legalis, ſeu ciuilis, & naturalis; diſcrimenq. inter eas. & num.* 19.
16 *Legatum non eſt propriè promiſsio, nec firmitatem vllam habet ante mortem teſtatoris.*
17 *Quid per honeſtatem intelligat D. Thomas, cum inquit, Homo homini obligatur ex qualibet promiſsione ſecundum honeſtatem. Hoc dictum D. Thomæ non excludit iuſtitiam naturalem, ſed legalem. num.* 18.

CASVS XXIX.

CORNELIO ad Aedem D. Mariæ Lauretanæ profecturo deuotionis cauſa, Bonifacius promiſit equum ſuum gratis ſe commodaturum, nō ſcripto, aut coram teſtibus, ſed ſimplici verbo, accepitque promiſſionem Cornelius: ſed cum tempus iter aggrediendi aduenit, non ſtetit promiſſis Bonifacius, allata quadam excuſatione non vera. *Quæritur, an violando promiſſionem Bonifacius peccauerit lethaliter contra iuſtitiam.*

Antequam ad caſum hunc reſpondeamus, ſciendum, quòd promiſſio interdum latiſſimè accipitur, vt comprehendit non ſo-
1 lum pactum, quod eſt † duorum conſenſus, atque conuentio, ſed etiam pollicitationem, quæ eſt ſolius offerentis promiſſio, priuſquam ſcilicet ab altero acceptetur. Interdum verò multò preſſius ſumitur pro illa tantum promiſſione, quæ fit præcedente alterius interrogatione, & ſtipulatio dicitur: vt ſi ita rogem, promittis ne mihi centum? & reſpondeas, promitto.

Sed propriè accepta, nec tam latè, nec tam preſsè, ſed medio modo promiſſio, ſi ſimplex ſit, hoc eſt, quando nec ratione alicuius debiti præcedentis fit, nec iuramento munitur, iuxta communiorem Doctorum ſententiam, & vulgi vſum, nihil aliud eſt,
2 quam † *Datio fidei firma, & ſpontanea de re licita.*

Dicitur, *fidei datio*, ad excludendam pollicitationem, quæ *l. pactum. ff. de pollicitationibus*, eſt ſolius offerentis promiſſio. atq.
3 adeo non eſt propria, & ſimpliciter promiſſio: cum aliud ſit † offerre fidem, quod fieri poteſt, etiamſi non acceptetur: aliud dare fidem, quæ propriè nōn eſt data, & multo minus firmiter data, ſi non acceptetur; cum dare, & accipere correlatiua ſint. Vnde Salomon *Prou. 6.* vim propriæ ſponſionis, ſiue datæ fidei decla-

rans

rans inquit, *Si ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam*, (hoc eſt, immiſiſti poteſtatem tuam: accipitur enim manus pro poteſtate: vnde manu miſſus dicitur liberatus à poteſtate) *illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus.* Vbi verba illa, *Defixiſti*, *illaqueatus*, *captus*, ſatis apertè oſtendunt, vt promiſſio vim habeat, fidem non tantum oblatam, ſed etiam acceptam eſſe debere, atque adeo ſub pacto etiam definito ſupra comprehendi.

Additum eſt, *firma*; quia vt promiſſio propriè ſit, debet fieri cum plena deliberatione, quæ ſcilicet ad peccatum lethale ſufficiat; alioqui non erit actus omnino humanus, & ita ad culpam non obligabit, ſicut nec ex voto per ſemiplenam deliberationem amiſſo vlla obligatio ſuſcipitur.

Dicitur etiam, *firma*, quia non ſatis eſt ad propriam promiſſionem, quod quis dicat, Dabo, vel faciam; etiam cum deliberato propoſito adimplendi, niſi ſimul habeat animum ſe obligandi, iuxta *Caiet.* 22.*q.*48.*ar.*1. imo *D. Thom. q.*110.*ar.*3.*ad quintum*, & omnes eius diſcipulos. *Sot. de iuſt. & iure lib.*7. *q.*1. *ar.*2. *ad finem, & Salonem l.c.*

4 Additur, *ſpontanea*: quia ſi per vim, † aut metum, dolumue extorta ſit, non obligabit in aliquo foro: vt conſtat per varia capita *de his, quæ vi, metuſuè cauſa fiunt.*

Additur, *De re licita*, quod ſupponit eſſe rem poſſibilem: quia nemo ad impoſſibile obligatur, vt habetur *de Regulis iuris, lib.* 6. *Regula Nemo.* Deinde, quod ſine peccato adimpleri valeat. etenim qui promittit peccare, aut id, quod ſine peccato adimpleri non poteſt, peccat promittendo, & multo magis adimplendo: ſicut qui vouit, vel iurat aliquid iniquum. Vnde illud Iſidori, habetur, 22.*q.*4. *In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum; impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* Vide *Fernand. Rebell. par.* 2. *de oblig. iuſt. lib.* 18. *num.* 1.

His prænotatis, Reſpondeo ad caſum propoſitum affirmatiuè,
5 nempe Bonifaciũ violando † promiſſionẽ, & fidem datã Cornelio lethaliter peccaſſe, & contra iuſtitiam. Quicquid videatur ſentire in contrarium *Caiet.* 2.2.*q.*88.*ar.*1. & *q.*113. *art.*1. *dub.*4. & *in*

ſumma verbo. Perfidia,& Armilla eius aſſecla eodem verbo. Nam hæc noſtra reſolutio eſt ſententia *Soti lib.7. de iuſt.q.2. ar.1.verſu,difficultas ergo.Arag.2.2.q.88.ar.3.Salonis 2.2.p.1.q.5. de dominio,ar.3.dub.2.Greg.de Valentia to.3.diſp.6.q.6.pun.1. Angeli ver.pactum.*§.4.*Sylu.eodem verbo,q.4.Tabienſis eodē ver.* §.2. *Ioſeph Angles in floribus 4.ſent.q.de voto,ar.2.difficultate 3.Nauar. in Man.c.18.n.6.Azorij p.3.inſtit.moral.lib.11.c.14. q.3.& 4. Sayr.in Claui Regia lib.6.c.6. n.14. & ſeqq.* & aliorum cõmunis.

Et probatur quoad ambas partes: & primo, quod peccauerit lethaliter non ſeruando promiſſum.Quia quòd ſaltem venialiter, nemo eſt qui ambigat:quoniam ad minus promiſſio illa fuit aſſertio,quam qui re non complet mentitur: mendacium autem omne delictum eſſe, ſaltem veniale, his rationibus oſtenditur.

Tum quia ſicut obligat veritas ad non decipiēdum fratrem in promiſſione,ita fides ad adimplendum promiſſum, & opere verificandum: ſicut enim veritas reſpicit ipſam promiſsionē,ita fides eius executionem: ſed decipere fratrem promiſsione ficta in re grauì peccatum lethale eſt;cum inferat illi maximam iniuriam: conſtat enim virum prudentem, cum primum nouit promittētem ſibi mentitum,maxima iniuria,& cõtumelia iudicare ſe affectum: ergo & non adimplere promiſsionem, & fidem frangere, vt fecit Bonifacius in caſu, peccatum eſt lethale; omnis enim promiſsio vera quantumuis ſimplex fidei datio eſt.

6 Tum quia omnis iniuria,† per quam inter prudentes iuſtè diſſoluitur amicitia,peccatum mortale eſt contra charitatem: eiuſmodi autem eſt iniuria, quam Bonifacius fecit Cornelio non ſeruando ei promiſſum; quia iuſtè, & prudenter quilibet illum à ſua amicitia repellit,qui in re graui violat datam ſibi fidem:ergo violando fidem Bonifacius mortaliter peccauit.

Tum quia vniuerſæ nationes, & gentes fidei violatorem veluti ſceleſtum hominem execrantur:vox autem publica eſt vox naturæ: ergo promiſsio etiam ſimplex, quæ eſt fidei datio, obligat ſub reatu mortali: & hanc violauit Bonifacius.

Tum denique, quia ex ſententia *D. Thomæ 2. 2. q.88. art.3.*
7 Violatio voti,† quod eſt promiſsio Deo facta,non ſolum eſt peccatum

catum grauiſſimum, quia eſt contra virtutem religionis, verum etiam, quia eſt contra virtutem fidelitatis, & eſt ſpecies quædam infidelitatis contra fidem datam: vnde iuxta D. Thomam,
8 Infidelitas in promiſſis † in re graui, ex ſuo genere peccatum lethale eſt, & colligitur ex *cap. 9. Eccleſiaſtes:* vbi dicitur, *Diſplicet Deo infidelis promiſsio*. Ergo & violatio promiſsionis factæ homini peccatum mortale eſt; cum quantum ad hoc eiuſdem ſint generis promiſsio Deo facta, & facta homini. itaque Bonifacius mortaliter peccauit, infideliter enim egit non ſeruando promiſſum.

Secunda pars, ſcilicet, quod ſit peccatum contra iuſtitiam, breuius oſtenditur.

9 Tum quia fides, † quam alteri damus, & per quam nos alteri aſtringimus in promiſsione, non ſolum ad iuſtitiam attinet, verum eſt ipſiſsimum iuſtitiæ fundamentum, vt ait *Cicero 1. offic.* cui omnia hominum pacta, conuentaque nituntur. ergo Bonifacius violando fidem in promiſsione datam egit contra iuſtitiam.

10 Et confirmatur, Quia ad iuſtitiam ſpectat, † debiti ſolutionem facere: poſtquam autem aliquid eſt promiſſum, eſt debitum: egit itaque Bonifacius contra iuſtitiam non ſoluendo promiſſum.

Tum denique, quia promittere non ſignificat dicere verum vt
11 cunque, † ſed dicere illud obligando ſe cui dicitur ad illud ſeruandum, & adimplendum; vnde non ſolum pertinet ad virtutem veritatis moralis, ſed etiam ad iuſtitiam commutatiuam, qua tenemur reddere debitum ei, cui fuit promiſſum. Ergo Bonifacius violando promiſsionem nedum egit contra veritatem, ſed contra iuſtitiam commutatiuam, quæ ex ſuo genere obligat ad mortale.

Adde, quod promiſsio illa, quæ fit coram teſtibus & tabellione, ideo pertinet ad iuſtitiam à parte rei, quia eſt fides proximo data: ergo & promiſsio ſimplex, quæ nec fit cum iſta ſolemnitate ad iuſtitiam ſpectat, cum ſit pariter datio fidei: nam à parte rei ſolemnitas illa non mutat naturam promiſsionis, nec addit maiorem obligationem in foro animæ: & conſequenter Bonifacius
12 hanc ſimplicem promiſsionem † violando, & fidem datam frangendo, contra iuſtitiam egit.

Neque

Neque obſtat huic ſententiæ, ſi dicatur, Ex promiſſione ſimplici naſcitur tantum debitum non mentiendi, & ſeruandæ veracitatis: atqui ad non mentiendum non obligamur ex iuſtitia, nec ſub reatu mortali: quia mendacium abſolutè, & ſimpliciter leue peccatum eſt, veluti officioſum & iocoſum: non itaque ſimplicem promiſſionem violans lethaliter peccat.

Quia reſpondetur negando Maiorem, videlicet, ex promiſſione ſimplici naſci ſolum debitum non mentiendi: quia conſurgit etiam debitum ſeruandæ fidelitatis: nam in vera promiſsione

13 † duo ſunt, veritas in promittendo, & fides in adimplendo: quæ fides cum pertineat ad iuſtitiam, eam violare in re graui peccatum mortale eſt. Quare non eſt ſolum mendacium, immo diuerſa

14 ſunt peccata † mendacium, & fidei violatio; illud contra virtutem, à qua dicuntur homines veraces; hoc contra aliam virtutem, à qua dicuntur homines fideles: prima conſiſtit in verbis, ſecunda in factis.

Neque obſtat ſecundo, quod id quod ex iuſtitia debetur, poteſt apud iudicem exigi: contra autem promiſſionem ſimplici verbo factam non licet apud iudicem agere, nec iudex poteſt ſic promittentem compellere in iudicio.

Nam reſpondetur non eſſe verum vniuerſaliter, quòd quicquid ex iuſtitia debetur, poſſit exigi apud Iudicem, ſed ſolum de

15 iuſtitia † legali, & ciuili; quia Iudices debent iudicare ſecundum leges: at de iuſtitia naturali, ſiue particulari non eſt verum. & de hac procedit caſus noſter.

Neque obſtat tertio, quod legatum videtur eſſe quoddam promiſſionis genus; & tamen quamdiu viuit teſtator, legata omnia mutare poteſt, nec tenetur ſoluere legata. ſignum ergo eſt, non quamlibet promiſſionem ex ſuo genere ſub mortali obligare.

16 Reſpondetur enim legata † non eſſe propriè promiſſiones, nec firmitatem vllam habere ante mortem teſtatoris: quia vt ait Apoſtolus, Teſtamentum morte confirmatur: vnde ad illum articulum ſunt referenda omnia.

Neque demum officit auctoritas *D. Thomæ 22. q. 88. art. 3. ad*

17 *primum*, vbi ait, † hominem homini obligari ex qualibet promiſſione

ſione ſecundum honeſtatem. quaſi ſignificare velit; obligationem, quæ conſurgit ex promiſſione, non pertinere ad iuſtitiam, ſed ſolum ad honeſtatem moralem.

18 Quia reſpondemus eum non excludere † obligationem iuſtitiæ naturalis; ſed legalis, & ciuilis: quia in iudicio ſimplex promiſſio actionem non producit: non enim datur actio aduerſus promittentem ſimplici verbo. & quamuis ſic promittens non obligetur ciuiliter; obligatur tamen naturaliter ex fide data, & conſequenter ex iuſtitia particulari, quam reſpicit forum interius: & hanc iuſtitiam particularem ad diſtinctionem illius legalis
19 vocat D. Thomas ibi honeſtatem: illa enim, ſcilicet legalis † aſtringit non ſolum promittentem, ſed etiam hæredes, & ſucceſſores: hæc verò ſolum promittentem obligat.

SVMMARIVM.

1 *Circumſtantiæ omnes mutantes ſpeciem neceſſariò explicandæ ſunt in confeſſione.*

2 *Mortale, & veniale non differunt ſpecie in genere actus moralis; ſed in genere offenſæ differunt pluſquam ſpecie.*

3 *Circumſtantias peccatum mortale intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantes, laudabile eſt, & tutius eas confiteri.*

4 *At an ſit neceſſarium eaſdem in confeſſione explicare, oppoſitæ ſunt Doctorum ſententiæ, & n. 5.*

6 *Confeſſio potuit ita inſtitui, vt quiſque teneretur confiteri numerum, & ſpecies peccatorum, & non circumſtantias augentes malitias.*

7 *Concilium Tridentinum declarando circumſtantias, quæ mutant ſpecies, eſſe confitendas, indirectè inſinuauit ſufficere illas confiteri.*

8 *Circumſtantiæ aggrauantes non ſunt neceſſariò confitendæ propter integritatem confeſſionis, neque ob æquitatem ſatisfactionis.*

9 *Durum valdè eſt obligare peccatorem, imò & ipſum confeſſarium adſciendum circumſtantias aggrauantes.*

10 *Olim*

10 *Olim in antiqua Eccleſia conſuetum fuit, non tamen decretum tanquam de neceſſitate ſacramenti, rationem habere circumſtantiarum aggrauantium; quia ſummo rigore pœnitentiam iniungebant.*

11 *Burcardus Epiſcopus refert varias pœnitentias graues pro leuibus peccatis aſſignatas ab Eccleſia.*

12 *Aequitas in iniungendis pœnis pro peccatis quomodo ſeruanda eſt.*

13 *Peccatum inferioris ordinis nunquam poteſt æquari peccato ſuperioris ordinis, ſiue ſpeciei in malitia, quamuis in pœna æquari poſſit.*

14 *Grauitas malitiæ, quam confeſſarius debet attendere in confeſſione, non eſt cuiuſcumque peccati adamuſſim; ſed numeri, & ſpecierum peccatorum, & ſub n. 12.*

15 *Circumſtantia quantitatis furti non eſt per ſe explicanda in confeſſione neceſſariò, niſi ratione reſeruationis, vel excommunicationis.*

CASVS XXX.

CVm inter circumſtantias peccatum aggrauantes, quędam ſint, quæ mortaliter ſpeciem in genere moris mutant, de quibus non eſt ambigendum, quod ſunt confeſſu neceſſariæ: aliæ verò, quæ aggrauant notabili modo peccatum, ſed tamen ſpeciem non mutant: *Quæritur, vtrum ſolum mutantes ſpeciem, an etiam notabiliter aggrauantes circumſtantiæ de neceſſitate confeſſionis ſint.*

Hic caſus vnum ſupponit, & aliud quærit: ſupponit enim
1 nos teneri † ad confitendum circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant: namque hoc definitum eſt in *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. & ratio, quæ ad hoc definiendum Concilium mouit, eſt; quòd confeſſarius eſt Iudex, qui in cauſa pœnitentis non poſſet æquam ferre ſententiã abſque manifeſtatione circumſtantiæ, quæ

mutat ſpeciem peccati. Quærit verò de circumſtantijs, quæ non mutant ſpeciem in genere moris, ſed augent peccati malitiam, & aggrauantes dici ſolent à Scholaſticis, an neceſſario exprimi debeant in confeſſione. Et intelligitur quæſtio, quando nec circumſtantia mutat ſpeciem moris, nec de veniali facit mortale intra eandem ſpeciem; veluti furtum in genere actus moralis eiuſdem ſpeciei eſt in magna, & parua quantitate. quia morta-
2 le, & veniale † non differunt in genere actus moralis ſpecie: ſed in genere offenſæ differunt pluſquam ſpecie, quia analogicè dicuntur. Quia ergo in confeſſione opus eſt explicare mortale, vt mortale, opus eſt cum ea circumſtantia explicare, cum qua fit mortale; vt quòd furtum fuerit tanti momenti, vt ſit mortale. Difficultas tantum eſt; vtrum ſit etiam neceſſarium explicare fuiſſe tantæ quantitatis furtum, puta vt centum, vel plurium, vel ſatis ſit dicere; furtum mortale ſemel commiſi: & ſic de alijs circumſtantijs augentibus malitiam.

Ad quam difficultatem, quæ non leuis eſt, ſed maximè controuerſa inter Doctores, *Scotus 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 1. §. de ſecundo articulo*, Reſpondet neutram partem eſſe certam, tutius tamen eſſe eas confiteri; quod ipſum affirmat *Gabriel ibidem quæſt. 1. ar. 2.* ſcilicet tutum, & perfectum eſſe eas confiteri:
3 ſed nemo ambigit laudabile, † & tutius eſſe eas confiteri; cum in eo peccatum eſſe non poſſit; ſed forſitan non eſt animabus magis expediens, cum ſit cauſa multorum ſcrupulorum: neque caſus noſter quærit, an ſit tutius, ſed an ſit neceſſarium huiuſmodi circumſtantias ſolùm augentes malitias in confeſſione exprimere.

4 Pro parte affirmante, † quam tuentur *Altiſiodor lib. 4. ſum. tract. 6. cap. 3. quæſt. 3. Alexand. Alenſis 3. par. quæſt. 18. memb. 4. ar. 3. §. 2. Marſil. 4. ſent. diſtin. 12. ar. 1. par. 1. dub. 1. Maior ibidem diſtinct. eadem quæſt. 4. Sotus ibidem diſtinct. 18. quæſt. 2. ar. 4. Victoria ſumma ſacramentorum cap. 177. Caiet. 12. quæſt. 7. & in ſumma verbo, confeſſio, conditione 15. & Suarez. tom. 4. in 3. par. D. Thom. diſput. 22. ſect. 3.* cum nonnullis alijs ab eo citatis.

Facit

Facit primo: quia fuerunt antiqui in Eccleſia canones, qui dicebantur pænitentiales, in quibus variæ pænitentiæ, & ſatisfactiones deſignantur pro peccatis eiuſdem ſpeciei, iuxta diuerſam eorum grauitatem, vt videre eſt apud *Gratianum*, maximè *cap.* 2 *&* 22. & apud *Burcardum in ſuo decreto lib.* 19. *cap.* 5. ergo ſignum eſt non ſolum hæc peccat, ſed etiam notabiles eorum grauitates declarandas fuiſſe in confeſſione.

Secundo facit, quia confeſſarius, qui Iudex eſt in cauſa pænitentis, debet iudicare, & pro peccatis pœnas iniungere ſecundum æquitatem: hoc autem commodè exercere non valet, niſi pænitens illi explicet circunſtantias peccatorũ malitiam augentes; quia alioqui non cognoſcet peccare quodcumque ſecundum grauitatem, quod de natura iudicij eſt. ergo neceſſum eſt illas explicare, ne iudicium ſit cæum, & diminutum. & hoc indicare videtur *Conc. Triden. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. cum ait, *Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pænis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpeciè, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.*

Tertio facit: quia aliquando poteſt fieri, vt circumſtantia aggrauans peccatum faciat eſſe maius, etiamſi ſit inferioris ordinis, quam circunſtantia mutans ſpeciem: vt quantitas in furto grauius facere poſſet peccatum, quam circumſtantia ſacrilegij: verbi gratia, demus furari decem aureos, eſſe grauitatis, vt vnum, & furari eos ex eccleſia eſſe grauitatis duplæ, arguit furari mille aureos à mercatore multo eſſe grauius, quam furari decem ab Eccleſia: plus enim grauitatis addit furtum nongentorum aureorum ſupra decem, quàm illa circumſtantia, vt ſit ab Eccleſia. ergo ſi circumſtantia mutans ſpeciem explicari debet, pariter & aggrauans.

Quarto demum facit: Quia ſtante opinione contraria contingeret aliquando, quod maior pars malitiæ eſſet, quæ celaretur in confeſſione, quam quæ manifeſtaretur: vt ſi quis conſenſit in homicidium, & continuauit conſenſum illum per diem integrum, & alius conſenſit in idem delictum per horam tantum, eadem, actus intentio-

intentione, ſi vterque dicat, cum confitetur, accuſo me, quia conſenſi ſemel in homicidium; nonne primus maiorem malitiæ partem celat, cum poſſit intelligi de conſenſu, per horam, vel dimidium horæ? ne igitur celet, confiteri debet duratione̅ conſenſus.

Item, furari decem aureos eſt peccatum mortale, furari mille eſt eiuſdem ſpeciei cum primo furto: Nunquid huic ſufficiet dicere, accuſo me, quòd furatus ſum vſque ad mortale, non nominando quantitatem? non certè: cum hoc vnum peccatum non ſolum æquiualeat pluribus alijs in eadem ſpecie, ſed etiam præualeat.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum negatiuè,
5 non eſſe neceſſarium † ad integritatem confeſſionis, has circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eãdem ſpeciem in confeſſione explicare. Quæ ſententia eſt communis, *D. Thom. 4. ſent. diſt. 16. quæſtiunc. 3. ar. 2. quæſt. 5. Palud. quæſt. 3. ar. 3. Dur. quæſt. 4. Riccardi ar. 3. quæſt. 5. Dioniſii Carthuſ. quæſt. 2. eiuſdem diſt. Alberti Magni diſt. 17. quæſt. 24. D. Bonau. eadem diſt. par. 3. diſtinctionis ar. 2. quæſt. 3. D. Anton. 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 7. Medinæ C. de confeſſione quæſt. 7. de circumſtantijs confitendis. Sylu. verbo confeſſio 1. q. 9. Nau. in Man. cap. 6. num. 6. & in cap. conſideret, de pænit. diſt. 5. num. 6. & ſeqq. & Gabrielis Vazquez tom. 4. diſput. in 3. par. D. Thom. q. 91. ar. 1. dub. 2. & 3.*

Et probatur his argumentis. Primo, quia ſatis conſtat hanc obligationem confeſſionis, & omnium, quæ ad eam concurrunt, iure diuino poſitiuo introductam eſſe, & potuiſſe ita inſti-
6 tu, † vt quiſque teneretur confiteri peccatoru̅, numerum, & ſpecies, non vero circumſtantias augentes malitias: ſi ergo non conſtat ita à Deo præceptum fuiſſe, vt & circumſtantias aggrauantes confiteamur: neque enim ex Euangelio conſtat, nec traditione Apoſtolica, nec doctrina Patrum: immo *Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5.* deducens ex ipſo Euangelij loco, & ex verbis eius hoc præceptum, & decernens in particulari ad quid ex præcepto teneamur, ſolum definit numeru̅ peccatorum eſſe explicandum, & varietatem ſpecierum, atq. adeo circumſtantiam omnem quæ ſpeciem mutat; ſequitur, quod qui tantum ea confitetur, quæ Conc. Trid. explicauit eſſe explicãda, ſatisfaciat præcepto confeſſionis,

ſionis, patet conſequentia: Quia cùm hoc ſit præceptum, & ita intelligi poſsit, vt diximus, nec Eccleſia, quæ illud declarauit, aliquid aliud tanquam neceſſarium propoſuerit ex hoc præcepto, quàm explicandas eſſe omnes ſpecies, & numerum peccatorum: vnde aliud etiam fuiſſe præceptum colligere debemus?

7 Et confirmatur ratione *Nauarri:* Concilium Trid. † cui interfuerunt viri doctiſsimi, & ſanctiſsimi, qui de his opinionibus in ſcholis diſſeruerunt, præcitata ſeſſ. declarauit circumſtantias, quæ mutant ſpecies, eſſe confitendas: ergo indirectè inſinuauit ſufficere illas confiteri. argumento *cap. cum Apoſtolica, de his, quæ fiunt à Præl.*

Deinde, ſi eſſet neceſſarium circumſtantias aggrauantes con-
8 fiteri, † vel eſſet, propter integritatem abſolutionis, vel propter æquitatem ſatisfactionis. Non primum, quia ad illa per ſe requiruntur circumſtantiæ mutantes ſpeciem; quia moraliter conſtituunt diſtincta peccata, ex quibus vnum non poteſt ſine alio tolli: hæ autem circumſtantiæ non addunt peccatum nouum; ſed concurrunt ad conſtitutionem eiuſdem. quod totum dicitur, etiamſi abſolutè, & ſine explicatione talium circumſtantiarum dicatur, & totum etiam remittitur. Nec ſecundum: quia ſicut ſatis eſt confeſſario in iudicio pœnitentis cognoſcere varietatem ſpecierum, & numerum; vt ſignificat illa particula, *Quorum remiſeritis peccata:* ita & pro peccatis ſecundū ſpeciem, & numerum pœnam ſecundum æquitatem imponere: & non requiritur vt adamuſsim imponatur ſecundum grauitatem peccati intra propriam ſpeciem, ſecundum varias circumſtantias circa illam. ergo neque ex integritate abſolutionis, neque ex æquitate ſatisfactionis poteſt colligi hæc neceſsitas, ſicut in alijs colligitur.

Accedit, quòd teneretur peccator ſcire circumſtantias aggrauantes, ſicut tenetur ſcire peccata mortalia, quæ confiteri de-
9 bet: hoc autem eſt † valde durum, obligare ſcilicet peccatorem ad ſciendum circumſtantias aggrauantes; immò & ipſum confeſſarium, qui tenetur interrogare per ſingula, ſi penitens non ſe explicat: quoniam vix poteſt cum aliqua certitudine, & regula explicari, quid ſit notabiliter aggrauare, & quando ad illum ter-

minum

minum perueniatur: non ſunt ergo pœnitentes in has anguſtias redigendi. Præſertim, quia deſcendendo ad particulares circumſtantias, vix poteſt illud ad praxim deduci. Quomodo enim explicabit pœnitens magnam intenſionem, & feruorem in peccando? quæ circumſtantia plus forte auget intra eandem ſpeciem, quàm quæcumq. alia. Quomodo duratione temporis in omni peccato? quo enim magis durat peccatum, grauius redditur; vnde tandem erit circumſtantia aggrauans notabiliter, & ita explicanda, ſicut quantitas in furto. Quomodo omnia beneficia à Deo accepta? vnde creſcit maximè circumſtantia ingratitudinis, vt infert *Ioan. Medina*, & ſic de cæteris. Certè hoc moleſtiſſimum eſſet, & à nullo vſitatum. Imò ſi velimus confeſſarios ferè omnes interrogare de hac re, nullum inueniemus, qui in omni materia hoc obſeruet, vt omnes circumſtantias aggrauantes interroget; ſed tantum in materia furti, cum in eo ſit facilius ita de quantitate interrogare: & tamen eadem eſt ratio de omnibus. Signum igitur eſt, quòd non ſunt neceſſariò hæ circumſtantiæ aggrauantes confitendæ.

Neque obſtant argumenta pro alia opinione allata. Nam ad
10 primum reſpondetur, olim in antiqua Eccleſia † id conſuetum fuiſſe: quia ſummo rigore pœnitentiam iniungebant: non quòd ita decretum eſſet ab Eccleſia, tanquam de neceſſitate huius ſacramenti, rationem habere harum circumſtantiarum; ſed feruente adhuc charitate in Eccleſia ita fiebat, vt perfectius ageretur pœnitentia. Vnde in *Burcardo Epiſc. loco citato*, inuenitur pro mul-
11 tis peccatis † imponi pœnitentias graues, quæ re vera peccata mortalia non erant, & fortaſſe nec venialia: nam imponitur pœnitentia ieiunandi decem dies in pane, & aqua ei, qui acceſſerit ad propriam vxorem, poſtquam conſtat illam concepiſſe. quod conſtat non eſſe mortale, ſed nec veniale, in opinione aſſerente ad euitandam tentationẽ carnis licere ad propriã accedere. Et quod maius eſt, poſtea additur pœnitentia quatuor dierum ieiuniorum in pane, & aqua ei, qui in die Dominica cum vxore concubuit. Vnde non eſt mirum, ſi etiam alijs in locis ſtatuatur diuerſa pœna propter diuerſas circumſtantias aggrauantes, & minuentes.

Neque obſtat ſecundum. Nam reſpondetur verum eſſe, quod æquitas ſeruari non poteſt in pœnis iniungendis, niſi cognita in particulari cauſa: & ideo oportet peccata explicare. non tamen inde colligitur explicandas eſſe circumſtantias aggrauantes, nec
12 quòd ſeruanda ſit æquitas ita adamuſſim,† conſiderata tota peccati grauitate vndecumque illa proueniat: ſed conſiderata tantum & varietate ſpecierum, & numero eorum, non verò grauitate intra eandem ſpeciem. Nec ex natura iudicij colligitur, quod tota grauitas peccati cognoſcatur: quia potuit inſtitui, vt diximus, ſine cognitione tam exacta cauſæ; & credimus ita conſtitutum: quia contrarium non conſtat. Quod exiſtimo Chriſtum feciſſe, ne nimis onerofum relinqueret hoc iudicium.

Ad tertium reſpõdetur ex dictis: Non ideo mutans ſpeciem circumſtantia eſt explicanda, quia facit grauius peccatum, ſed quia facit nouum: peccata autem diuerſa explicari debent, vt colligi-
13 mus ex illo *Ioan.* 2. & *Conc. Trid.* Ac etiam falſum eſt,† quòd peccatum inferioris ordinis poſſit attingere malitiam peccati ſuperioris ſpeciei in malitia, quamuis in pœna æquari poſſit. ita *Vazquez loco cit. dub.* 2. *num.* 39.

Ad quartum reſpondetur cum Nauar. Temporis durationem non eſſe neceſſario explicandam, inquantum aggrauans eſt; ſed quando fuerit nimia, explicari oportere; quia fortaſſe videtur vnũ peccatum, & plura fuerunt, quorum numerus cum explicari commodè non poſſit, oportet durationem explicare. Eſt ergo ratio diuerſitatis; quia numerus peccatorum explicandus eſt: quoniam huius extat præceptum. at circumſtãtia aggrauans, etiam ſi adæquet ſua malitia multa peccata, non eſt explicanda: quia huius
14 non extat præceptum; & grauitas malitiæ, † quam confeſſarius debet attendere in confeſſione, non eſt cuiuſcumque peccati adamuſſim, vt diximus, ſed numeri & ſpecierum peccatorum.

Ad furti argumentum iam reſponſum eſt, quod illa circumſtantia aggrauans etiamſi adæquet ſua malitia plura peccata, non eſt neceſſario confitenda. Et *Nauarr. in Manual. cap.* 6. *num.* 9. *& in cap. conſideret. de pœnitentia diſtinct.* 5. docet circumſtantiam quantitatis furti non eſſe explicandam, quia auget; ſed

aliquan-

Digitized by Google

15 aliquando † ratione excommunicationis: vel ſicut dicit Syluester, ratione reſeruationis: aliàs ſi nihil horum eſſet, & reſtitutio facta eſſet, non video quare eſſet neceſſarium explicare.

Hæc ſint dicta ſalua ſemper meliori ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Vitium rei aliquando manifeſtum, aliquando vero occultum eſt: & hoc etiam duplex eſſe poteſt.*

2 *Vnuſquiſque poteſt propriæ rei, ſeu vtilitati conſulere, quando alterius damni non eſt cauſa, & n. 12.*

3 *Quamuis venditor non teneatur detegere vitium manifeſtum; ſi tamen ſibi conſtaret illud non eſſe emptori notum, tenetur ſub mortali, & obligatione reſtituendi vitium aperire.*

4 *Venditor occultans rei defectum, quo vel damnum aliquod temporale datur, vel periculum emptori creatur, peccat lethaliter, & ad reſtitutionem tenetur, & n. 16.*

5 *Licitum aliquando dicitur aliquid ſecundum legem, quod per legem non punitur.*

6 *Leges ciuiles permittunt exceſſum citra dimidium in venditione, non tanquam iuſtum, ſed tanquam nõ deducendum in iudicium.*

7 *Auctoritas D. Ambroſij dicentis, In contractibus vitia eorum quæ veneunt, prodi iubentur, &c. quomodo intelligenda ſit, n. 18.*

8 *Dolus duplex, dans cauſam contractui, & tantum incidens in contractum: & quid vterque ſit.*

9 *Actio redhibitoria, & quanti minoris, quando emptori competant, & quæ ſint.*

10 *Iure naturæ tenetur quilibet proximo ſuo facere, quod ſibi vellet fieri, limitatur, n. 19.*

11 *Venditor reticendo defectum occultum rei, quæ emptori non eſt inutilis, neque nocua, aut periculoſa, non peccat lethaliter, neque ad aliquam reſtitutionem tenetur, quamuis ſi emptor ſciuiſſet, non fuiſſet rem mercatus, ſaltem pro eodem pretio, modo non pluris vendiderit, quàm cum tali vitio valeat.*

13 *Venditionis contractus, in quo emptor eſt irrationabiliter inuoluntarius, non eſt iniquus, nec inualidus.*

14 *Finis emptionis eſt, vt res ſit vtilis vſibus emptoris.*

15 *Iuſtitiæ finis eſt conſtituere æqualitatem omni ex parte inter contrahentes.*

17 *Quando res venalis vtilis eſt emptori, nec ipſe exprimit aliquem diſſenſum, defectus illius occultatio non eſt proprie fraus, & dolus.*

CASVS XXXI.

CAESARIVS equum vitio quodam occulto affectum venum exponit: cumque emptor non interroget venditorem de aliquo defectu, venditor illum minimè patefacit: non pluris tamen eum vendit, quam cum tali vitio valet: quod certè ſi ſciret emptor, neutiquam equum illum emeret, ſaltem pro tali pretio. *Quæritur, an Cæſarius venditor peccauerit mortaliter, & ad aliquam reſtitutionem in foro animæ teneatur.*

Pro reſolutione huius caſus, qui non minus difficilis eſt propter varios dicendi modos Doctorum, quam ſcitu neceſſarius; pertinet enim ad quæſtionem illam arduam, an liberum ſit venditori vitia mercis reticere, ſeu diſsimulare; vel opus ſit ea venditori detegere, vt validam, & licitam venditionem reddat; Aduertendum eſt, duplex eſſe vitium rei venalis: Aliud enim eſt per ſe
1 † manifeſtum, & notum, omniumq. oculis patulum; vt ſi equus, qui venditur, eſt monoculus. Aliud verò occultum, ita vt facile ab emptore bene oculato, & diligenti, ac prudenti cognoſci nequeat. Inter vitia rei occulta aliud eſt, quod rem inutilem reddit, vel nocuam emptori; quod ſi agnouiſſet, non illam emiſſet. Aliud verò, quod non reddit quidem mercem nocuam, aut inutilem; verumtamen fortaſſe neque eo cognito emptor eam mercatus fuiſſet.

Præterea aliud eſt, venditorem aſſerere mercem ſuam non

habere

habere defectum; & aliud tacendo illum occultare. Et cum occultat, vel deſcendit in pretio, iuxta exigentiam defectus, vel non. His diſtinctionibus prænotatis, vt certa ab incertis ſeparemus:

Dico primo, certum eſſe, quòd quando rei defectus patens eſt, & manifeſtus, tunc ſi venditor tantundem remittat de pretio, quantum res venalis conſiderata cum tali vitio, noſcitur minus valere, nulla obligatione detegendi eius defectum tenetur: vt quòd equus, quem vendit ſit monoculus, vel claudus. Tum
2 quia vnuſquiſque poteſt † propriæ rei conſulere, quando alterius damni non eſt cauſa; quod contingit, quando quis ea damna non manifeſtat, quæ facilè cognoſci poſſunt ab emptore.

Tum quia cum ipſummet vitium patulum ſit omnibus, ſeipſum publicè prodit, ob idque venditor iure præſumere poteſt,
3 illud non latere emptorem. Si tamen venditori † conſtaret emptorem laborare ignorantia inuincibili, vel quia caligat oculis: vel quia in ea negotiatione verſatus non eſt: tunc ſub mortali, & obligatione reſtituendi venditor in conſcientia tenetur vitium aperire, præcipuè ſi vitium ſit tale, vt faciat vſum rei emptori periculoſum, vel noxium.

Et ratio eſt, quia tunc iniuſtè damnificaret proximum; damnum autem, & periculum proximi vitare compellimur: ita tenent *D. Anton.* 2. *par. tit.* 1. *cap.* 17. §. 6. *Aragon* 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 3. *Azor.* 3. *par. inſtitut. moral. lib.* 8. *cap.* 23. *quæſt.* 3. *Rebellus par.* 2. *de obligat. iuſt. lib.* 9. *quæſt.* 8. *num.* 18. vbi aſſerit colligi ex *l.* 1. *ante medium. ff. de ædilitio edicto.*

4 Dico ſecundo, Certum etiam eſſe venditorem † occultantem defectum, quo vel damnum aliquod temporale datur, vel periculum emptori creatur, peccare lethaliter, & ad reſtitutionem teneri, ſcilicet omnis damni, & periculi, quod ei obuenerit. Et probatur ratione ſatis efficaci *D. Tho.* 2. 2. *q.* 77. *ar.* 3. Quia etſi nõ ſemper quis tenetur alteri opitulari, aut eius indemnitati conſulere; ſed ſolum quando ipſi ex munere proprio, & officio incumbit; vel alter extremè laborat: tamen abſtinere à damno inferendo ſemper vnuſquiſque tenetur: ſed qui damnoſa aut periculoſa, vel

prorſus inutilia vendit, niſi hæc vitia occulta patefaciat, occaſionem damni, & periculi emptori dat: vt ſi militi equum mancum pro ſano vendat, quo poſtea in acie vti non poteſt; vel domum ruinam minantem pro firma, aut peſtiferum cibum pro ſalubri. ergo illa vendens niſi vitia manifeſtet, non caret culpa, & reſtitutionis reatu, iuxta *Reg. iuris, qui occaſionem alteri dat.*

Et confirmatur, quia illa vitia illicitè reticentur à venditore, quorum ſi conſcius fuiſſet emptor, rem ſic vitijs deprauatam nullo pretio comparaſſet: ſed cum vitia rei venalis damnoſa ſunt, aut periculoſa, vel prorſus reddentia rem inutilem, eam tunc emptor nullatenus pretio comparaſſet: ergo dum iſta ſubſunt vitia, illicitè ſilentio inuoluuntur, & conſequenter peccat, & reſtituere tenetur venditor non reuelans.

Neque obſtat, ſi dicatur, Secundum leges ciuiles venditor, & emptor, ſe inuicem decipere poſſunt, vt patet *l. in cauſæ*, *§. idem Pomponius*, *ff. de minoribus*, & ex multis alijs: at multa poſſet eſſe deceptio, ſi venditor rei venalis vitium emptori patefacere teneretur: non itaque tenetur illud reuelare.

Nam reſpondetur cum *D. Thom. quodl.* 2. *ar.* 10. per illud dictum legis non haberi, quod licitum ſit ſimpliciter venditori em-
5 ptorem decipere, & è conuerſo: ſed dicitur aliquid eſſe † licitum ſecundum legem, quod per legem non punitur; vt in veteri lege licebat libellus repudij.

Vel dicitur ſecundo, & tendit in idem, leges ciuiles nihil minus concedere, quam poſſe venditorem, & emptorem ſe inuicem
6 decipere; permittere † verò in venditione exceſſum citra dimidium, non tamquam iuſtum, & licitum, ſed tanquam non deducendum in iudicium, vt alias latius oſtendimus: ſunt itaque leges permiſſoriæ, non iuſſoriæ.

Sed tota difficultas eſt, quæ tangitur in caſu noſtro, an quando vitium occultum tale eſt, quod ſi emptor ſciret, non eſſet rem empturus, vel ſaltem eodem pretio, peccet lethaliter venditor contra iuſtitiam, ſi hoc conijciat, illud reticendo, quamuis de pretio diminuat, quanto minus res propter defectum valet.

Partem affirmantem tenent *Panor. cap. iniuſtum, de rerum permuta-*

Digitized by Google

permutatione, Conradus, de contractibus, q. 54. *Angelus ver. emptio* §.8. *Sylu. eodem ver. quæſt.*20.*Gabr.* 4.*ſent. diſt.*15.*quæſt.* 3. *ar.* 3.*dub.* 1. *Maior ibidem quæſt.* 40. *Medina C. de reſtitut. quæſt.* 34. *Nauar. in Manual. cap.* 23. *num.* 89. *Azor.* 3. *par. inſt. moral. lib.* 8. *cap.* 23. *quæſt.* 3. *& Rebellus de obligat iuſt. par.* 2. *lib.* 9. *quæſt.*8.

Pro qua facit primo, quia talis occultatio eſt dolus, qui dat cauſam contractui, & conſequenter tollit liberum conſenſum in emptione: ergo eſt illicita, & iniuſta, redditque inualidam venditionem, obligatque ad reſtitutionem pretij, cum careat libero conſenſu emptoris. antecedēs probatur quoad vtranq. partem: Nam quod illa occultatio ſit doloſa, patet ex ſententia *D. Ambro-*
7 *ſii lib.*3.*de offic.c.*11. vbi ait, † *In contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi iubentur, ac niſi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris tranſeant, doli actione euacuantur.* Quod verò talis dolus det cauſam contractui, declaratur per regulā quandam, communemque doctrinam Iuriſperitorum, qua diſtinguunt duplicem
8 dolum: † Alterum quidem qui dat cauſam contractui: Alterum, qui non dat cauſam, ſed ſolum incidit in contractum. Dolus ille dicitur dare cauſam contractui, quo ceſſante, & cognita veritate non fuiſſet celebratus contractus, ſed renuiſſet alter contrahentium in illum conſentire; conſentit verò, quia dolus ille latet ipſum omnino: at incidere in contractum dicitur, quando etiam ſi talis dolus fuiſſet cognitus, nihilominus eſſet effectus contractus. Quæ duo genera doli ita differunt, vt ſi in contractu accidat ille prior; contractus ſic effectus ſit inualidus, cum non ſit volunta-
9 rius; quamobrem læſo datur actio redhibitoria, per † quam à Iudice reſcinditur contractus, vt vterque contrahens, quod prius habebat, iterum habeat, ſiue mercē, ſiue pretium: ſed ſi in contractu accidat ſecundus dolus, ſtat contractus, & datur ementi actio, quanto minoris, quando emiſſet quidem, ſed non tanti, ſi vitium noſſet; ideoque actio, quanto minoris dicitur, quòd per eam reſtituere cogitur emptori decepto venditor, quanto minoris intra latitudinē iuſti pretij res vendi deberet: ita *Gloſſ.* & *Pan. in c. cum dilecti, de emptione, & vendit. & Rebell. de obl. iuſt. p.* 2. *lib.* 9. *q.* 8.

M 4 Secundo

Secundo facit, quia ſicut teſtis in ius vocatus ex officio tenetur veritatem, quam ſcit dicere: alioquin peccat, & tenebitur ad intereſſe, ſi quod tale inde aliquis paſſus ſit; ita venditor rem ſuam vendens, ex officio tenetur defectum rei ementi dicere, quamuis non teneatur illum per præconem publicare; & ſi quod damnum inde ementi eueniet, tenebitur reſarcire.

10 Tertio facit, quia iure naturæ † tenetur quiuis proximo præſtare, quod ſibi vellet fieri: at ſi Cæſarius venditor rem alterius emeret, iuſtè vellet, quod venditor rei defectum occultum ſibi manifeſtaret, quem ſi agnoſceret, re vera rem non emeret: ergo & ipſe alijs talem defectum in ſimili caſu patefacere debet, & non aperiendo peccat faciens contra ius naturæ.

Quod verò non careat culpa venditor etiam in caſu, quo emptor emiſſet equum, ſi fuiſſet defectus illius conſcius, ſed non pro tali pretio: probatur, quia emptor habet ius contendendi de infimo pretio, nec aliter emēdi, ſi velit: atqui venditor vitium rei diſſimulans impedit ius ipſius emptoris de non emendo quocumque iuſto pretio, ſed ſolum infimo, ſi velit: quia vitij ignarus putat forte rem ſibi vendi infimo pretio ſecundum perfectū rei ſtatum; cum tamen vendatur ſummo pretio, vel etiam moderato, quod ſecundum illum ſtatum vitioſum res valet; quod multo inferius debet eſſe, quam infimum eiuſdem rei, ſi vitioſa non foret: igitur venditor in hoc etiam caſu occultando rei defectum peccat, cum faciat iniūriam emptori impediendo ius eius.

His tamen non obſtantibus reſpondemus ad caſum propoſitū
11 negatiuè, ſcilicet Cæſarium non peccaſſe lethaliter, † neque ad aliquam reſtitutionem teneri in foro animæ, reticendo defectum equi occultum, qui emptori non eſt damnoſus, neque periculoſus; quamuis ſi emptor ſciuiſſet, non fuiſſet equum mercatus ſaltem pro tali pretio: cum nō pluris vendiderit, quàm cum tali vitio valeat. Hæc ſententia videtur eſſe *D. Tho. Quodl. 2. ar. 10. & 22. q. 77. ar. 3. Caiet. & Salonis expreſsè ibid. controu. 1. conc. 4. Soti lib. 6. de iuſt. & iure quæſt. 3. art. 2. concluſ. 5. Lopez lib. 1. de contractibus cap. 45. concluſ. 3. Beiæ 1. par. Reſponſ. caſu.* 64. & aliorum. à qua non recedit *D. Antonin. par. ſecunda tit. 1. cap.* 17. §. 2. ſi bene

eius

eius verba perpendantur. & probatur his rationibus.

12 Tum quia qui vtitur iure ſuo† citra alterius damnum, nulli infert iniuriam, nec peccat. Cæſarius autem non manifeſtando defectum equi in caſu, vtitur iure ſuo citra alterius damnum; quia vendit rem nullo modo nocuam, aut periculoſam, ſed reuera vtilem, & accommodatam ementi ad vſus, ad quos illam quærit, & iuſto pretio: occultat verò eius defectum, vt ſuæ conſulat indemnitati, ne emptor ſi vitium reſciat, pluſquam par eſt, pretium extenuet: ergo nemini facit iniuriam, nec peccat, ſiue cognito defectu emptor eſſet equum empturus, ſiue non.

13 Tum ſecundo, quia quamuis venditionis contractus, † in quo emptor eſt rationabiliter inuoluntarius, ſit iniquus, & inualidus: non tamen eſt iniquus, aut vim ſuam amittit, quando emptor eſt impruděter, & irrationabiliter inuoluntarius: atqui in caſu noſtro ſi emptor habens rem non minus ſibi vtilem pro pretij quantitate, quam ſi nullum haberet defectum, vellet illius venditionem reſcindi, vel ab ea abſtinere, vbi ſibi conſtaret de tali defectu, imprudenter, & irrationabiliter eſſet inuoluntarius, cum per eam

14 habeatur finis emptionis, † qui eſt, vt res ſit vtilis vſibus emptoris: ergo hoc inuoluntarium non tolleret vim contractus, nec redderet illum iniquum.

Tum tertio, quia Cæſarius occultăs equi defectum in hac venditione, nihil agit contra iuſtitiæ virtutem: ergo nec peccat, nec ad reſtitutionem aliquam tenetur. antecedĕs probatur; quia finis

15 iuſtitiæ † eſt conſtituere æqualitatem omni ex parte inter contrahentes: in hoc vero caſu ſeruatur iſta æqualitas ex parte rei, quia eſt ſimiliter vtilis: & ex parte pretij, quia venditor iuſto pretio vendit pro ratione defectus, vt ſupponimus: ergo Cæſarius in caſu nihil agit contra iuſtitiam.

16 Tum denique, quia non manifeſtare † defectum mercis, tunc lethale peccatum eſt, quădo in damnum, aut periculum emptoris vergit: vt oſtenſum eſt ſupra in ſecundo dicto: ſed Cæſarius non detegĕdo defectum equi, nullam occaſionĕ damni ei dat, aut periculi: nam ſupponimus, quòd ſit ei vtilis ad vehenda onera, vel ad circumferendam rotam ciſternæ, vel trapetŭ: ergo non peccat.

Aduer-

Aduertendum tamen eſt, quòd quando venditor non tenetur de rigore iuſtitiæ manifeſtare defectum mercis ante celebrationem contractus, nihilominus poſt conſummationem illius, ſi credit emptorem rem illam alteri venditurum, debet per ſe, vel per alium admonere ipſum de occulto defectu, ne ſi poſtea mercem eandem vendat ignorans occultum defectum, tantum petat, quanti abſque vitio venderetur, & alterum fallat: vt rectè notant Caiet. & Sotus, vbi ſupra.

Nec obſtant argumenta, quibus contraria ſententia fulcitur: Nam ad primum negatur, quod talis occultatio ſit doloſa in caſu
17 noſtro: quia quando † res venalis vtilis eſt emptori, nec ipſe exprimit aliquem diſſenſum, non detegere mercis defectum, non eſt proprie fraus & dolus: ſed ſolum eſt dolus in occultatione defectus, quando per defectum illum redditur inutilis emptori, vel periculoſa; aut non deſcenditur in pretio iuxta exigentiam defectus.

Et per hæc patet etiam reſponſio ad auctoritatem D. Ambro-
18 ſij, quæ intelligenda eſt † de vitijs, quæ reddunt rem inutilem emptoribus, aut periculoſam, vel non fit deſcenſus in pretio: & ſic interpretandæ ſunt etiam multæ leges ciuiles.

Ad ſecundum reſpondetur non eſſe omnino ſimile de teſte, & venditore: quia ſi defectus non reddit rem inutilem, non tenetur venditor illum manifeſtare ex officio, nec eſt dolus in re, nec iniquitas ſeruato iuſto pretio; & ideo non peccat reticendo talem defectum; ſed ſolum ſeipſum ſeruat indemnem, nec cauſam damni dat tacendo, vt ſuæ vtilitati proſpiciat. 23. *q. 4. cap. qui peccat*.

Ad tertium dicendum, quod iure naturæ tenetur quilibet pro-
19 ximo ſuo facere, quod ſibi vellet fieri † rationabiliter: at vbi quis emit rem non minus ſibi vtilem ad vſus, ad quos emit, irrationabiliter vellet illam venditionem reſcindi, vel ab ea abſtinere. ſecus verò, quando res eſt inutilis: tunc enim rationabiliter vult emptor abſtinere ab emptione, & venditionem reſcindi; & ideo debet venditor de defectu illum præmonere.

Ad vltimam rationem, qua probatur, quod peccet venditor occultando defectum, eſto quod emptor ſi fuiſſet illius conſcius

adhuc

adhuc empturus eſſet, ſed non pro tali pretio. Concedimus emptorem habere ius contendendi de infimo pretio: ſed negamus quod in tali caſu Cæſarius venditor impediat ius illud. Tum quia non conſtat, quòd non detraxerit tantum de pretio, quòd ad infimum deſcenderit. Tum quia eſto quod venditor pretium iuſtum, rigoroſum, vel medium rei cum illo defectu petat; cum in more ſit, emptorem ſemper deſcendere in oblatione pretij, non impeditur, quin poſſit peruenire ad infimum, quod ſecundum illum ſtatum vitioſum res valet.

SVMMARIVM.

1 *Fideiuſſores in contractibus humanis à quibus exigantur.*

2 *Pro obligatione ciuili, quam includit fideiuſſio, poteſt aliquod pretium fideiuſſor accipere, etiamſi nihil periculi ſubeat, & n.6.*

3 *Sicut obligatio mutuandi vendi poteſt, ſic & fideiuſſio, quæ eſt obligatio ſoluendi pro alio.*

4 *Fideiuſſio eſt obligatio oneroſa ex ſe, ac pretio æſtimabilis, redditq. mutuationem vſurariam, ſi ſub ea obligatione fiat.*

5 *Poteſt fideiuſſor à creditore, cui ſe obligauit, dato pretio illam obligationem redimere, & creditor pretium illud pro remiſſione acceptare.*

7 *Obligatio ciuilis ex duplici capite eſt pretio æſtimabilis. Vel quia per eam priuatur quis ſua libertate. Vel quia ſe exponit alicui damno.*

8 *Fideiubere, & obligare ſe ad mutuandum ſunt paria; ſed non mutuare, & fideiubere.*

9 *Fideiuſſio non mutuum, nec ſpecies mutui eſt, ſed verè obligatio ſoluendi pro alio.*

10 *Fideiuſſor ciuiliter obligatur ad aſſecurationem, & mutuandum pecuniam principali, ſi opus fuerit.*

11 *Pro fideiuſſione pretium vel maius, vel minus accipi poteſt.*

CASVS XXXII.

DOMINICVS volens merces aliquas emere ad creditum à Mercatore, vel officium aliquod & munus à Repub. obtinere, cum non poſſit ſui voti compos fieri, niſi fideiuſſorem præſtet, rogat Andream, vt pro eius debitis fidem ſuam offerat, promittitq. illi aliquod pretium ſe daturum, cum intelligat ipſum nolle gratis fideiubere. *Quæritur, an Andreas fideiuſſor pro huiuſmodi fideiuſſione poſsit aliquid tuta conſcientia accipere.*

1 Quoniam iam vſus obtinuit, vt plerumque fideiuſſores † in contractibus humanis exigantur: exiguntur enim quandoq. ab eo, cui aliquid ad creditum venditur: nonnumquam exiguntur ab illo, cui depoſitum ſeruandum traditur, vel officium aliquod, & munus committitur; nec non ſæpe à tutoribus pupillorum, & alijs multis: idcirco quærimus de fideiuſſore, an poſſit abſque labe vſuræ, tutaq. conſcientia pretium aliquod exigere, & recipere ab eo, pro cuius debitis fideiubet.

D. Antoninus 2.*par.tit.*1.*cap.*7.§.45.propter argumenta *Laurentij à Rodulphis* ad vtrãque partem allata, in hac quæſtione eſt dubius, concluditque cum eodem tutius eſſe ab huiuſmodi contractu abſtinere: inclinare tamen videtur magis ad partem negantem, hac ratione Laurentij perſuaſus, cum eam non ſoluat: quia paria videntur, mutuare, & vltra ſortem mutui certum quid accipere, ac fideiubere, & pro fideiuſsione aliquid exigere: illud autem eſt illicitum, & vſurarium, vt fatentur omnes, ergo & hoc ſimiliter: eſt enim fideiuſsio quædam ſpecies mutui: nam cum fideiuſſor ſoluit debitum pro principali, perinde eſt ac ſi illi mutuaret. Et ſi hoc procedit, quando fideiuſſor pro principali ſoluit eius creditori, tanto fortius, cum non ſoluit: non enim debet eſſe melioris conditionis cum non ſoluit, quàm cum ſoluit.

Et con-

Et confirmari poteſt hæc pars: Primo, quia fideiuſſor ad nihil aliud ſe obligat, quam ad ſoluendum primo principali: aut ergo ſoluit pro principali, aut non; ſi non, nihil illi præſtat, & ſic nihil debet accipere. ſi ſoluet; cum id quod ſoluit, alter teneatur ei reſtituere in æquiualenti, idem eſt omnino, quod mutuare ei illam pecuniam, & conſequenter nihil poteſt accipere.

Confirmatur ſecundo, quia minus officij præſtat fideiuſſor debitori, pro quo fideiubet, quam mutuans mutuatario ſuo: mutuans enim confert actu, & de præſenti pecuniam, qua ſe priuat: fideiuſſor verò tantum confert verba, & fidem ſuam: ſed mutuans nihil poteſt pretij accipere pro mutuo. igitur neque fideiuſſor.

Accedit auctoritas *Sancti Bernardini*, qui vt aſſerunt *Sylu. ver. vſura 7. §. 6. & Io. Medina C. de rebus per vſuram acquiſitis, quæſt. 4. Coroll. 3.* dicit, Illicitum eſſe fideiuſſori aliquid pro fideiubendo exigere.

Couarruuias lib. 3. variarum reſolut. cap. 2. num. 7. pro deciſione huius caſus, ſic diſtinguit: quia aut inſpecta qualitate, & bonis debitoris imminet periculum fideiuſſori, vt ſcilicet pro ipſo debitore ex proprio patrimonio integram quantitatem ſoluat; aut non. Si imminet ei periculum, quod paſsim contingit: quamobrem Salomon conſilium dat, ne quis temerè, & inconſultè alterius fideiuſſor exiſtat, ita inquiens, *Prou. 17. Stultus homo plaudit manibus ſuis, cum ſpoponderit pro amico ſuo.* & *cap. 22. Noli eſſe cum his, qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis*: ait tunc iuſtè poſſe pro illa fideiuſsione pretium aliquod accipere: quod expreſſe elicitur ex *l. Hoc iure*, *§. Labeo, ff. de donation.* Sed ſi inſpecta qualitate, & conditione debitoris nullum imminet periculum fideiuſſori, tunc illum non poſſe aliquid accipere; eſſet enim fraudulenta, & vſuraria venditio. quod probare nititur argumento vltimo à nobis ſuperius allato: quia minus officij impendit fideiuſſor fideiubendo, quàm mutuans mutuando hic autem pro officio mutui nihil poteſt exigere à debitore.

Hæc tamen ſententia, quã amplectuntur etiã *Silu. verb. fideiuſſor,*

ſor,q.vlt.et ver.vſura 7.q.6.Angel. eodem ver. fideiuſſor, q. 20.& Conradus tractatu de contractibus q. 40. falſa eſt: quia alias ſequeretur ex ea, quòd ſi ego darem tibi mutuo pecuniam, vt pro me fideiuberes; quando nullum eſſet periculum, eſſet licitum: quod ſanè nullus dixerit, cum lucrer vltra ſortem illam obligationem fideiuſſoris.

Quare his opinionibus reiectis, ſuſtinemus partem affirmantem abſolute, & abſque vlla limitatione, videlicet, Andream li-
2 citè, & tuta conſcientia † poſſe pro fideiubendo aliquod pretium accipere. Ita docent *Caiet. & Aragon. 22. quæſt. 78. ar. 2. ad quartum. Sotus lib.6.de iuſt. & iure quæſt. 1. ar. 2. ad quartum Nau.in Man.cap.17.num.285.& Petrus Nauar.de reſtitut.tom. 2.lib.3.cap.2.num.247. Io. Med. C. de rebus per vſuram acquiſitis q.4.coroll.3.Azor. par.3. inſtit. moral. lib.5.cap.2. in fine, de vſura. Rebell.par.2.de oblig. iuſt.lib.16.q.de fideiuſſione*, & probatur his argumentis.

Tum quia non minus eſt obligare ſe ad ſoluendum pro alio, vt facit Andreas fideiubendo pro Dominico, quam obligare ſe ad mutuandum alteri: immo ſecundum aliquos Doctores eſt eadem obligatio ſoluendi pro alio, & mutuandi: qui enim fideiubet pro aliquo, conſequenter ſe obligat pro eo pecuniam dare, & ſic eidem mutuare. ita ſentit *Petrus Nau. Ioan.Med. & Azor.vbi ſu-*
3 *pra:* ſed obligatio ad mutuandũ † poteſt vendi, iuxta *D. Thom. 22.q.78. ar. 2. ad quartum.* quamobrem vſura eſt alicui mutuare ſub obligatione, vt ipſe remutuet in poſterum, vt alias oſtendimus. igitur & fiediuſſio, quæ eſt obligatio ad ſoluendum pro alio, eſt vendibilis; cum non ſit minor obligatione mutuandi, vel non differat ab ea.

4 Tum quia fideiuſſio eſt obligatio † oneroſa ex ſe, & pretio æſtimabilis, etiam nullo exiſtente periculo, redditque mutuationem vſurariam, ſi ſub ea obligatione fiat, iuxta communem Doctorum, non ſecus ac obligatio molendi in mutuantis molendino ſub mercede ſolita: omnis autem obligatio oneroſa ex ſe, & pretio æſtimabilis, eſt pecunia vendibilis: igitur tuta conſcientia pro fideiuſſione poteſt Andreas pretium aliquod exigere.

Tum

5 Tum quia fideiuſſor † poteſt à creditore, cui ſe obligauit, dato pretio illam obligationem redimere, & creditor ipſe quoque poteſt pretium illud, pro ea remiſſione accipere, etiam quando nullum timetur periculum ſoluendi pro debitore, ſecundum communem: at quicquid pretio redimi poteſt, pretio ſimiliter æſtimabile eſt,& vendibile, cuicumque vendatur. Andreas itaque poteſt iuſto pretio fideiuſſionem ſuam Dominico vendere, & aliquid pro illa obligatione tuta conſcientia exigere.

Et confirmatur, quia contractus venditionis, in quo accipitur iuſtum, & honeſtum pretium pro re pecunia æſtimabili, non eſt vſurarius, ſed iuſtus, & licitus: huiuſmodi autem eſt contractus Andreæ fideiuſſoris cum Dominico debitore principali: nam re vera vendit ei obligationem illam pecunia æſtimabilem pro pretio honeſto, & iuſto, vt ſupponimus: Andreas igitur exigens pretium pro fideiuſſione, & obligatione, qua ſe ſtringit Dominici nomine ſoluere, nullam committit vſuram, vel iniquitatem, ſed celebrat contractum licitum.

6 Concludimus itaque fideiuſſorem † poſſe pro eo, quòd fideiubet aliquid exigere, & recipere, ſiue exponat ſe periculo perdendi, quod pro debitore ſoluerit, ſiue non: quia ille eſt alius titulus, vt inquit Medina, quo poſſit pro mercede, ſiue pro pretio fideiubere. ſed illo ſecluſo, ſola ipſa obligatio pro debitore ſoluendi, ſicut & obligatio ciuilis poſtea mutuandi, eſt pretio æſti-
7 mabilis. Obligatio enim ciuilis, † vt docet *Salon.* 22. *D.Thom.q.* 78. *ar.*2.*controu.*5. ex duplici capite eſt pretio æſtimabilis. Vel quia per eam, qui ſe obligat, priuatur aliena libertate. Vel quia exponit ſe alicui periculo, vel damno. Etenim cum tam libertas, quam quodcumque periculum alicuius damni temporalis pretio æſtimari poſſint; efficitur, vt obligatio omnis, per quam aliquis ſua libertate priuatur, vel alicui damno ſe exponit, ſit quoque pretio æſtimabilis: & ita hoc duplici titulo poteſt fideiuſſor pro pretio fideiubere; dummodo neque fraus, neque dolus interueniat: qualis eſſet, ſi fideiuſſor conueniret cum venditore, ne crederet debitori, niſi ipſum præſtaret fideiuſſorem, quo poſſet aliquid lucrari: cumque dolus & fraus nemini debeant ſuffragari, in

hoc

hoc aſu non poſſet fideiuſſor aliquid accipere.

Neque obſtant huic noſtræ reſponſioni argumenta à principio allata. Nam ad primum, quod eſt Laurentij, negatur prior præmiſſa, videlicet paria eſſe mutuare, & fideiubere: concedimus tamen
8 paria eſſe † obligare ſe ad mutuandum, & fideiubere, quod eſt obligare ſe ad ſoluendum pro alio. Quare ſicut obligatio ad mutuandum eſt pretio æſtimabilis, & vendibilis, ita & fideiuſſio.
9 Neque verum eſt, quòd † fideiuſſio ſit ſpecies mutui: alia enim res eſt fideiubere pro Dominico, quàm mutuare Dominico.

Ad ſecundum admiſſa maiori propoſitione, Reſpondetur ad minorem, quod fideiuſſor ſiue ſoluat pro debitore principali, ſiue non, poteſt aliquid pro fideiuſſione accipere: nam cùm fideiubendo pro eo ſe obbliget ad ſoluendum, illa obligatio, qua ſe ſtringit nomine Dominici ſoluere, æſtimabilis eſt pecunia, ac ſubinde vendibilis.

Ad tertium negatur prior præmiſſa: quia ſicut maius eſt obligare ſe ad mutuandum, quam mutuare, ſic & fideiubere: cum ſit obligare ſe ad ſoluendum pro principali debitore, immo vt aliqui dicunt, obligare ſe ad mutuandam ei pecuniam. Et ad probationem negatur, quod fideiuſſor tantum conferat verba; quia confert
10 obligationem. ita enim fidem interponit, quod ciuiliter † obligatur ad aſſecurationem, & mutuo dandum pecuniam principali, ſi opus erit, vt docet *Petrus Nau. loco citato* contra Silueſtrum: quæ obligatio pecunia æſtimabilis eſt, atque vendibilis.

Ad auctoritatem *S. Bernardini*, reſpondetur cum *Io. Medina*, quod hic Sanctus habuit reſpectum ad mutuum futurum, ad quod fideiuſſor ſe obligat, ratione cuius mutui nihil exigi poteſt; non ad ipſam obligationem, qua ad mutuandum poſtea, & ſoluendum pro alio ſe obſtringit, quæ pretio æſtimabilis eſt: ob quam fideiuſſor pro pretio fideiubere poteſt, etiamſi nullum timeret periculum. Concedimus itaque, quod quemadmodum ille qui mutuat, ratione mutui non poteſt aliquid à mutuatario accipere; ita pariter fideiuſſor ſi ſoluat pro principali, non poteſt aliquid accipere pro illa ſolutione: quia illa virtualis quædam mutuatio eſt.

Si autem quæratur, quæ pretij quantitas poſſit exigi pro fideiuſſio-

fideiuſsionem,*Caiet.loco citato* prudentiæ ſapientum determinandum reliquit. *Rebellus* vero *vbi ſupra* ait *num.* 3. Quod fideiuſ-
11 ſor† recipere poterit pretium maius, vel minus pro ratione quantitatis debiti, & periculi, quod ſubit, ſoluendi pro alio. immo etiam ſi nihil periculi ſubiret fideiubendo; moderatum aliquod pretium exigere poſſet.Et notandũ nos tueri hanc partem de rigore iuſtitiæ,& iuris,non tamen negamus melius eſſe nihil accipere.

SVMMARIVM.

1 *Omnia peccata cum ſuis circumſtantijs ſpeciem mutantibus ſunt eidem ſacerdoti confitenda ex natura confeſſionis.*

2 *Medicus non poteſt ſufficienter admouere medicinam, niſi intelligat totum ſtatum infirmi.*

3 *Sacerdos abſoluit à peccatis auctoritate Dei, & Deus non abſoluit ab vno, & non ab alio.*

4 *Homo vrgente legitima cauſa non tenetur ad confitendum aliquod peccatum, & num. 6.*

5 *Præcepta poſitiua non obligant cum magno diſpendio, & periculo.*

7 *Quod pro charitate inſtitutum eſt, contra charitatem non debet militare.*

8 *Concurrentibus duobus præceptis, quæ ſimul obſeruari nequeunt, quod minus eſt, debet cedere maiori.*

9 *At ſi vtrique obligationi poteſt ſatisfieri, id fieri debet.*

10 *Qui explicat in confeſſione peccata omnia, quæ poteſt ſine periculo, facit confeſſionem formaliter integram.*

11 *Formalis integritas, quæ eſt de eſſentia confeſſionis, quæ ſit.*

12 *Homo quamuis certus ſit, quod per obliuionem eſt omiſſurus multa peccata in confeſſione, nihilominus tenetur confiteri de alijs.*

13 *Quod propter obliuionem licet, etiam propter moralem impotentiam licitum eſt.*

14 *Præceptum ſi non poteſt in toto compleri, opus eſt illũd ſeruare in eo, in quo poteſt.*

15 *Vtiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur. quomodo hæc regula iuris intelligatur num. 16. & 17.*

Digitized by Google

CASVS XXXIII.

EVGENIA mulier eximia pulchritudine cuidam iuueni, qui eius amore ardebat, ſui corporis copiam fecit, & ſcit veriſimiliter, quòd ſi peccatum hoc ſuo ſacerdoti confiteatur, in libidinem excitabitur, eamque ſollicitabit. *Quæritur, an ad euitandum huiuſmodi ſcandalum confeſſoris, teneatur Eugenia peccatū illud in confeſſione reticere.*

1 Etſi quantum confeſſionis natura depoſcit, † omnia peccata
cum ſuis circumſtantijs ſpeciem mutantibus ſunt eidem ſacerdoti
confitenda, quod ſi ſecus fiat, confeſſio eſt dimidiata. Tum quia
Sacramentum pænitentiæ eſt quædam medicina contra morbum
2 animæ: medicus autem † non poteſt conuenienter admouere me-
dicinam, niſi intelligat totum ſtatum infirmi. Tum quia ſacer-
3 dos † abſoluit auctoritate Dei: Deus verò non abſoluit ab vno,
& non ab alio. Impium enim eſt à Deo ſperare dimidiam ve-
4 niam, *cap. ſunt plures, de pænit. diſt.* 3. Nihilominus vrgente † le-
gitima cauſa, hominem ad confitendum aliquod peccatum non
teneri, vtpote cū morali periculo alicuius nocumenti proprij, vel
etiam alterius tertiæ perſonæ, docent omnes Theologi, *D. Thom.
4. ſent. diſt. 17. q. 3. ar. 3. quæſtiunc. 4. ad 5. Palud. ibi quæſt. 5. Alex.
de Ales 3. par. q. 77. memb. 3. ar. 1. ad 1. Altiſiod. in ſumma tract. 6.
cap. 3. q. 3. Petrus Soto lect. 10. de confeſſ. Domin. Soto in 4. diſt. 18.
q. 2. ar. 5. ad 3. Adrian. in 4. quæſt. 1. & 4. de confeſſ. Nau. in Manu.
cap. 7. n. 3. & 4. Io Med. C. de confeſſ. q. 10. tract. 2. & Suar. tom. 4.
5 diſp. 23. ſect. 2.* Quia præcepta poſitiua † non obligant cum tanto
diſpendio, & periculo: & ideo qui non poteſt aliter confiteri illud
peccatum pro tunc, cenſetur moraliter impotens ad confitendum
illud, & ob id excuſatur. Et lege charitatis obligamur ad dili-
gendum proximos, ſicut nos ipſos; & ad eius graue damnum
vitandum. Cum igitur in multis caſibus ceſſet obligatio integrè
confiten-

confitendi, Quærimus in præſenti, an Eugenia ad euitandum præfatum ſcandalum confeſſarij, teneatur peccatum illud ſilentio inuoluere, & non confiteri. Et quoniam hic duo videntur includi quæſita, videlicet, an ceſſet obligatio integrè confitendi, & cum ea etiam obligatio confitendi ſimpliciter; vel ſolum prima:

Vt modo, quo poſſumus clariori, difficultati ſatisfaciamus, reſpondendo, dicimus, Eugeniam in caſu non teneri ad integrè confitendum, ideſt ad explicandum peccatum illud fornicationis ſuo ſacerdoti propter periculum: teneri tamen ad confitendum alia peccata illo diſſimulato, donec commodè poterit confiteri; ſi alium confeſſarium adire nequit, aut obtinere licentiam alteri confitendi, & adeſt neceſſitas ſeruandi confeſſionis præceptum.

Notanter diximus, *Si alium confeſſorem adire nequit, &c.* quia tunc alius eſt quærendus confeſſarius, vel petenda facultas à ſuperiore confitendi alteri. Et ſi commodè poteſt differri confeſſio, quouſque poſſit fieri integra, ita faciendum eſt, vt dicunt *Caiet. verbo confeſſio, condit.* 10. *& Sotus* 4. *ſent. loco ſup. cit. verſ. circa tertium argumentum.* Sed reſponſio noſtra procedit, quando nihil ex his fieri poteſt, & inſtat neceſſitas ſeruandi præceptum confeſſionis: quæ ſententia aperta eſt *Io. Medinæ*, *Soti*, *Adrian*, *Suarez*, & tandē *Caiet. loc. ſup. cit. Sylu. ver. confeſſio* 1. §. 19. nec non *Toleti lib.* 3. *Inſtr. Conſ. cap.* 8. *n.* 4. & probatur quoad vtrumq. membrum.

Primum quidem, quia non minus, imò magis tenemur ad ſalutem ſpiritualem proximi, & ad vitandum mortem eius ſpiritualem, quàm ad vitandum corporalem proximi, vel propriam, & quàm ad vitandum propriam infamiam: hoc conſtat ex or-
6 dine charitatis. Sed ſi confeſſio † integrè fieri non poteſt ſine periculo veriſimilis infamiæ, aut mortis corporalis alicuius (vt ſi timeretur ſigillum confeſſionis à Confeſſario frangendum eſſe; aut eum ſumpturum vindictam de aliquo peccato, vt de homicidio fratris in confeſſione cognito) ceſſat obligatio integrè confitendi, vt oſtenſum eſt ſupra. Igitur etiam in caſu præſenti, ceſſat obligatio integrè confitendi propter periculum mortis ſpiritualis confeſſarij, ideſt ne in libidinem excitetur, ſi Eugenia peccatum illud fornicationis confiteatur, ipſamque de turpitudine ſolicitet.

Accedit, quòd ex *D. Bern. lib. de diſpenſat. et præceptis, Quod pro*
7 *charitate* † *inſtitutum eſt, contra charitatẽ non debet militare.* At ſi neceſſarium eſſet Eugeniam integre confiteri, hoc ipſum quod pro charitate inſtitutum eſt, nempe confeſsionis ſacramentum, contra charitatem proximi militaret: quia inde ſequeretur mors ſpiritualis confeſſarij: igitur nec Deus, nec Eccleſia obligat Eugeniam ad talem integritatem.

8 Denique, quia concurrentibus duobus præceptis, † quæ ſimul obſeruari non poſſunt, quod minus eſt, debet cedere maiori. Sed in caſu maius eſt præceptum de vitando ſcandalo confeſſoris, in quo eius vita ſpiritualis periclitatur, quam præceptum de integrè confitendo; cum primum ſit legis diuinæ, & naturalis, *Matth.* 18. & *Mar.* 9. ſecundum verò legis diuinæ poſitiuæ, vt conſtat. præceptum igitur de integre confitendo cedit præcepto de ſcandalo confeſſoris vitando in caſu; cum non ſit locus vtrique; & conſequenter Eugenia non tenetur peccatum fornicationis confiteri.

Secundum verò membrũ, quod ſcilicet nõ ceſſet obligatio confitendi ſimpliciter, ſed teneatur Eugenia cõfiteri alia peccata diſſimulato peccato fornicationis, probatur his rationibus cõtra illos qui tam arctũ vinculũ cenſent integritatis confeſsionis, vt dicant, tunc potius abſtinendum eſſe à confeſsione, quam dimidiandam.

9 Primo, quia ſi duo præcepta ſeruanda † concurrunt, & vtrique obligationi poteſt ſatisfieri, id fieri debet; ſed in caſu noſtro duo præcepta ſeruanda concurrunt, nempè præceptum annuæ confeſſionis, & præceptum de vitando ſcandalo confeſſarij; & vtrique obligationi Eugenia ſatisfacere poteſt. præcepto quidem annuæ
10 confeſsionis: quia explicando in confeſsione † peccata omnia quæ poteſt ſine periculo, facit confeſsionẽ formaliter integram, etiamſi aliquid taceatur: quę formalis integritas eſt de ſubſtantia huius ſacramenti: nã cum de eius eſſentia ſit aliqua integritas, & hoc dici non poſsit de integritate materiali, ſequitur quòd ſaltem formalis
11 ſit de eſſentia; quæ formalis † integritas ſecundũ aliquos eſt, in qua homo nihil omittit peccando mortaliter, ſiue ex ſcientia, ſiue ex ignorantia omittat: vel ſecundũ alios, in qua nihil omittitur per ſe & ex intẽtione: ſed cũ ex legitima cauſa aliquid omittitur, nõ per ſe omittitur,

omittitur, neque cum peccato, quia ſolum propter impotentiam moralem. igitur talis confeſſio eſt integra formaliter, licet per accidens non ſit integra, ſcilicet ex carentia confeſſoris idonei, & propter moralem impotentiam. Satisfacit etiam præcepto de vitando ſcandalo confeſſarij, diſſimulato tali peccato fornicationis. Igitur in caſu Eugenia tenetur confiteri ſuo ſacerdoti, & reticere peccatum, in quo eſt periculum, cum animo confitendi illud poſtea, cum commodè poterit, habueritque copiam confeſſoris idonei.

12 Secundo, quia quamuis homo certus ſit, † quòd per obliuionem eſt omiſſurus multa peccata in confeſſione, nihilominus tenetur confiteri de alijs: ergo ſimiliter in præſenti caſu, quamuis Eugenia non poſſit confiteri ſuo ſacerdoti peccatum illud fornicationis, ne ea occaſione in libidinem excitetur, ipſamque ſolicitet; licitum tamen eſt ei confiteri alia: quia quod propter obli-
13 uionem † licet, etiam propter moralem impotentiam licitum eſt. & ſi licet ſic confiteri, & adeſt præceptum, igitur confiteri debet, vt impleat præceptum.

Accedit, quòd cum vrget præceptum communicandi in Paſchate, melius videtur prouideri conſcientijs communicantium, ſi ſic confiteantur, ſcilicet faciendo confeſſionem non integram per accidens, quam ſi communicent dilata tota confeſſione: & eſt ratio *Caiet. l. c.* ſi eſt melius, ergo fieri debet.

Denique, vel diuerſa ſunt præcepta de confitendo, & de integre confitendo: vel vnum tantum de confitendo omnia. Si primum, ergo ceſſante in caſu noſtro obligatione præfatæ integritatis, non opus eſt, ceſſet obligatio confitendi reliqua peccata tempore neceſſitatis, & præcepti; ex quo vnum poteſt ſine altero impleri. Si ſecundum, vt innuitur in *cap. omnis vtriuſque*, ſi non
14 poteſt in toto † compleri, opus eſt illud ſeruare in eo, in quo poteſt; vt ſi vnicum ſit præceptum de ieiunando quadrageſimam, qui non poteſt totam integram ieiunare, non inde deobligatur à neceſſitate ieiunandi quando poteſt, etiamſi ieiunium dimidietur, argum. *cap. cum dilecti, de dolo, & contumacia*. Et ita in caſu, cum Eugenia non poſſit integrè confiteri, opus eſt,

vt ſeruet integritatem in eo, in quo poteſt.

15 Neque obſtat, ſi dicatur, ex Regula iuris, *Vtilius* † *ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur*: cum igitur integrè confiteri ſit de veritate vitæ, ſequitur quod non ſit prætermittenda talis veritas propter ſcandalum confeſſionis vitandum.

16 Nam reſpondetur, quòd regula procedit, † quando ſcandali permiſſio altiori iure non eſt prohibita: in caſu verò noſtro prohibetur tale ſcandalum iure diuino naturali, vt patet *Matth.* 18.

17 Dicitur ſecundo, quòd procedit regula † de ſcandalo Phariſæorum, quod ex malitia eſt; non de ſcandalo puſillorum, quod ex fragilitate eſt, vt in caſu, vel ex ignorantia.

Neque obſtat ſecundo, quòd ſi liceret ab integra confeſsione ceſſare propter huiuſmodi ſcandalum, igitur liceret etiam totaliter ob eandem cauſam à confeſſione ceſſare: vt ſi pęnitens non habeat peccata niſi talia, quæ ſi confiteretur, eſſet confeſſor ſcandalizandus. ſed conſequens videtur falſum; quia tunc contingeret pænitentem eſſe perplexum: vt ſi ſit tempus Paſchæ, quando neceſſe eſt communicare: tunc enim ſi confitetur, peccabit ex opinione; & contra ſi non confitetur, etiam peccabit communicans ſine confeſſione.

Nec valet dicere, quòd tunc euadet perplexitatem, ſi in genere confiteatur, non deſcendendo ad ſpeciem.

Non valet inquam: Quia quod diuino, & humano præcepto confiteri oportet, non eſt in genere confitendum, ſed in ſpecie.

Reſpondetur enim in caſu iſto à tota confeſsione eſſe ceſſandum; nec inde erit peccator ille perplexus: quia cum à præcepto minore deſiſtat, vt ſeruet quod fortius eſt, nulla relinquitur perplexitas, nec committitur culpa.

Neque tandem obſtat auctoritas *D. Thom.* 4. *ſent. diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæſtiunc.* 4. *ad quintum*: vbi dicit, quod in caſu præſenti idem eſt iudicium, ac ſi non haberetur copia confeſſoris; & magis pænitens deberet eligere confiteri laico. itaque ſi Eugenia non poteſt confiteri tale peccatum propter ſcandalum, potius debet à confeſsione deſiſtere, quam illam dimidiare.

Quia reſpondetur dictum illud D. Thom. intelligendum eſſe de illis

illis peccatis, quæ confiteri non tenetur; de eis enim iudicandum eſt, ac ſi tunc non eſſet copia confeſſoris. ita gloſſat *Sotus loco citato*.

SVMMARIVM.

1 *Pactum de retrouendendo in fauorem venditoris appoſitum, eſt licitum.*

2 *Vſura ſolum habet locum in mutuo vel palliato, vel aperto.*

3 *De ratione intrinſeca mutui eſt, vt recipiens illud teneatur aliquando reſtituere ei, à quo recepit, poſſitque ad id compelli.*

4 *Pactum de retrouendendo diminuit iuſtum pretium, quo res æſtimanda eſſet ſine tali pacto venalis, & num.* 13.

5 *Pactum quodcumque in fauorem venditoris in contractu appoſitum, pars pretij cenſetur.*

6 *Res venalis cum pacto retrouendendi quanto minori pretio ſit æſtimanda, quàm ſi abſolutè venderetur, recenſentur opiniones, & quæ ſit communis opinio.*

7 *Res empta cum pacto retrouendendi iuſtè poteſt ab emptore ſtatim venditori honeſta penſione locari, ſi fiat bona fide, et ſine fraude.*

8 *Qui nulla habita de re notitia illam emit, præſumitur non habuiſſe animum emendi: quia nullus videtur velle emere quæ penitus ignorat.*

9 *Cum res empta locatur, & in conſtituenda penſione ſolum habetur reſpectus ad pecuniam datam, & non ad valorem fructuum ipſius rei, quæ locatur, contractus eſt vſurarius.*

10 *Qui habuit animum verè emendi rem cum pacto retrouendendi, & ſoluit pretium iuſtum, poteſt eam in foro animæ licitè ſtatim locare venditori, & num.* 16.

11 *Poteſt aliquis verè aliquid emere, & illius non habere certam notitiam.*

12 *Locator prædij empti cum pacto retrouendendi, ad rationem ſex pro centenario, bifariam reſpectum habere poteſt ad quantitatem pecuniæ, videlicet vel vt pecunia eſt abſolutè, vel vt pretium, & valor prædij eſt.*

14 *Emptor poſſeſſionem cum pacto retrouendendi emptam locare poteſt tam carè, ac ſi abſolutè eam emiſſet.*

15 *Cauere tamen debet, ne in inſtrumento locationis taxetur penſio ad rationem tot, puta quinque, vel ſex pro centenario; ne inde in foro exteriori oriatur ſuſpicio contra ipſum vſurariæ prauitatis.*

17 *Aequius eſſet in impoſitione penſionis locatorem attendere ad pretium ſolutum, quam ad pretium, quod fundus abſolutè valet.*

18 *Inter pactum retrouendendi in fauorem venditoris appoſitum, & retroemendi in fauorem emptoris, non paruum eſt diſcrimen.*

CASVS XXXIV.

ÆGIDIVS vendit pretio quingentorum aureorum poſſeſſionem cum pacto retrouendendi Aſcanio, qui cum non habeat certam illius cognitionem, locat eam ſtatim venditori ad rationem ſex pro centenario. *Quæritur, an hic contractus ſit licitus.*

Pro intelligentia huius caſus, in quò duo petuntur; primum, an Aſcanius poſſeſsionem emens, cuius certam non habet cognitionē, cum pacto retrouendendi, licitum celebret contractum, an vſurarium. Secundum, an iuſtè poſsit rem ſic emptam venditori locare ad rationem ſex pro centenario: Explorandum prius eſt in genere, Num contractus venditionis, ac emptionis rei cum pacto de retrouendendo ſit ex ſe licitus, ſeruato iuſto pretio. Quod eſt quærere; an pactum redemptionis contractui emptionis appoſitum vitiet ipſum. poſterius, an res ſic empta licitè poſsit ab emptore venditori honeſta penſione locari; vt ex notitia rei in vniuerſali ad cognitionem eiuſdem in particulari deducamur.

1 Quoad primum, licitum eſſe † rem emere cum pacto retrouendendi, nempe vt emptor obligetur eam reuendere, ſi venditori libuerit rem ſuam redimere, communis eſt omnium Doctorum

ſenten-

Digitized by Google

ſententia,quam tenent *Alex. de Ales 4. par. ſummæ. Angelus ver. vſura 1. num. 66. Roſella eodem ver. n. 45. Sylu. vſura 2. q. 15. Armilla eodem ver. §. 14. Aſtenſis lib. 3. tit. 11. ar. 4. & 5. D. Anton. par. 2. tit. 1. cap. 8. §. 8. Conradus de contractibus q. 83. Io. Medina, de rebus per vſuram acquiſitis, q. 15. Sotus lib. 6. de iuſt. & iure q. 5. ar. 3. Maior 4. ſent. diſt. 8. q. 43. Gab. eodem lib. & diſt. q. 12. ar. 3. dub. 4. Nau. in Man. cap. 17. n. 247. Salon. 22. D. Thom. q. 78. ar. 3. de cenſibus, controu. 18. conditione 11. Lopez lib. 1. de contractibus, cap. 32. Azor. 3. par. inſtit. mor. lib. 8. cap. 12. q. 1. & 2. Carbo tract. de reſtitut. q. 52. concluſ. 5. Auctor ſummæ coronæ Confeſſorum cap. de vſura circa contractus de retrouendendo, Rebellus de oblig. iuſtitiæ lib. 10. de cenſibus q. vlt. Couar. lib. 3. variarum reſolut. cap. 8. n. 4.* vbi producit *Innocentium, Hoſtien. Io. Andreæ, Archidiac. Abbatem, Ancharanum, Imolam, Tiraquellum, de retractu, tit. 2. in Præfat. & ſeqq. & alios.*

Et probatur tum ratione,tum auctoritate. Ratione quidem, quia ſi contractus emptionis adiecto pacto redemptionis in fauorem venditoris non eſſet licitus, hoc eſſet, vel quia eſt vſurarius, vel quia eſt iniuſtus: ſed neutrum horum accidit ratione huius
2 pacti. Non enim eſt vſurarius: quia vſura ſolum † habet locum in mutuo,vel implicito, & palliato; vel aperto, & explicito: emptio autem ratione huius pacti nullo modo poteſt reduci ad mu-
3 tuum, cum de ratione intrinſeca † mutui ſit, vt recipiens illud teneatur aliquando reſtituere ei, à quo recepit, poſsitque ad id compelli. Per huiuſmodi autem pactum manet quidem facultas venditori, qui pretium accepit rei venditæ, redimendi illam reſtituto eodem pretio; minimè verò tenetur ad illud reſtituendum, neque poteſt ad id compelli: vnde per hoc pactum nullo modo pretium rei emptæ efficitur mutuum, & ex conſequenti non habet ibi locum vſura. Iniuſtus etiam non eſt;quia ſi talis contractus eſſet iniuſtus, aut hoc accideret; quia eiuſmodi pactum de retrouendendo repugnaret naturæ emptionis, & venditionis;aut quia alteri contrahentium eſſet magis oneroſum; vel quia propter illud non ſeruaretur æqualitas inter pretium, & mercem: ſed nihil horum contingit. Non quidem primum, quia paſsim vendun-

venduntur domus, & prædia cum hoc pacto, vt quotieſcumque primus illarum venditor pretium earum reſtituere voluerit, valeat illas recuperare. Non ſecundum, quia etſi vni eorum, ſcilicet emptori, hoc pactum eſt magis oneroſum, quam alteri; hoc tamen non arguit iniuſtitiam: quoniam vel emptor ratione oneris in ſe ſuſcepti deſcendit in pretio ſicut deſcendere poteſt, vel non: ſi deſcendit, ergo iam præfatum onus per pretij diminutionem eſt compenſatum; quia deſcendit in pretio tantum, quantum præfata oneris ſuſceptio merebatur. Si verò non deſcendit in pretio, tunc emptor apertam gratiam, & beneficium facit venditori, ſponte abſque vlla recompenſatione volens tale onus ſubire, ſeque venditori obligare ad reſcindendum contractum pro voto ipſius: volenti autem, & conſentienti non fit iniuria. Neque tertium, quia ſupponimus quod ſit datum iuſtum pretium pro poſſeſsione empta cum tali onere, & ita ſeruata ſit æqualitas inter pretium, & mercem.

Secundo probatur auctoritate, pactum redemptionis contractui emptionis appoſitum ipſum non vitiare, ex triplici ſcilicet iure, nempe diuino, canonico, & ciuili. Iure quidem diuino: quia *Leuit.* 25. Dominus præcepit, ne quis poſſeſſionem ſuam alteri venderet, niſi reſeruata ſibi facultate reemendi, ſic inquiens: *Cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur*. Quod licet fuerit legis veteris præceptum, & ad mandata iudicialia pertinens, atque adeo nunc vim vllam non habeat: inde tamen deducitur, emptionem alicuius rei adiecto pacto redemptionis non eſſe de ſe malam; alioquin Deus tale præceptum in veteri lege minimè tradidiſſet. Hoc idem apparet in iure canonico, ex *cap. Ad noſtram, de emptione, & vendit.* vbi damnatur emptio cum pacto redemptionis facta, ſi interueniat pretium nimis modicum. Vnde à contrario ſenſu, ſi pretium fuerit iuſtum, contractus non vitiatur propter pactum retrouendendi, ſed eſt emptio licita. Demum ex iure ciuili idem apertè conſtat in *l. ſi fundum, C. de pactis inter emptorem, & vendit.* vbi venditori cum pacto retrouendendi datur actio contra emptorem, vel hæredem, ſi ipſe venditor paratus ſit pretium reſtituere, & emptor

nolit

nolit prædicto pacto obedire. itaque præfatus contractus emptionis cum pacto redemptionis, iuſto interueniente pretio licitus eſt.

Vbi obſeruandum, omnes Doctores in hoc conuenire, vt affirmat *Salon 22.q.78.ar.3.controu.9.& Azor.par.3.inſtitut.moral. lib. 8. cap. 12. & Couarr. lib.3. variarum reſol. cap. 10. num. 1.*
4 Pactum de retrouendendo † diminuere iuſtum pretium, quo res æſtimanda eſſet ſine tali pacto venalis. Tum quia vniuersè pa-
5 ctum quodcumque † in fauorem venditoris in contractu appoſitum, pars pretij cenſetur. *l. fundi partem ff. de contrahen. emptio. & cap. cum Ioannes, de fide inſtrumentorum*. Tum quia res aliquo onere onerata, vel obligata non eſt ſimpliciter tanti valoris, quanti eſſet ſi omnino à tali onere eſſet libera.
6 Sed quanto minori pretio † ſit res æſtimanda cum tali pacto vendita, quam ſi abſolutè, & ſimpliciter venderetur, non omnes conueniunt. Quidam ſentiunt pretium poſſe iuſtè minui vſque ad tertiam partem. quod *Carbo de reſtitut.q.52. conc.5.* intelligendum aſſerit, ſi non ſit terminatum tempus redemptionis: ſi verò ſit terminatum, ſolui debet aliquid amplius pro ratione maioris, vel minoris temporis.

Nonnulli verò opinantur, non eſſe ob hanc pactionem, diminuendam integram tertiam partem, ſed paulominus eſſe conſtituendam diminutionem. quod *Socinus* tradit in *conſil.16.lib.1.*

Sed communior eſt ſententia, pretium poſſe decreſcere vſque ad quartam partem, non vltra; vt res, quæ ſimpliciter valet duodecim, ſi cum tali pacto vendatur, valeat nouem; ac præterea ſi minoris vendatur, pretium erit minus æquo, & iuſto. ita ſentit *Azorius, & Auctor ſummæ coronæ confeſſ. locis citatis. & Rebellus p.2. de oblig. iuſt. lib.10.q.vlt. de cenſibus*. In quam ſententiam inclinat etiam *Nau. in Man. cap.23.num.86.* vbi dicit, quòd frequenter tale pactum quartam partem, vel ampliorem diminuit, cui ſubſcribunt *Graffius lib. 2. deciſ. aurear. cap. 117. num.2. & Beia p. par. reſponſ. caſu 7.*

Quoad ſecundum, an res ſic empta iuſtè poſſit ab emptore ſtatim venditori honeſta penſione locari:

Reſpon-

7 Reſpondetur etiam cum communi opinione † affirmatiuè, ſi fiat bona fide, & ſine fraude. Ita tenent *Panorm. cap. Illo vos, de pignoribus, num.* 18. *& Imola ibidem num.* 5. *Nau. in Man. cap.* 17. *num.* 247. *Azor. l. c. q.* 7. *Sylueſter, & Lopez locis ſupra citatis.* Et ratio huius eſt, quia cum per emptionem res facta ſit ſua, quiſque poteſt rem ſuam ſicut huic, vel illi, ita & iſti, puta venditori locare: tunc enim venditor poſſidet rem tamquam conductor, non tamquam dominus.

Dixi, *ſi fiat bona fide, & ſine fraude:* quia dolus, & fraus vitiant contractum. Fraus autem adeſſet, quando commodum, & incommodum ex pacto pertinerent ſolum ad venditorem rem venditam conducentem, excepto commodo fructuũ rei à ſe venditæ, ſaluo affictu, ſiue penſione emptori: Quia eſſet contra naturam emptionis; cum rei emptæ commodum, & incommodum pertineat ad emptorem. Et quando venditor conducens rem non poſſet ſe à conductione liberare, quando vellet: quia ſatis obligatio, cum ſit æſtimabilis pretio, vendicat partem pretij, iuxta *d. l. Fundi partem, ff. de contr. empt.* & cum emptor ſolum iuſtum rei pretium ſoluat, ſic ſupra rem habebit illam obligationem venditoris, qua obligatur ab huiuſmodi conductione non diſcedere.

Idem etiam contingeret, quando vellet emptor, quod venditor obligaret ſe ad conducendum rem emptam, niſi pro hac obligatione in aliquo alleuaretur conductor, ideſt venditor.

His declaratis, vt quod in vniuerſo probatum eſt, etiam in parte probemus, reſpondendo ad caſum noſtrum dicimus, huiuſmodi contractum, vt proponitur, eſſe iniuſtum, vſurariæque prauitatis ſuſpicione in foro exteriori non carere. At in foro conſcientiæ ſi Aſcanius verè habuit animum emendi, & pretium ſoluit iuſtum, non eſſe omnino damnandum.

Prubatur primum membrum: Quia omnis contractus, quo quis emit aliquid cum pacto retrouendendi ſimulatè, & animo potius mutuandi ſub pignore, quam emendi, eſt iniquus, & vſurarius: quia ad iuſtitiam huius contractus præcipuè requiritur, vt qui emit, intentionem habeat emendi, alias eſt mutuum virtuale

tuale

tuale cum lucro: accipiet enim capitale poſtea, & lucrum rei
8 emptæ: ſed qui † nulla habita de re notitia, vt eſt in caſu: Aſcanius illam emit, præſumitur non habuiſſe animum emendi, quia nullus videtur velle emere, quæ penitus ignorat. Aſcanius igitur, cum non habuerit notitiam qualitatis, valoris, & redditus poſſeſsionis, præſumitur texiſſe vſurarium contractum, & nomine emptionis illum occultaſſe.

Tum ſecundo, quia qui accipit fructus, vel penſionem ex re non ſua, fraudulentus eſt, & ad reſtitutionem tenetur: eiuſmodi eſt Aſcanius, quia cum non habuerit intentionem verè emendi poſſeſsionem, non acquiſiuit verum illius dominium, quod eſt ratio imponendæ penſionis in re fructuoſa. igitur exigendo penſionem ad rationem ſex pro centenario, potius ex vi mutui palliati eam exigit, quam ex vera, & legitima locatione, & conſequenter fraudulentus eſt, & ad reſtitutionem tenetur.

9 Tum tertio, quia quando res empta locatur, † & in conſtituenda penſione, ſolum habetur reſpectus ad pecuniam datam, & non ad valorem fructuum ipſius rei, quæ locatur, contractus eſt vſuræ labe infectus; ſed in locatione, ſeu affictu, de quo in caſu, ſolum habetur reſpectus ad pecuniam ſolutam in emptore, & non ad fructus poſſeſsionis, nec ad redditum ex ea perceptibilem: hoc enim inſinuant verba illa, & ſtatim locat venditori ad rationem ſex pro centenario. igitur contractus hic præſumitur iniuſtus, & vſurarius.

Probatur nunc ſecundum membrum, ſcilicet, quòd ſi Aſcanius
10 vere habuit † animum emendi, & ſoluit pretium iuſtum, contractus in foro conſcientiæ non eſt illicitus, nec omnino damnandus. Quia ſi hic contractus eſſet illicitus, & damnandus in foro conſcientiæ, aut hoc accideret, quia emptio poſſeſsionis eſt ſimulata, & non vera, cum Aſcanius non habuerit certam eius cognitionem; aut quia locatio eſt iniuſta propter penſionem conſtitutam ad rationem ſex pro centenario: ſed neutrum horum obſtat.
11 non quidem primum, quia hæc non inter ſe pugnant, † ſed ſtant ſimul, quempiam aliquid verè emere, & illius non habere certam notitiam. ergo etiamſi Aſcanius non habuerit certam rei emptæ

notitiam

notitiam, non inde ſequitur, quod non fuerit vera emptio. Antecedens probatur, quoniam ſecundum opinionem communem, *Nauar. in Man. c. 17. num. 229. Sylu. ver. vſura 2. q. 6. Maioris in 4. diſt. 15. q. 46. Lopez lib. 1. de contract. c. 32. Ang. ver. vſura. 1. §. 71. Soti lib. 6. de iuſt. q. 13. ar. 1. & aliorum:* Si quis bona fide emat predia, vel pecora, quæ probabiliter credit venditorem habere, quamuis verè non habeat, & ſtatim certa penſione eadem illi locat, non peccat, nec tenetur reſtituere penſionem, quam ex re, quæ non eſt, cæpit. ergo eo minus peccat, & ad reſtitutionem tenetur, qui emit, & locat predia, quę probabiliter credit venditorem habere, & de facto habet, vt in caſu noſtro ſupponimus. At ille, qui ſic emit, certam rei quam emit, cognitionem non habet, vt patet; alioquin non crederet, ſed ſciret venditorem rem habere; habet tamen animum emendi, quia aliter peccaret, & ad reſtitutionem teneretur, nam non fuiſſet vera emptio, ſed ſimulata. ergo animus emendi poteſt ſtare ſine certa rei emptæ cognitione; & conſequenter, ſi Aſcanius habuit animum emendi, & iuſtum pretium ſoluit, ſicut ſupponimus ſoluiſſe, cum non conſtet de contrario in caſu, fuit vera, & iuſta emptio.

Neque obſtat ſecundum: quia licet locatio prædij facta ſit ad
12 rationem ſex pro centenario, non ob id ſequitur, quod locator † habuerit in affictu reſpectum ad quantitatem pecuniæ, vt pecunia eſt abſolutè, quia potuit habere relationem ad eam, vt pretium, & valor prædij eſt; quo modo iſta particula non reddit contractum vſurarium quia facit hunc ſenſum, locat poſſeſſionem, ſeu vendit fructus poſſeſſionis: (nam locatio, quædam venditio fructuum eſt: quæ ſi conſideretur eius valor, reddit fructus ad rationem ſex pro centenario. Hoc autem modo imponere penſionem, ſcilicet habendo reſpectum ad fructus fundi empti, ſaltem mediatè, nemo condemnabit, aut iudicabit illicitum.

Nec etiam ſequitur, quod penſio ſit nimis rigoroſa, ac excedens valorem fructuum, & reddituum poſſeſſionis: quia cum pa-
13 ctum de retrouendendo † diminuat de pretio rei venalis quartam partem, & ampliorem, vt auctores graues ſupracitati affirmant, res, quæ valet, ſi abſolutè vendatur, ſeptingenta, vendita cum

con-

conditione retrouendendi ad placitum venditoris, non valebit pluſquam quingenta, præſertim ſi venditor adijciat pactum, quòd ſibi locatur, quæ eſt obligatio noua pretio æſtimabilis Cumque
14 emptor † poſſit locare poſſeſsionem cum hoc vinculo emptã tam carè, niſi abſolutè eam emiſſet, patet quod locare eam, ſeu fructus illius vendere ad rationem ſex pro centenario quingentorũ, quæ fuerunt iuſtum pretium ſolutũ pro valore poſſeſsionis cũ illis oneribus venditę: perinde erit ac locare eandem ad rationem quatuor cum dimidio, vel circa pro centenario ſeptingentorum, quæ ſunt pretium poſſeſsionis abſolutè venditæ: penſionẽ verò impoſitam quatuor cum dimidio, vel circa pro centenario ſeptingentorum non excedere iuſtũ pretium patet; cũ vix ſit fundus vllus in agro Vrbeuetano, vel alibi, qui nõ reddat fructus ad hanc rationẽ. quare neque ex hoc capite erit contractus dãnandus in foro animæ.

Confirmari poſset hæc ſententia ex *Syluest. l.c.* vbi ponit hunc caſum ferè in forma, emptoris locantis fundum emptum cum pacto retrouendendi pro penſione ad ſex vel quinque pro centum venditori: & dicit contractum eſſe licitum: cui ſubſcribit *Armilla ver. vſura*, §. 14. loquendo in foro conſcientiæ, licet in foro contentioſo ſit ſuſpenſus, ſecundum *Io. And. in c. ad noſtram, de empt. vend.* & etiam *Nau. lib. 3. conſ. eod. tit. conſ. 7*. vbi tandem aduertit
15 emptorem, † vt caueat ne in inſtrumento locationis toxetur penſio ad rationem tot, puta quinque, vel ſex pro centenario; ne inde in foro exteriori contra ipſum oriatur ſuſpicio vſurariæ prauitatis.

Concludimus ergo, cùm in foro conſcientiæ animus præcipuè inſpiciatur, *c. conſuluit. de vſur.* quod ſi Aſcanius, qui taliter emit, non habuit intentionem emendi, ſed potius mutuandi ſub pignore, contractus eſt vſurarius, & ob id debet illum reſcindere, vel emendare, fructuſq. perceptos reſtituere: ſi verò habuit animum
16 verè emẽdi, † & locandi, iuſtũq. pretiũ ſoluit pro prędio cũ his oneribus empto, & locando illud ad rationẽ ſex pro centenario ſecundum conſuetudinẽ, habuit reſpectũ non ſimpliciter ad pecuniã, ſed ad fundũ, qui tãti valet, redditq. fructus ad rationẽ huiuſmodi pro centenario; cõtractus eſt licitus de rigore iuris in conſcientia: licet ęquius eſſet † vt in impoſitione pẽſionis dictus locator attẽderet ad

pretium

pretium ſolutum, quod eſt multo minus eo, quo fundus emeretur, ſi ſine huiuſmodi obligationibus venderetur, & quod abſolutè valet; & locaret illum venditori, ſeu venderet fructus illius ad rationem quatuor cum dimidio, vel quinque pro centenario, reticendo tamen in contractu tot, vel tot pro centenario, ſed tantum ſummam pecuniarum ex illis tot conſtantem explicando.

Neque obſtat contra prædicta, ſi arguatur, Pactum de retroemendo in fauorem emptoris appoſitum iniuſtum eſt ex natura rei: ergo & pactum de retrouendendo appoſitum in fauorem venditoris, vt ſcilicet, quoties venditor voluerit redimere fundum, poſſit compellere emptorem ad retrouendendum, cum in omni contractu par, & æqua debeat eſſe vtriuſque contrahentis conditio.

10 Reſpondetur enim multum differre inter pactum † retrouendendi in fauorem venditoris appoſitum, & pactum retroemendi in fauorem emptoris additum: Quia cum in fauorem venditoris apponitur, non obligatur venditor ad reemendum; ſed liberum illi eſt poſtea emere, vel non emere: quod licet in grauamen emptoris cedat, compenſatur tamen illi per iuſtam pretij diminutionem. At quando in fauorem emptoris pactum de retroemendo apponitur, vel talis contractus eſt vſurarius ſecundum communem opinionem Theologorum, eo quod mutuum implicitum contineat, & lucrum ex mutuo. Vt ſi Aſcanius emat ab Aegidio domum ea conditione, vt quandocumque voluerit ipſe Aſcanius, poſſit pretiũ quod dedit repetere, domo Aegidio reſtituta: tunc Aſcanius videtur pretium mutuum dediſſe, cum in omnem euentum habeat ius repetendi, & interim fructus ex domo percipit non computando eos in pretij partem. ita ſentire videntur *Salon 22. D.Thom. q.78. ar.3. de cenſibus, controu.18. conditione 11. ad 2. Federici de Senis, & Sylu. l.c. & Lopez lib. 1. de contract. cap.33.* qui ibi mentem *Sylu.* ſcite explicat.

Vel ſaltem, ſi iure tanquam vſurarium talem contractum condemnare non poſſumus, quia ſi domus interim apud Aſcanium pereat, ipſi perit, & non Aegidio venditori, ac proinde perit emptori; cum tamen pignus debitori pereat, non creditori, quando

caſu

caſu fortuito deſinit eſſe; eſt iniuſtus; quia nimis grauatur venditor, cum cogatur habere pretium paratum redemptioni faciendæ pro arbitrio emptoris: quod eſt maximè difficile; non enim venditor ſemper habet ad manum nummos, quos reddat: emptor verò ſemper rem habet paratam, quam reſtituere queat. Iure itaque optimo talis contractus cum pacto reemptionis in fauorem emptoris eſt diſſuadendus. Tum quia videtur habere ſpeciem mali, ob ſimilitudinem quam cum mutuo habet. Tum quia daretur anſa vſurarijs ſuas vſuras palliatè exercendi: dicerent enim his, qui mutuo petunt: Non mutuabo, ſed emam à vobis rem ſeruata mihi facultate contractum reſcindendi. Tum quia eum tanquam vehementer ſuſpectum auctores condemnaſſe, & merito à Repub. exterminandum iudicaſſe, non eſt dubitandum. *Io. Med. Rebellus, & Azorius loc. ſup. cit.*

Ad argumenta verò, quæ adducta ſunt ad probandum primum membrum noſtræ reſponſionis ad caſum, cum procedant ex coniecturis ad præſumendum in foro contentioſo eiuſmodi emptorem habuiſſe intentionem magis mutuandi, quam emendi; non oportet reſpondere; cum non ſint contra ſecundum membrum, vbi caſus expenditur in foro conſcientiæ, in quo ceſſat omnis præſumptio; & pænitenti pro ſe, & contra ſe creditur.

SVMMARIVM.

1 *Cauſa neceſſaria, ob quam aliquid datur, duplex.*

2 *Accipiens aliquid ne ſacrilegium faciat, ne furtum, ne homicidium, vel vt audiat Miſſam, aut vt obediat ſuo ſuperiori, tenetur acceptum reſtituere in foro conſcientiæ, & n. 14.*

3 *Videns pauperem in extrema neceſſitate, tenetur ei gratis ſubuenire, & num. 17.*

4 *Nomine eleemoſinæ donum gratuitum intelligitur.*

5 *Præcepta, quæ homo adimplere tenetur, ſunt in duplici differentia: quædam enim ad iuſtitiam, quædam ad charitatem ſpectant.*

6 *Proximus indigens aut eſt inops omnino, aut aliquid habet, vel habere ſperat.*

7 *Pro ſeruandis præceptis tum iuſtitiæ, tum charitatis, quæ ad Deum habenda eſt, & ad ſe, non licet aliquid exigere, & n. 9.*

8 *Pro ſeruando præcepto charitatis, quæ proximi vtilitatem concernit, poteſt quandoque licitè aliquid recipi, & n. 10.*

11 *Nemo tenetur ſuis ſtipendijs pro alio militare.*

12 *Nemo cogendus eſt de ſuo alteri beneficium facere.*

13 *Medicus, ſicut operarius, poteſt mercedem ſui laboris exigere, & Aduocatus ſuum patrocinium vendere, etiamſi cum neceſſitate præcepti id faciant.*

15 *Ad iuſtitiam pertinet debitam obedientiam reddere non minus, quam rem alienam ſuo domino reſtituere.*

16 *Operam noſtram indigenti impendere, quomodo ad iuſtitiam, & charitatem ſpectet.*

CASVS XXXV.

FABIVS videns Ioannem in tanta eſſe neceſſitate, quòd niſi ſuam operam illi impendat, aut eum ab iniuria defendat, bona ipſius Ioannis periclitabuntur, aut perſona ſua notabilem iniuriam patietur: vult quidem Fabius Ioannem iuuare, atque defendere, non tamen niſi pecunia data, qua accepta operam alioqui debitam Ioanni impendit. *Quæritur, an ſic acceptum ſit reſtitutioni obnoxium.*

Aduertendum eſt pro deciſione huius caſus, haud dubium eſſe
1 quin data ob aliquam cauſam neceſſariam † mouentem, ſeu meritoriam iuſtè retineri poſſint: vt ſi dediſti decem Fabio, quia anno elapſo cauſam tuam defendit, iuſtè detinet: ſed difficultatem eſſe de datis, & acceptis ob cauſam neceſſariam neceſſitate præcepti, ita vt cauſa neceſſaria, ob quam aliquid acceptum eſt, ſit opus humanum, ad quod ipſe qui accepit, erat alioqui obligatus, videlicet ex lege iubente illud opus proximo præſtari, an ſic acceptum ſit reſtitutioni obnoxium. Suppoſito itaque, quod

Fabius

Digitized by Google

Fabius teneatur opera ſua proximum ſuum Ioannem ab iniuria defendere, & in neceſsitatibus ei ſuccurrere, quærimus an ob talem defenſionem, & patrocinium illi collatum, iuſtè poſsit Fabius aliquid exigere, & retinere. quod eſt quærere in vniuerſo, An data, & accepta ob cauſam alioqui neceſſariam neceſsitate præcepti ſint reſtituenda.

2 Et pro parte affirmante facit primo, quia ſi quis accipiat † aliquid ne ſacrilegium faciat, ne furtum, ne hominem occidat, tenetur acceptum reſtituere in foro conſcientiæ, etiam ante repetitionem, vt alias oſtendimus, cum quærebatur, num pecunia data ſicario, ne hominem interimeret, eſſet reſtitutioni obnoxia: & tamen conſtat cauſas illas neceſſarias eſſe neceſsitate præcepti, puta non facere ſacrilegium, non furari, non occidere.

Idem etiam patet de accipiente pecuniam pro re facienda ex præcepto, nempe vt audiat Miſſam in feſto: peccat enim mortaliter, & acceptum reddere tenetur.

Secundo facit, quia inferior non poteſt aliquid exigere, aut accipere, vt ſuo ſuperiori debitam obedientiam exhibeat; cum ad hanc alioqui velit, nolit, teneatur.

3 Tertio facit, quia diues videns pauperem † in extrema neceſsitate, præcepto charitatis tenetur ei gratis ſubuenire; & ſimiliter Aduocatus tenetur ex eodem præcepto gratis patrocinari proximo in extrema neceſsitate conſtituto: idem enim eſt iudicium iuxta *D. Thom.* 2 2. *q.* 71. *ar.* 1. de officio Aduocati, & de
4 eleemoſina præſtanda; & nomine elemoſinæ † intelligimus donum gratuitum ſecundum communem ſenſum, & interpretationem Doctorum. ergo, & Fabius tenetur gratis operam ſuam impendere in vtilitatem Ioannis in pari neceſsitate exiſtentis. ſi igitur gratis ei ſuccurrere debet, reſtituendum eſt acceptum pro re gratis debita, & facienda.

His tamen non obſtantibus videtur mihi aliter ſub diſtinctione reſpondendum cum *Io. Medina C. de reſt. q.* 25. ſunt enim præ-
5 cepta, † quæ homo adimplere tenetur, in duplici differentia: quædam enim pertinent ad iuſtitiam ſeruandam, quæ intendit reddere vnicuique quod ſuum eſt, aut ſibi debitum. Quædam

O 2 verò

verò,quæ ad charitatem pertinent: & hæc ſunt triplicia; quædam enim pertinent ad charitatem, quæ ad Deum habenda eſt: quædam ad charitatem,quæ ad ſe: quædam verò ad charitatem, quæ ad proximum habenda eſt. Et hæc præcepta, quæ proximi vtilitatem reſpiciunt, etiam ſunt duplicia; quædam enim ſunt, in quorũ adimpletione nec magna opera noſtra neceſſaria eſt, nec pecunia;ſed in vno,vel paucis verbis conſiſtunt,vt eſt delinquentem verbo corrigere,triſtem conſolari,infirmum viſitare,&c.Alia ſunt,in quibus notabilis opera,ſeu labor neceſſarius eſt,aut etiam pecunia, ſeu aliud pecunia comparabile, ſecundum quod proximi indigentia poſtulauerit. Rurſus de proximo indigente diſtin-
6 guere conuenit: Quia aut eſt † inops omnino, qui videlicet non habet, nec habere ſperat, vnde ei qui operam, vel pecuniam ſibi impenderit, retribuat. Aut non tam inops eſt, quin habeat, vel habere ſperet, vnde pro accepto beneficio gratiam referat, ac mercedem reddat.

Quibus præmiſsis, reſpondeo ad quæſitum, quòd etſi pro ſer-
7 uandis præceptis † tum iuſtitiæ, tum charitatis, quæ ad Deum habenda eſt, & ad ſe,non licet aliquid extorquere, aut exigere;
8 attamen pro ſeruando præcepto† charitatis,quæ proximi vtilitatem concernit, poteſt quandoque licitè aliquid reſpici,vt in caſu noſtro, & conſequenter acceptum non eſt reſtitutioni obnoxium.

Hæc reſponſio habet duo membra: primum negans poſſe aliquid recipi: ſecundum affirmans. Probatur primum membrum:
9 quia tam opera iuſtitiæ, quam charitatis, † quæ Dei honorem, atque cultum concernit, venalia non ſunt, ſed gratis agenda: gratis enim Iudex ſententiam iuſtam ferre debet, & teſtis veritatem deponere, & homo cultum, & honorem Deo reddere.

Et ſimiliter, non poteſt homo aliquid exigere, ne ſeipſum ſecundum animam aut ſecundum corpus occidat, ne ſeipſum infamet, aut de peccatis doleat, & confiteatur, & vt mores prauos in meliores commutet. abſurdum enim omnino videtur, homines operam alteri vendere, quæ non niſi in ipſius operantis vtilitatem fit.

Probatur etiam ſecundum membrum: quia quotieſcumque, quis

10 quis operam, ac laborem notabilem † in vtilitatem proximi impendit, ſi proximus ille habeat, vel habere ſperet, vnde reſtituat, poteſt ab eo aliquid licitè exigere, etiamſi ex charitate teneatur ſuam operã illi præſtare: ſed Fabius ſua opera, & patrocinio Ioannem in ſumma neceſſitate conſtitutum, & eius bona defendit, habetque Ioannes vnde retribuat, vt præſupponitur in caſu. potuit igitur Fabius pro his aliquam pecuniam à Ioanne licitè accipere, quamuis illa ex charitate teneretur ei præſtare. Maior propoſitio probatur. Quia ex ſententia *D. Pauli* 1. *ad Cor.* 9. *Nemo*
11 *tenetur* † *ſuis ſtipendijs pro alio militare*: & *Luc.* 10. dicitur, *Dignus eſt operarius mercede ſua*. ergo ei, qui operã, & laborẽ notabilem in vtilitatem proximi impendit, debetur merces, & ſtipendium.

Et confirmatur, quia huiuſmodi operæ, & labores hominum ſunt pretio æſtimabiles, nec alia via remunerantur. iuſtè ergo Fabius ſuam operam vendere potuit.

Confirmatur ſecundo ex *cap. Precariæ*, 10. *q.* 2. vbi dicitur,
12 Neminem eſſe cogendum, † de ſuo alteri beneficium facere. ergo poteſt Fabius operam ſuam alteri indigenti locare, & pretium exigere.

13 Inde eſt, quòd Medicus ſicut operàrius † poteſt mercedem ſui laboris exigere. Similiter & Aduocatus poteſt patrocinium ſuum vendere, & Iuriſconſultus ſuum conſilium, vt apertè habetur *cap. Non ſanè* 14. *q.* 5. non ſolum quando id ſine neceſſitate faciunt, ſed etiamſi cum neceſſitate præcepti id faciant: vt ſi infirmus eſſet alioqui periturus, nec eſſet niſi vnus Medicus, qui poſſet illum curare, tenetur ſub pæna peccati mortalis eum curare, ſed non gratis. Similiter ſi non eſſet, qui valenet inſontem à iudicio condemnationis eripere, niſi aduocatus, teneretur ad id operam ſuam impendere, ſed non gratis. Similiter ſi non ſit, qui domum proximi à ruina, & incendio prope veniente poſſit liberare niſi Petrus, tenetur operam ſuam prout poteſt apponere, ſed non gratis; poterit enim mercedem laboris ſui exigere eo quòd vtiliter geſſit negotium illius: pro quo facit *l. Pomponius ff. de negot. geſtis*.

Ex quibus, & multis alijs patet, quòd poteſt quis exigere

aliquid ob operam in proximi vtilitatem impenſam, ad quam alioqui ex præcepto charitatis tenetur, eò quòd non tenetur gratis huiuſmodi operam impendere. Hæc eſt ſententia *Medinæ C. de reb. reſtit. q.* 25. *Salonis in* 22. *D. Thom. q.* 26. *ar.* 5. *controu.* 3. *§. obſeru.* 3. *& Arag.* 22. *D. Thom. q.* 32. *ar.* 5. vt prætercam *Adr. in* 4. *de reſtit. q.* 33. *& Nau. in Man. cap.* 17. *n.* 61. *& cap.* 25. *n.* 64. qui aſſerunt, quòd neque conſtituto in extrema neceſſitate tenetur quis gratis ſubuenire, modo eum eximat ab ea, mutuando, commodando, vel operas credendo. quorum ſententiam non ita latè probamus: quia alias nunquam teneremur facere eleemoſynam, quod eſt falſum.

Iam facile eſt reſpondere ad argumenta in contrarium in principio allata:

14 Ad primum enim dicitur, quod pro eo, quod eſt, † non facrilegium facere, non furari &c. nihil poteſt accipi; quia hæc ſunt debita ex præcepto ad iuſtitiam pertinente, quod ſicut iubet reddere vnicuique, quod ſuum eſt, ita iubet nemini damnum, aut iniuriam inferre. ſed in caſu noſtro loquimur de debitis ex præcepto charitatis vtilitatem proximi concernente.

Similiter ad inſtantiam de accipiente pecuniam pro Miſſa in die feſti audienda, Dicendum, quod cum hoc pertineat ad cultum Dei, & ad vtilitatem ſpiritualem ipſius operantis, nihil poteſt homo recipere, vt prænotatum eſt.

Ad ſecundum etiam reſpondetur, quod pro eo, quod homo obedit ſuperiori, nil exigere, aut recipere poteſt: quia obedientia ſuperioribus ſpecialiter debita eſt; & ideo ex iuſtitia eſt illis
15 gratis reddenda: non enim minus † ad iuſtitiam pertinet debitam obedientiam reddere, quam rem alienam ſuo domino reſtituere.

Et ſi quis inſtet, etiam operam noſtram indigenti impendere ad obedientiam pertinet. igitur neceſſe eſt eam gratis præſtare.

Reſpondetur, quòd in illo opere duo ſunt conſideranda.
16 Alterum eſt, Deo id iubenti obedire †, quod ad iuſtitiam pertinet: & ob hanc cauſam non eſt licitum aliquid exigere. Alterum eſt, bona noſtra proximo indigenti communicare: & hoc ad

charita-

charitatem pertinet,potius quàm ad iuſtitiam:ideo hoc non tenemur gratis, & cum damno noſtro facere.

Ad vltimum reſpondetur concedendo in illis caſibus diuitem,
17 & Aduocatum teneri † gratis ſubuenire; ſi qui indiget Aduocati opera, & patrocinio, ſit indigens non ſolum patrocinij,ſed etiam opum: quia iſti ſunt inopes omnino: quia ſcilicet non habent, nec habere ſperant, vnde eis, qui pecuniam, vel operam impendunt,retribuant. Sed Ioannes in caſu noſtro ſolum eſt indigens patrocinij, & defenſionis, ſed non opum: quare cum habeat, vnde acceptum beneficium compenſet,tenetur Fabius operam ſuam in vtilitatem eius impendere, ſed non gratis: imo poteſt pro ea mercedem accipere.

SVMMARIVM.

1 *Pænitens tenetur explicare circumſtantiam complicis, quando inde non ſequitur aliud incommodum,quam illius infamatio apud Confeſſarium,nec aliud ſupereſt remedium.*

2 *Manifeſtatio peccati proximi non ſemper eſt per ſe mala; ſed illa,quæ fit aut intentione infamandi,aut ſine cauſa rationabili.*

3 *Detractio proximi duplex, formalis, & materialis, & quæ vtraque, & num. 9.*

4 *Ex natura iuſti iudicij, ſub cuius ratione à Chriſto inſtitutum eſt Sacramentum abſolutionis, naſcitur intrinſecè cauſa rationabilis manifeſtandi integrè totum delictum, etiamſi perſona complicis à Iudice cognoſcenda ſit.*

5 *Habens ius cognoſcendi delictum, habet etiam eius cognoſcendi circumſtantias, quas per ſe coniunctas habet.*

6 *Vnuſquiſque poteſt vti iure ſuo, etiamſi aliquod incommodum alteri ſequatur.*

7 *Pænitens in foro pænitentiali vt accuſator, habet ius accuſandi delictum integrè.*

8 *Fructus ſpiritualis, qui eſſe poteſt in confeſſione circumſtantiæ complicis, eſt maioris momenti, quam fama complicis circa vnum confeſſorem cum tanto ſecreto.*

9 *Reuelatio complicis in confeſſione, cum non ſit detractio formalis, ſed tantum materialis, non eſt contra naturale præceptum non infamandi proximum.*

10 *Qui alterius eſt linguæ, confiteri per interpretem non tenetur, ei tamen licet, & num. 11.*

CASVS XXXVI.

GERARDVS iuuenis fornicatus cum Euſebia virgine non poteſt peccatum ſuum in confeſſione exprimere, quin confeſſarius ſimul intelligat talem puellam fuiſſe complicem; & nequit alteri confiteri, vel quia eſt articulus mortis, vel quia Parochus non vult concedere licentiam, curritque præceptum confitendi, & communicandi, nullumque aliud remedium eſt occultandi crimen Euſebiæ, quam proprium tacere. *Quæritur, an Gerardus in caſu teneatur manifeſtare circumſtantiam complicis, vel peccet lethaliter manifeſtando.*

Non leuis eſt difficultas, quæ proponitur in præſenti caſu, an poſſit pænitens Gerardus perſonam Euſebiæ complicis, & peccatum eius in ſua confeſſione reuelare, vel hanc circumſtantiam prætermittere valeat, ita vt in hac parte non ſit integra confeſſio.

Et dubium non eſt, quando pænitens poſſet alteri confiteri, qui complicis perſonam non noſſet. Nec quando ita explicari poteſt peccatum, & circumſtantia, vt non deueniatur in notitiam perſonæ. Dubium ergo locum habet, quando aliquis, ſi peccatum confiteatur, neceſſario manifeſtum facit delictum complicis, & ita ipſum infamat, an peccet lethaliter, vel potius licitè id faciat.

Ad quam difficultatem reſpondemus cum communi opinione, & meo iudicio vera, & plurium Doctorum, Non peccare Gerar-
1 dum, imò teneri † explicare circumſtantiam Euſebiæ complicis,

quando

quando inde non ſequitur aliud incommodum, quam illius infamia apud confeſſarium, nec aliud ſupereſt remedium, vt in caſu ſupponimus. Ita ſentiunt *D.Thom. in opuſculo* 12.*q*.6.*& in* 4. *ſent.diſt.* 16.*q*.3.*ar*.2.*quæſtiunc*.5.*ad* 5. *D.Bonau*.1.*par.ſuorum opuſculorum, tractatu de modo confitendi cap.* 1. *& in* 4.*ſent diſt.* 21.*par*.2.*diſt. ar*.1.*q*.3. *Palud diſt.* 16.*q*.3.*ar*.3.*ad* 2.*& diſt.* 21.*q*.8.*ar*.2.*concl*.2. *& ibi Riccard. ar*.5.*q*.2. *Durand.diſt.*16.*q. vlt.n*.8. *Gabr. diſt.*17.*q*.1. *ar*.2. *concl*.5. *Alex. Alen*.4.*par.q*.18. *memb*.4.*ar*.2.§.5.*D.Antonin*.3.*par.tit*.14.*cap*.19.§.11.*Dominic. Soto in* 4.*diſt.*18.*q*.2.*ar*.5.*circa ſolutionem quarti arg.Syluest.ver. confeſſio* 1.*q*.3. *Angel.eodem verbo n*.3. *Io.Med. C. de confeſſ.q*.9. *de circumſtantia temporis,& loci. Petrus Nauarr. de reſtit.lib*.2. *cap*.4.*n*.269.*& ſeqq. Tolet.lib*.3.*inſtruct.cap*.8.*n*.4.*Lopez* 1.*par. ſui inſtructorij cap*.36. *Rebell. de oblig iuſtit.* 1.*par. lib*.4.*q*.13.*n*. 10. *Victoria in ſumma Sacrament.q*.175.*Io.Bapt.Corradus par*. 2.*ſuorum reſponſ.q*.175.*Vaſquez in* 3.*par. D.Thom. q*.91.*ar*.2. *dub*. 3. *Suarez tom*.4. *diſputationum in* 3.*par. D.Thom. diſp*. 34. *ſect*.1. *&* 2. & multi alij ab his duobus poſtremis allati.

Et probatur his rationibus: tum primo, quia non omnis mani-
2 feſtatio † peccati proximi eſt per ſe mala, nec iure naturæ prohibita, ſed illa, quæ fit aut intentione infamandi proximum, aut ſine cauſa rationabili: at manifeſtatio peccati Euſebiæ complicis non fit in caſu à Gerardo intentione infamandi eam, nec ſine cauſa rationabili. igitur non eſt intrinſecè mala, nec contra legem naturalem. Maior propoſitio colligitur ex *D. Thom.* 22.*q*.73.
3 *ar*.2. vbi docet, detractionem proximi, † quod eſt peccatum occultum eius alteri dicere, duplicem eſſe, ſcilicet formalem, & materialem. Prima eſt intrinſecè mala: non autem ſecunda. Eſt autem detractio formalis, quando peccatum proximi reuelatur, vel ex intentione infamãdi illum, vel ſine rationabili cauſa: ſi autem fiat ſine illa intentione, & cum cauſa rationabili, detractio eſt materialis, & ideo non per ſe mala, ſed poteſt eſſe licita. Minor probatur. & quoad primum, ſcilicet, quod deſit intentio infamandi Euſebiam Gerardo, cum reuelat peccatum eius, ſupponimus: quia alias peccaret mortaliter, & non eſſet diſpoſitus ad

ſuſcipien-

ſuſcipiendum Sacramentum. Quod verò adſit cauſa iuſta, & rationabilis manifeſtandi illud in confeſſione, probatur ex inſtitutione huius Sacramenti: quia hoc Sacramentum inſtitutum
4 eſt † à Chriſto Domino ſub ratione, & natura iuſti iudicij. ergo ex illo intrinſecè naſcitur cauſa rationabilis manifeſtandi integrè totum delictum, etiamſi perſona complicis à Iudice cognoſcenda ſit: quia ad hoc ipſum habet ius ex vi talis inſtitutionis, nempe cognoſcendi crimen quale ipſum eſt: ipſum autem tale eſt, vt per ſe habeat coniunctas has circumſtantias, & ſine illis integrè cognoſci non poſſit, aut perfectè iudicari: & ideo qui habet ius
5 † cognoſcendi delictum, habet etiam ius cognoſcendi tales circumſtantias; ſicut qui habet ius cognoſcendi relationem, habet ius cognoſcendi terminum.

6 Tum ſecundo, quia vnuſquiſque † poteſt vti iure ſuo, etiamſi aliquod incommodum alteri ſequatur: nam qui vtitur iure ſuo, nulli facit iniuriam, vt conſtat ex *cap. cum Eccleſia, de electione:* ſed Gerardus pænitens in caſu, reuelando delictum Euſebiæ
7 complicis vtitur iure ſuo; nam quatenus in hoc foro † eſt accuſator, habet ius integrè accuſandi delictum. Et eadem ratione Iudex ratione ſuæ iuriſdictionis habet ius interrogandi ſpeciem delicti: & pænitens quatenus eſt reus, legitimè interrogatus habet etiam ius ſimpliciter reſpondendi, & declarandi veritatem. rectè ergo dicitur vti iure ſuo, quicquid ſit de alterius perſonæ manifeſtatione, quæ materialis eſt, & quaſi accidentaria: maximè cum per accidens ſit, quod à confeſſore talis perſona cognoſcatur, nec ne.

Tum tertio probatur ex vtilitate ſpirituali ipſius pænitentis.
8 Quia ſpiritualis fructus, † qui eſſe poteſt in ipſa confeſſione talis delicti integri, & prout in re ipſa factum eſt, eſt maioris momenti, quam fama proximi circa vnum confeſſarium cum tanto ſecreto: nam moraliter loquendo, in confeſſione talis delicti integri creſcit pudor, & dolor de tali peccato: vnde moraliter etiam ſperari poteſt, vt creſcat fructus ex opere operato, qui certè eſt maioris momenti, quam fama complicis circa vnum confeſſorem ſub tali ſigillo.

Accedit

Accedit præterea, quòd cum hac integritate coniuncta eſt ſatisfactio Sacramentalis pro tali delicto impoſita, cuius fructus etiam eſt magni momenti.

Denique confirmatur ſententia hæc auctoritate D. Bern. in opuſc. cui titulus eſt, Formula honeſtæ vitæ, vbi notabile tradidit documentum: & inter alia inquit, De nullo prorſus ſiniſtrè loquaris. quantumcumque ſit verum, vel manifeſtum, niſi in confeſſione: & hoc vbi non potes aliter manifeſtare peccatum tuum. quo nihil expreſſius pro noſtra ſententia potuit dici.

Neque obſtat argumentum *Nau.* contrarium opinantis *in Man. cap. 7. num. 2. cum multis alijs*, Quoties duorum præceptorum materia occurrit, vt neceſſarium ſit alterum tranſgredi, aut prætermitti, præceptum maius præferendum eſt minori: præceptum autem non infamandi proximum maius eſt, cum ſit naturale diuinum, quam præceptum de integritate confeſſionis, quod eſt diuinum poſitiuum.

Quia reſpondetur, quòd cum illa reuelatio complicis in caſu
9 non ſit detractio formalis, † ſed materialis, vt oſtenſum eſt, non eſt contra naturale præceptum: nam talis detractio non eſt prohibita lege naturæ. Et ita hic reuera non concurrunt duo præcepta, poſitiuum, & naturale ſeſe inuicem impedientia, vt propterea præferendum ſit naturale præceptum: quia poſita inſtitutione Sacramenti mutatur materia præcepti naturalis: quia detractio, quæ alias eſſet formalis, fit materialis: ideoque verè tunc non concurrit naturale præceptum, nec violatur ex tali modo confitendi.

Neque obſtat ſecundo, quod fæmina non tenetur explicare enormia peccata ſua cum periculo probabili faciendi ruere confeſſarium, vt oſtendimus ſupra *caſu* 33. quia id eſſet cum detrimento ſalutis animæ confeſſarij. itaque pari ratione non licebit in caſu Gerardo pœnitenti cum detrimento famæ Euſebiæ complicis peccatum illud in ſpecie confiteri.

Nam reſpondetur eſſe differentiam: quia cum fæmina confitetur talia peccata, cognoſcens fragilitatem confeſſarij, dat ei occaſionem ruinæ ſpiritualis, quod nullo modo licet: ſed confitendo

Gerar-

Digitized by Google

Gerardus circumſtantiam peccati, vtitur iure ſuo, nec peccat, cum non ſit detractio formalis iſta reuelatio, ſed materialis tantum.

10 Neque demum obſtat, quòd quando quis † confiteri non poteſt niſi per interpretem, non tenetur diuino confeſſionis præcepto, ea certè ratione, ne ſe infamet apud eum, qui ſoluendi facultatem non habet. ergo multo minus obligabitur cum iactura alienæ famæ, maximè, quia nullum commodum ſequitur infamato ex illa reuelatione, ſicut mihi ſequitur ex fructu Sacramenti, quod ſuſcipio.

Quoniam reſpondetur differentiam eſſe inter dicere peccatum interpreti, & manifeſtare confeſſori: quia cum interpres non teneatur tam arctè ſigillum confeſſionis ſeruare, ſicut confeſſarius, liberius peccatum pænitentis prodet apud alios; quod periculum diuulgandi peccatum non reperitur in confeſſario, qui illud ſub

11 tanto ſigillo recepit. Non tamen negandum eſt, ei, † qui alterius eſt linguæ, licere per interpretem confiteri, vt docet *D. Thom. 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 3. ar. 4. quæſtiunc. 3. ad 2.* imo eſt optimum conſilium.

Aduertendem tandem nos non negare, poſſe aliquem, ſi velit, adhærere contrariæ opinioni, & ratione illius excuſari ab hac obligatione manifeſtandi complicem, ſeu circumſtantiam neceſſariam cum prædicta complicis manifeſtatione: non enim poſſumus negare, quin opinio contraria probabilis ſit, cum habeat auctores graues, & rationes probabiles: ſed hæc ſententia, quam ſequimur, fortiori nititur fundamento.

SVMMARIVM.

1 *Opinio Tullij, & nonnullorum Theologorum, de mercatore, qui breui ſuperuenturam magnam mercium copiam præſcit, & merces ſuas pretio currente vendit.*

2 *Abundantia, quæ parum diſtat, nihil diſtare videtur. Explicatur hoc dictum n. 12.*

3 *Venditorem conſtituere ſe in tuto, & emptorem in periculo, iuſtitiæ contractus repugnare videtur. limita vt n. 13.*

4 *Venditor etiamſi præſciat ſuperuenturam mox frumenti copiam abſque iniuſtitia vendere poteſt ſuum currente pretio.*

5 *Merces valent, quanti in præſenti communiter æſtimantur, etiamſi in errore futuræ abundantiæ ea æſtimatio fundetur.*

6 *Ignorantia circumſtantiæ, quæ venditionem facit iniuſtam, tantum liberat venditorem à culpa, non autem à debito reſtituendi.*

7 *Scientia vnius, vel alterius hominis futuræ abundantiæ non imminuit communem æſtimationem, nec pretium mercium.*

8 *Ioſeph præuiſa futura ſterilitate ſeptem annorum, magnam frumenti copiam antea currenti pretio emit, & poſtea carius vendidit Aegyptijs, Gen. 41.*

9 *Venditor neque ex iuſtitia, neque ex charitate tenetur detegere emptoribus copiam ſuperuenturam mercium, aut ſubtrahere quidpiam pretij.*

10 *In aliquo tamen caſu poſſet eſſe contra charitatem non indicare emptori ſuperuenturam ſtatim mercium copiam, nempe ſi emptor in graui neceſſitate conſtitueretur, & venditor non vendendo illi in ſimilem neceſſitatem non incideret.*

11 *Abundantia mercium valorem minuit, vel penuria auget, quæ eſt præſens in loco, vel proximè futura communiter cognita.*

CASVS XXXVII.

CVM in quadam Vmbriæ Ciuitatæ caritas annonæ contigiſſet, Mercator quidam Picenus magnam tritici copiam ad eam attulit, vendiditque illud pretio communi, & currenti, quod inuenit tempore ſuæ venditionis, quamuis ſciret multos alios Mercatores ſtatim illuc peruenturos, futuramque magnam frumenti abundantiam, ob quam vilius venderetur. *Quæritur, an hic Mercator Picenus iuſtè potuerit merces ſuas pro pretio tunc currenti vendere, vel debuerit aliquid de pretio diminuere.*

Vetus

Vetus eſt hæc, de qua nunc agimus controuerſia: refert enim *M.Tull. Cic. lib.3.de. offic.* inter antiquos philoſophos, nempe inter Diogenem Babylonium magnum, & grauem Stoicum, & Antipatrum Diſcipulum eius acutiſſimum, quæſtionem fuiſſe agitatam de Alexandrino Mercatore, vtrum cum Rhodum annonæ caritate laborantem frumenti numerum aduexiſſet ſciens ſe alios Mercatores ſecuturos, teneretur ciues copiæ futuræ admonere; an verò tacitus poſſet pretio tunc currenti frumentum ſuum lici-
1 tè diuendere. Antipatro viſum eſt† venditorem debere id Rhodijs dicere, manifeſtare ſcilicet, frumenti copiam, quam mox alij Mercatores aducturi erant, ac propterea frumentũ ſuum minoris vendere. Contra Diogeni Magiſtro videbatur; Non oportere venditorem hoc patefacere, & poſſe ſine vitio ſuum frumentum quam plurimo vendere, pretio ſcilicet communi, & currenti, quod tempore ſuæ venditionis inuenit. & Cicero magis Antipatri diſcipuli, quam Diogenis Magiſtri ſententiam probauit, quam poſtea ſecuti ſunt *Corrad. de contract.q.62.Io. Med.C.de rebus reſtituendis,q.35.Gabr.4.ſent.diſt.15.q.11.ar.3.dub.6.*& nonnulli Iuriſconſulti citati à *Couarr. Reg. peccatum,* §.4. *n.6.* eamque his rationibus perſuadere conantur.

Tum quia merces in tali caſu decreſcunt in valore ſecundum communem æſtimationem, ob ſimilium mercium abundantiam de proximo venturam: ſicut enim rerum penuria earum valorem auget, ita & earum abundantia valorem minuit.

Nec obſtat, quod illa abundantia non actu ſit in ciuitate illa.
2 Nam quod parum † diſtat, nihil diſtare videtur ſecundum Philoſoph. 5.*Phiſic.* igitur ſi poſt horam, vel diem taxa, vel abundantia ſuperuentura eſt, perinde ac præſens cenſenda erit, communeque pretium iam imminutum, atque adeo currente antea pretio vendere fas non eſt.

Tum quia ſi emptor ſciuiſſet breui alias merces aduehẽdas, proculdubio aut non emiſſet, aut non tanti, ſed expectaſſet futurum tempus. Ergo emptio eſt inuoluntaria ex parte ementis. contractus autem, in quo alter contrahentium eſt rationabiliter inuoluntarius, eſt iniquus, & nullus.

3 Tum

3 Tum quia is, qui in eo euentu vendit pretio currenti, † in tuto ſe conſtituit, & emptorem in periculo; quod iuſtitiæ contractus repugnare videtur.

Tum demum, quia ex oppoſita ſententia plura ſequuntur inconuenientia. Primum, quod Mercator ſciens craſtina die frumenti taxationem futuram multo minorem, quàm modo eſt, poſſit modo ingentem tritici copiam pretio currenti vendere: ex quo non leue damnum Reipub. conſurgeret.

Secundum, quod Mercator ſciens craſtina die hanc ciuitatem eſſe obſidendam, poſſit hodie omnia bona ſua pro pretio currenti vendere: quod videtur iniquum, & contra bonum non ſolum ciuium, ſed etiam ipſius Reipub.

Tertium, quòd ſciens aliquam monetam craſtina die à ſuo valore deponendam, poſſit hodie omnem, quam habet permutare: ex quo ſimiliter grauis iniuria inferretur ciuibus. Quæ omnia inconuenientia, & abſurda tolluntur, ſi ſequamur ſententiam Antipatri, & Io. Medinæ.

His non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitum, fas fuiſ-
4 ſe † Mercatori Piceno ſcienti mox alios Mercatores ingentem frumenti copiam in Ciuitatem Vmbriæ aduecturos, vendere ſuum communi, & currenti pretio, quod in dicta Ciuitate inuenit.

Hæc eſt ſententia *D. Thom. 27. q. 77. ar. 3. in ſolut. ad* 4. *Caiet. & Arag. ibidem, Salonis ibidem controu.* 4. *Soti 6. de iuſt. & iure, q.* 3. *ar.* 2. *ad* 3. *Angeli* §. 26. *Sylu. q.* 11. *Armille num.* 20. *Tabienſis* §. 12. *omnes verbo Emptio. Couarr. Regula peccatum, par.* 2. §. 4. *n.* 6. & multorum aliorum ab ipſo relatorum, *Cordubæ lib.* 1. *q.* 14. *Alexandri ab Alexandro lib.* 6. *Genial. dierum. cap.* 1. *Rebelli de obligation. iuſtitiæ par.* 2. *lib.* 9. *q.* 6. *Toleti lib.* 8. *inſtructionis ſacerdotum cap.* 50. *n.* 3. *Azorij* 3. *par. Inſtitut. moral. lib.* 8. *cap.* 23. *q.* 4. *Ioſeph Angles par.* 2. *florum theologic. quæſtion. in* 4. *ſent. q. de contractu emptionis, & venditionis difficult.* 7. & cæterorum communis, & probatur his argumentis.

5 Tum quia merces valent, † quanti in præſenti communiter æſtimantur, etiamſi in errore futuræ abundantiæ ea æſtimatio fundetur; non enim attendendum eſt quomodo communis vſus, &

fori

fori æſtimatio ſit introducta, ſed quid illa habeat. ergo abſque peccato, & obligatione reſtituendi potuit Mercator Picenus frumentum ſuum communi pretio currente diuendere, licet abundantiam futuram præſciuerit; quia in caſu pretium adæquat valorem mercis.

Tum quia ſi Mercator Picenus ignoraret illam frumenti abundantiam ſuperuenturam, & venderet frumentum ſuum bona fide pretio currenti, venditio illa eſſet iuſta ſimpliciter, & abſolutè, nec teneretur venditor ad aliquid reſtituendum, eſto deinde intelligeret talem copiam eſſe ſuperuenturam, ſecundum omnes etiam ſecundum Medinam, & Conradum auctores oppoſitæ ſententiæ. ergo etiamſi illam ſciuit tempore venditionis, venditio illa eſt iuſta ſimpliciter, & abſolutè. Conſequentia deducitur; quia
6 ignorantia † circumſtantiæ, vel rei, quæ venditionem facit iniuſtam, tantum liberat venditorem à culpa propter illam bonam fidem, qua vendidit, non autem à debito reſtituendi, cum primum illa ignorantia ceſſauerit, & illa bona fides: ſi igitur venditor ille qui vendidit frumentum ignorans ſuperuēturam copiam, eſto deinde intelligat ſuperuenturam, ceſſetque illa ignorantia, non tenetur aliquid reſtituere; ſignum eſt, quod venditio illa fuit iuſta, non quia ignorauit copiam ſuperuenturam, ſed quia vendidit pretio iuſto. ergo etiam ſi agnouerit tempore venditionis copiam illam frumenti aduehendam, non propterea deſinit venditio illa eſſe iuſta, & ſine vllo debito reſtituendi.

Tum quia futura abundantia non diminuit commune pretium niſi diminuendo communem æſtimationem: hæc autem ante aduentum aliarum mercium non eſt imminuta: nec enim ſcien-
7 tia † vnius, vel alterius hominis communem æſtimationem imminuit. ergo nec commune pretium propter talem futuram abundantiam eſt imminutum.

Tum demum, cum in omni contractu debeat eſſe par, & æqua vtriuſque contrahentis conditio, ementis ſcilicet, & vendentis, ſi venditor ſciens ſuperuenturam copiam frumenti non poſſet ſuum pretio currenti vendere; ſimiliter nec emptor tempore abundantiæ præſciens futuram inopiam, poſſet eandem mercē emere cur-

renti

renti pretio, ſeruandam in tempus inopiæ, cariuſque vendendam:
8 hoc autem falſum eſſe conſtat exemplo Ioſeph † Patriarchæ, qui, vt habetur *Gen.* 41. præuiſa futura ſterilitate ſeptem annorum magnam frumenti copiam antea currenti pretio emit, & poſtea carius vendidit Aegyptijs, Regemque ditauit. ergo pariter falſum eſt, quod venditor Picenus ſciens ſuperuenturam copiam frumenti non poſſit ſuum vendere communi, & currenti pretio.

Et confirmatur ex communi vſu omnium Mercatorum, & eorum, qui ſunt timorati: omnes enim probi, & timorati vendunt res pretio currenti, vt iuſtiſſimo, etiamſi ſciant ſuperuenturam copiam, nec illam vnquam ementi explicant. Et ſimiliter tempore affluentiæ omnes emunt merces pretio currenti ſeruandas in tempus amplius valituras.

Sed quæret aliquis, eſto quod in caſu Mercator iſte Picenus non peccet contra iuſtitiam, nec ad reſtitutionem aliquam teneatur, num ſaltem agat contra charitatem non manifeſtando emptoribus ſuperuenturam copiam, vel non ſubtrahendo quippiam pretij.

Ad quod reſpondetur, nec etiam contra charitatem peccare:
9 quia † neque ad id ex charitate tenetur, vt colligitur ex verbis *D.Thom. loco iam citato ad* 4. vbi dicit, quod ſi venditor, quod futurum eſt exponeret, vel de pretio ſubtraheret, abundantioris eſſet virtutis, hoc eſt exerceret opus ſuperrogationis, & conſilij: at ſi venditor teneretur ad id ex charitate, non vocaſſet D.Thom. opus huiuſmodi, opus ſuperrogationis, & conſilij, ſed opus debitum, & obligatorium ex charitate.

Accidere nihilominus aliquando poteſt, vt contra charitatem
10 ſit † non indicare emptori ſuperuenturam ſtatim mercium copiam. quod ex communibus legibus charitatis, quibus tenemur bono proximi conſulere ſine proprio damno, iudicandum eſt. v.g. ſi Mercator videat Petrum magnam frumenti copiam velle emere præſenti pretio, propter quod craſtina die in paupertatem incideret, contra charitatem peccaret, ſi non diceret ei, vt in craſtinum expectaret, maximè ſi Mercator ſine ſuo damno triticum illud pluribus ciuibus diuiſim vendere poſſet. ſecus autem

eſſet, ſi Mercator eò quod non vendat frumentum ſuum Petro, in ſimilem paupertatem incideret: nam tunc nihil tenetur indicare, ſed poteſt tuta conſcientia illi vendere quantum frumenti poſtulauerit, pretio præſenti: quia nullus tenetur neque ex charitate, neque ex iuſtitia alteri conſulere cum proprio detrimento in eodem genere bonorum.

Neque obſtāt huic ſententiæ argumenta in initio pro contraria opinione allata: Nam ad primum cum dicitur, quod merces in tali caſu decreſcunt in valore ſecundum communem æſtimationem, negatur cum ſua probatione: quia earum mercium abun-
11 dantia † valorem minuit, vel penuria auget, quæ eſt præſens, & actu in loco illo, vel proximè futura communiter cognita; non autem ea, quæ tantum ſcita eſt ab aliquo particulari venditore, vel emptore.

Ad auctoritatem Ariſtotelis dicentis, Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur, reſpondetur cum *Rebello l.c.* quod etiamſi parum
12 diſtet abundantia, non imminuere iuſtum rei pretium, † quando ea communiter ignoratur, vt in caſu noſtro.

Ad ſecundum reſpondetur venditorem non cogi, quod nouit de mercibus mox deferendis emptori dicere; quia non eſt vitium, quod ſuis mercibus inſit, ſed ſatis eſt, ſi pretio communi vendat. quare negatur conſequētia, quod emptio ſit inuoluntaria ex parte emptoris, cum non ſciat frumentum aliud aduehendum, nec venditor teneatur illi dicere: ſicut non valet hic arguendi modus: Si emptor ſciret equum, quem emit, intra menſem moriturum, non emeret: ergo emptio eſt inuoluntaria.

Ad tertium reſpondetur, non eſſe contra bonam fidem con-
13 tractus, quando vnus † contrahens in tuto, & alter per accidens in damno conſtituitur, vt in propoſito contingit: non enim à diſtrahente, ſed à mercium ſuperuentu emptor per accidens in damno ponitur.

Ad vltimum reſpondetur, non eſſe habenda pro inconuenientibus illa, quæ ex noſtra ſententia inferuntur, quia vera ſunt: quamuis aliquādo talia faciens poterit peccare contra charitatem vt ſupra diximus, *Arag. Salon, & Azor. loc. ſup. cit.* ita docent.

ſ V M-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Vnus modus rei dominium acquirendi eſt canonica præſcriptio, & vſucapio.*
2 *Præſcriptio quomodo ab vſucapione differat.*
3 *Præſcriptio duplex, longi temporis, & longiſſimi: prima per decennium fit inter præſentes, & per viginti annos inter abſentes. Secunda per triginta inter præſentes, & per quadraginta inter abſentes: quæ in rebus Eccleſiaſticis eſt neceſſaria.*
4 *Contra Eccleſiam Romanam neceſſaria eſt præſcriptio centum annorum.*
5 *Ad legitimè aliquid præſcribendum quot, & quæ conditiones neceſſario requiruntur.*
6 *Quæ res iure præſcribi prohibentur.*
7 *Qui rem legitimè, & bona fide præſcripſit, etiamſi poſtea inſtruatur, & credat rem illus fuiſſe alienam, tuta conſcientia ipſam retinet.*
8 *Præſcribere eſt idem, quod acquirere dominium, & ius per poſſeſſionem continuatam tempore à lege præſcripto.*
9 *Nemo obligatur reſtituere, quod iuſtè poſſidet.*
10 *Leges humanæ poſſunt impedire tranſlationem dominij in alios, & etiam priuare ciues dominio ſuarum rerum ob Reipub. vtilitatem, & bonum commune, & transferre illud in alios: & quare.*
11 *Præſcriptionis fundamentum eſt bona fides, quæ habetur durante tempore præſcriptionis antequam dominium acquiratur.*
12 *Non debet quis cum aliena iniuria, vel iactura locupletari. Quomodo hæc regula ſit intelligenda.*
13 *Lex præſcriptionis lata eſt ob commune bonum, ad tollendum errorem, & confuſionem dominiorum, nec eſt per ſe punitiua alienæ culpæ, ſed conceſſiua, & conſultiua communis boni, atque adeo non ille, ſed hic eſt potiſſimus eius finis, & n. 14.*

CASVS XXXVIII.

HIERONYMVS quandam vineam legitimè præſcripſit cum conditionibus ad præſcribendum requiſitis, & poſtea inſtructus à viro fide digno, credit rem illam alienam fuiſſe, quam ſuam eſſe putauerat. *Quæritur, an Hieronymus ſit poſtea in conſcientia tutus, vel teneatur dictam vineam priori domino reddere.*

1 Inter alios modos acquirendi † dominium vtile, vel directum alicuius rei, vnus eſt legitima, & Canonica præſcriptio, & vſucapio; quibus nominibus quamuis crebrò iura promiſcuè vtantur. Vſucapere enim, nihil aliud eſt, quam vſu vendicare, hoc eſt per vſum legitimo tempore continuatum rei dominium acquirere, vt legitur, *ff. de vſucapionibus l. vſucapio*, idque ipſum eſt præſcibere. A Doctoribus tamen communiter diſtingui ſolet inter præſcrip-
2 tionem, & vſucapionem: vt præſcriptio † ſit rerum immobilium; vſucapio verò rerum mobilium; breuiorique tempore res vſucapiatur, quam præſcribatur. Itaque vſucapio duobus modis differt à præſcriptione, & ratione materiæ, & ratione temporis: vſucapio namque rerum mobilium triennio fit inter præſentes, ideſt inter eos, qui in eadem prouincia, vel vrbe, vt nonnullis placet, cum vrbes nunc habeant propria ſtatuta, commorantur; aut quadriennio inter abſentes, vt habetur *lib. 2. Inſtitut. Imperialium, tit. de vſucap. & longi temporis præſcriptionibus in princ.* & in *auth. Quas actiones, C. de ſacroſanct. Eccleſ.*
3 Præſcriptio verò cum ſit duplex, † & longi temporis, & longiſſimi: Præſciptio longi temporis per decennium fit inter præſentes, & per viginti annos inter abſentes, vt eodem tit. *Inſtit.* habetur, & *eadem auth.* & *C. de præſcript. longi temporis, l. Malæ fidei*. At Præſcriptio longiſſimi temporis eſt triginta annorum inter præſentes, & quadraginta inter abſentes, quæ in rebus

Eccleſiaſti-

Eccleſiaſticis eſt neceſſaria; de qua ideo præſcriptione plura exſtant capita, 16.q.3.& in *authent. citata, quas actiones*. ſola Ro-
4 mana Eccleſia † gaudet tempore centum annorum, neque contra eam breuius præſcribitur: immò vt affirmat *Michael Salon tractatu de dominio,q.5.ar.7.* iuxta conſuetudinem Italiæ contra Eccleſiam Romanam nullo tempore præſcribitur.

5 Conditiones autem, † quæ ad præſcriptionem neceſſario requiruntur, ſunt quatuor. Prima eſt poſſeſſio rei, vt ſcilicet actu res poſſideatur ab eo, qui eam præſcripturus eſt: Nam ſine poſſeſſione res non præſcribitur, ex Regula, *ſine poſſeſſione, de reg. iuris, in 6.* neque vſucapitur, *l. ſine poſſeſſione, de vſucapionibus*.

Secunda eſt bona fides, hoc eſt, vt toto tempore præſcriptionis non ſit alienæ rei conſcius: ſumitur enim hic fides pro conſcientia, iuxta illud *Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide*, (ideſt conſcientiæ concors) *peccatum eſt*: Quare præſcriptio, quæ inchoata fuit, & continuata mala fide, ſeu à ſciente rem eſſe alienam, non excuſat à reſtitutione; nec etiam, quæ cæpta bona fide eſt, ſi poſtea antequam finiretur ſucceſſit mala. *cap. Vigilanti, & cap. fin. de præſcript. & reg. poſſeſſor, de reg. iur. lib. 6.* Vnde ſtatuta ciuitatum, quibus ſtatuitur, ne poſt aliquot annorum lapſum debita peti poſſint, debitorem ſcientem ſe debere, & non ſoluentem, in foro conſcientiæ non excuſant, iuxta communem, quam tenet *Anchar. in reg. peccatum, de reg. iuris, lib. 6. Nau. in Man. cap. 17. num. 85. Graff. lib. 4. deciſ. aure. cap. 8. n. 19. & Carbo de reſtitut. quæſt. 84. conc. 3.*

Tertia conditio eſt titulus legitimus, vel præſumptus: Non enim ſatis eſt rem poſſidere, niſi aliquo titulo legitimo, vel probabiliter præſumpto poſſideatur: vnde fur, vſurarius, & id genus hominum res furto ablatas, aut per vſuram acquiſitas nunquam præſcribunt.

Quarta denique conditio eſt, vt res ſit præſcriptionis capax, ideſt talis ſit naturæ, quæ à iure præſcribi non prohibeatur. In
6 *inſtitutio.* enim *tit. de vſucap.* hæc ſex † prohibentur vſucapi, ſeu præſcribi: Res furto ablatæ quocunq. modo habeantur, etiam bona fide, & per emptionem, vel donationem. (Quod intelli-

gendum eſt de præſcriptione longi temporis, nempe decem, aut viginti annorum, de qua ſola ibi fit ſermo: non de præſcriptione longiſſimi temporis triginta, vel plurium annorum, vt notant *Gloſſa ibidem, Sylu. verbo præſcriptio, 2.q.12. Sayrus lib. 9. Clauis Regiæ cap. 12.n.6. & alij*) Res vi poſſeſſæ, res ſacræ, res religioſæ, ſeruus fugitiuus, & homo liber. Multa alia præſcribi non poſſunt, de quibus videri poteſt *Syluester ver. præſcriptio, & gloſſa Reg. 4. de. reg. iur. lib. 6.*

His igitur explicatis, ac prænotatis, reſpondeo ad caſum pro-
7 poſitum, Hieronymum, qui vineam legitimè, † & bona fide præſcripſit, cum conſcientia eam tamquam propriam poſſidere: quamuis tranſacto præſcriptionis tempore reſciuerit illam fuiſſe alienam.

Hæc eſt ſententia Doctorum communis, nempe *D. Thom. quodlib. 12. ar. 25. Scoti 4. ſent. diſt. 15. q. 2. ar. 2. Thomæ ab Argent. ibid. ar. 4. quæstiunc. 7. gloſſ. in cap. fin. de præſcript. in verbo. Nulla temporis. Panor. in c. vigilanti, n. 6. de præſcript.* & aliorum ab eo citatorum, & præcipue *Io. Andr. in reg. Poſſeſſor, de reg. iur. in 6. Syluest. ver. præſcriptio 1. q. 3. Tabienſis eodem verb. Soti lib. 4. de iust. q. 5. ar. 4. Couarr. in reg. Poſſeſſor, par. 3. §. 2. n. 1. & 2. de reg. iur. in 6. Michaelis Salonis tract. de dominio q. 5. ar. 7. dub. 1. conc. 2. Petri de Arag. 2. 2. D. Thom. q. 62. tract. de dominio in fine. Gregorij de Valentia tom. 3. diſp. 5. q. 6. punct. 5. dub. 3. Ludouici Lopez par. 1. instruct. conſcien. cap. 134. Ludou. Mol. de iust tom. 1. tract. 2. diſp. 61. Sayri in claui regia lib. 9. cap. 12. n. 33. Toleti lib. 5. instruct. ſacerd. cap. 26. n. 7. Azorij 3. par. inst. moral. cap. 16. q. 3.* & probatur his rationibus.

Tum quia Hieronymus, qui legitimè, & bona fide præſcripſit vineam ſeruatis conditionibus requiſitis, acquiſiuit verum illius
8 dominium: nam præſcribere † iuxta Theologos, & Iuriſtas eſt idem, quòd acquirere dominium, & ius per poſſeſſionem continuatam tempore à lege præſcripto: ſic diffinitur, *ff. de vſucap. l. 3.* & in hoc ſenſu ſumitur à Pontificibus in ſuis decretis, ab Alex. III. *cap. vigilanti, de præſcr.* Bonif. VIII. *Reg. poſſeſſ. malæ fidei, de reg. iur. lib. 6.* Innoc. III. vna cum Conc. Lateran. *cap. fin. de præſcript.*

& præter

& præter hos à Gelaſio,& Concil.Tolet.9.in multis cap.16.q.3. quibus in locis Pontifices non tantum loquuntur de foro exteriori, ſed etiam conſcientiæ: quia interrogati, an poſſeſſor malæ fidei ſit tutus in conſcientia? reſpondent negatiuè, ſimulque aſſerunt illum, qui bona fide poſſidet, iuſtè præſcribere. Si ergo per præſcriptionem Hieronymus acquiſiuit illius vineæ dominium, tuta conſcientia illam tamquam propriam poſsidet, eſtque à vinculo reſtitutionis liber, etiamſi deinde intelligat eam fuiſſe alterius: quia ex quo completa eſt præſcriptio, res facta eſt ſua per præſcriptionem, & non eſt amplius aliena.

9 Tum quia nemo obligatur † reſtituere, quod iuſtè poſſidet: ſed in caſu Hieronymus poſt lapſum tempus præſcriptionis, iuſtè vineam illam poſſidet, quia iure poſſidet tam canonico, quam ciuili; ſi iure, iuſtè; ſi iuſtè, benè, ex D.P.Aug. *Epiſtola ad Macedonium* 54. & habetur, 14.q.4. *cap. quid dicam?* ergo non tenetur eam reſtituere, quamuis poſtea reſciuerit illam fuiſſe alienam.

Tum quia leges humanæ non ſolum poſſunt iuſtè impedire
10 † tranſlationem dominij in alios, etiam inuitis dominis, vt contingit in pupillis, quando expedit ad bonum commune; ſed etiam priuare ciues dominio ſuarum rerum propter idem commune bonum, & Reipub. vtilitatem, & transferre illud in alios, etiam reclamantibus proprijs dominis, vt communiter dicunt Doctores. Et ratio eſt, quia cum omnes ciues in Repub. ſint membra vnius corporis, vt inquit *D. Paulus ad Rom.* 14. *omnes tenentur ſuo corpori ſuccurrere*. Conducit autem quam maximè ad bonum commune, ne incerta ſint rerum dominia, ne lites ſint interminabiles, & ne Reipub. pax, & tranquillitas perturbetur, ob quæ lata eſt præſciptionis lex: vnde Caius Iuriſconſultus *l. 1. ff. de vſucapionibus* inquit, Bono publico introducta eſt vſucapio, ne aliquarum rerum diu, & ferè ſemper incerta eſſent dominia, cum ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium. Ergo leges de præſcriptione transferunt dominium non ſolum in foro exteriori, ſed etiam in foro conſcientiæ, cum in vtroque foro poſſint illud transferre; & per conſequens Hieronymus tuta conſcientia vineam nunc poſſidet tanquam propriam.

Quod leges præſcriptionis in vtroque foro dominium transferant, confirmatur. Quia leges Pontificiæ approbantes leges præſcriptionis bona fide transferentes dominium, abſolutè loquuntur, ac proinde in vtroque foro procedunt, vt colligitur ex *cap. Vigilanti, & cap. fin. de præſcriptionibus*: quo in loco cum ſummus Pontifex præſcriptionem malæ fidei ſolum irritet, à contrario ſenſu illam approbat, & confirmat, quæ bona fide fulcitur.

Neque obſtat huic noſtræ reſolutioni, quòd fundamentum præſcriptionis eſt bona fides; ceſſante itaque bona fide corruit præſcriptio: ceſſat autem quando quis cognoſcit rem fuiſſe alienam: ergo tunc reſtituere tenetur.

11 Quia reſpondetur fundamentum præſcriptionis † eſſe bonam fidem, quæ habetur durante toto tempore præſcriptionis, antequam dominium acquiratur. Notitia verò, quod res alterius erat, ſuperueniens poſt completam præſcriptionem, & dominium acquiſitum vigore, & virtute legis præſcriptionis, non tollit priorem bonam fidem, nec dominium rei iam comparatum: quia ex quo completa eſt præſcriptio, res facta eſt Hieronymi per præſcriptionem, & non eſt amplius aliena.

Neque obſtat ſecundo, quod non debet quis cùm aliena iniuria, vel iactura, & detrimento locupletari, *Reg. locuplet. de regulis iuris, lib. 6.* ſed in caſu præſenti Hieronymus præſcribens, ſi cognoſcens vineam fuiſſe alienam, non reſtituat, locupletior fit cum alterius iniuria, & damno: non eſt igitur tutus in foro animæ, ſed reſtituere tenetur.

Quoniam reſpondemus priorem dominum iniuria non affici; quia iuſta lege dominium rei ſuæ amittit, vt communi bono conſulatur. Et ad id quod tangitur de damno, dicimus regulam illam
12 intelligendam eſſe † de eo, qui locupletari velit cum damno alterius, ex priuata ſolum auctoritate; ſecus autem ex iuſta cauſa, & auctoritate publica legis, quæ id iuſtè ſtatuit propter bonum commune, vt diximus.

Neque obſtat tertio denique, quòd in *cap. vigilanti, de præſcr. Alex.* III. ait, Epheſinum legiſlatorem propter euitandam ſegnitiem inſtituiſſe præſcriptionem. vbi ergo non erit ſegnities, & ne-

gligentia

gligentia mortalis in domino rei, non habebit vim præſcriptio in foro animæ: quia ceſſante fine legis, debet quoque ceſſare ipſius vis, ſaltem in foro animæ.

13 Nan reſpondetur primo, legem præſcriptionis † eſſe latam ob commune bonum: ſed nihilominus inde fieri, vt domini ſint diligentiores in rebus ſuis inquirendis, & recuperandis. & hoc eſt, quod ſignificat eo loco Pontifex. Quare negatur conſequentia: neque enim lex iſta præſcriptionis eſt per ſe pœnalis, ſed verè conceſſiua.

Reſponderi etiam poteſt ſecundo, quod cum Epheſinus legiſlator, qui primus legem præſcriptionis tulit, duas aſſignaret cauſas motiuas, aliam ad puniendam negligentiam domini; aliam vero ad tollendum errorem, & confuſionem dominiorum: Alex.III.in illo *cap. vigil.* eum corrigit, tollens primam cauſam, & reddens ſolum ſecundam. Quare falſa eſt opinio Adriani (quod pace ſua dixerim) exiſtimantis præcipuum præſcriptionis finem eſſe punire negligentiam domini, & illa ceſſante non poſſe præſcribi: ſiquidem Pontifices in omnibus decretis ſuis hos fines aſſignant,
14 † ad tollendas lites, & reddenda dominia rerum certa: nec curant de negligentia domini, qui finis eſt maximè remotus, & parum, vel nullo modo intentus à lege.

SVMMARIVM.

1 *Infirmo exiſtenti in articulo mortis, ſi aliquod peccatum confitetur in particulari vel voce, vel nutu, conferri poſſe abſolutionem, nulli dubium eſt.*

2 *At ſi eidem infirmo in articulo mortis conſtituto, cun nullum in particulari confeſſus fuerit peccatum, ſed tantum in genere, abſolutionemque petierit, licitum ſit abſolutionem ſacramentalem concedere, ſententia negans eſt Soti, & nonnullorum aliorum: ſed probabilior eſt affirmans n.4.*

3 *Abſolutio eſt actus prudentiæ, qui verſatur circa materiam in particulari. Quæ verò ſit iſta materia in caſu propoſito, explicatur n.12.& 13.*

5 *Subito*

5 *Subito obmuteſcens pænitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præterita teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu. Ex Conc. Arauſic. & idem habetur in 3. & 4. Conc. Carthag. n.6. & 7.*

8 *Nomine pænitentiæ non ſolet ſignificari abſolutio à cenſura, contra Sotum, vel alia cærimonialis, ſed Sacramentum pænitentiæ.*

9 *Teſtimonium teſtium valet pro confeſſione infirmi nihil potentis ſignificare, vt ſacramentaliter abſoluatur, cum confeſſio per interpretem ſit ſatis.*

10 *Quid ſit reconciliatio illa per manus impoſitionem, de qua in Conç. Arauſicano cap.3.*

11 *Qui confitetur in extremis ſe aliquid mortale, cuius non poteſt recordari, commiſiſſe, nec venialis in particulari recordatur, abſolui debet.*

14 *Confeſſio in particulari præcipitur in Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & eodem præcepto præcipitur omnium peccatorum. Vnde ſicut neceſſitate vrgente concedimus poſſe ſufficere vnius tantum peccati confeſſionem, vt cætera quoque tollantur; ita eadem neceſſitate vrgente ſufficiet confeſſio in communi, quando aliud fieri non poteſt.*

15 *Abſolutio ſacramentalis immediate verſatur circa materiam proximam, quæ eſt pænitens, ſeu particularis confeſſio, non peccatorum in particulari, ſed peccatorum in genere, quæ eſt actu ſingularis à pænitente procedens.*

16 *Negare non debet confeſſarius abſolutionem pænitenti in caſu dubij, etiamſi ipſe priorum ſequatur ſententiam.*

CASVS XXXIX.

IACOBVS in articulo mortis conſtitutus, quando iam loqui non poteſt, & vix aliquid ſentire; & in eo ſtatu eſt, vt non poſſit ſpeciale aliquod peccatum explicare, neque confeſſor per interrogationes, vel ſigna valet ab eo aliud

intelli-

Digitized by Google

intelligere, quàm peccaſſe, & deſiderare abſolui. *Quæritur, an id ſufficiat, vt abſoluendus ſit.*

Non eſt hic dubium, an cum infirmus ſolum aliqua confitetur
1 peccata † & mente conturbatus, aut in phreneſim verſus non poteſt omnia, ſit abſoluendus: quia quodcumque peccatum infirmus in illo articulo vel voce, vel nutu in particulari explicet, quantumcumque veniale, ſi vltra progredi non valet, eſt ſacramentaliter abſoluendus. Et ratio eſt; quia illa confeſſio poſtquam eſt expreſſio peccati in particulari, de quo ſacerdos iudicare poteſt, eſt vera confeſſio, neque vitium habet dimidiationis: nam ſi aliqua eſt legitima cauſa diuidendæ confeſſionis, nulla poteſt eſſe magis legitima, quam impoſſibilitas, quæ à natura procedit.

Nec ſatis eſt reſpondere, quòd tunc contritio illi ſufficiet quoad Deum: Nam euenire poſſet, quod ille eſſet tantum attritus, qui per ſacramentum fieret contritus; & cum ius ille habeat ad abſolutionem, iniurioſum ſacrilegium eſſet eam illi denegare, eo præſertim articulo, quo in re dubia in eam partem inclinandum eſt, vt Eccleſiaſticis ſubſidijs ab hac vita exeuntibus ſuccurratur.

Neque quæſtio eſt, quando infirmus nullum prorſus ſignum doloris dedit, nec confeſſionem petiuit; ſic enim nulla videtur confeſſio, cui poſſit accedere abſolutio: nec in hoc caſu aliquis dixit ægrotum abſolui poſſe.

Sed quærimus, an quando ægrotus nullum poteſt præbere ſignum peccati in particulari, ſed ſigna tantum in genere, quo ſe confiteatur peccatorem eſſe, & confeſſionis ſacramentum petat, ſeu abſolutionem ſacramentalem, licitum ſit ei abſolutionem concedere. Quæ quæſtio grauis eſt, & maximè inter Doctores controuerſa.

Et pro parte negante, quam amplectuntur, & tutari conantur
2 † *Sotus 4. ſent. diſt. 18. q. 2. ar. 5. Nau. in Man. cap. 26. n. 27. Abul. ſup. Matth. cap. 16. q. 79. Canus 5. par. relectionum de pænitentia, Lopez par. 1. Inſt. conſcient. cap. 18. Io Bapt. Conrad. 1. par. reſponſ. ad caſus, q. 10. & Ioſeph Angles 1. par. florum q. Theolog. in 4. ar. 2. difficul. 6.*

3 Facit

Facit primo, quia abſolutio cum ſit actus iudicialis, eſt actus
3 † prudentiæ: debet ergo verſari circa materiam in particulari; quia prudentia circa hanc verſatur. Cum itaque in caſu non detur cognitio alicuius rei in particulari, non habet locum iudicium prudentiæ: ergo nec abſolutio.

Secundo facit, quia vbi non eſt confeſſio, neque abſolutio eſſe poteſt: cum ad abſolutionem confeſſio ſit neceſſaria. illa autem, quam facit Iacobus, non eſt confeſſio: nam per illam nulla notitia datur confeſſori, quam antea non haberet: omnes enim ſcimus eſſe peccatores, & commune eſt & ſanctis hominibus, & peccatoribus dicere, ego ſum peccator. Quare ex illo verbo, ego ſum peccator, vel peccaui, non ſumitur iudicium, vt ille habeat aliqua peccata, quæ per abſolutionem remitti debeant.

Vnde *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Ex eo, quod confeſſor non poteſt ferre iudicium cauſa ſibi incognita, colligit confeſſionem in genere non ſufficere, ſed eſſe neceſſariam in ſpecie, & in particulari. ſupponit ergo Conciliũ per generalẽ confeſſionẽ nullã notitiam dari confeſſori, & conſequenter non eſſe verã confeſsionem: quia illa tantum vera eſt confeſsio, quæ confert notitiã confeſſori.

Tertio facit, quia per illam nihil proponitur, quod directè poſsit remitti per abſolutionem. ergo non eſt illa materia capax talis formæ. Conſequentia patet; quia ſi abſolutio nihil remittit directè, neque etiam indirectè id faciet; quia hoc ſupponit illud, ſicut id, quod eſt per accidens, ſupponit aliquid per ſe. ergo nihil omnino remittit, quia non eſt alius modus remiſsionis. Antecedens verò patet: quia actiones ſunt circa ſingularia, & particularia: ibi autem nulla materia particularis proponitur.

Deinde, quia vel remittuntur directè omnia peccata in ſpecie, vel ſolum aliqua, vel remittitur ſolum directe peccatum vt ſic. Primum dici non poteſt: quia de illis vt ſic non fit confeſsio, & illud tantum directè remittitur, quod ſubicitur clauibus per confeſsionem: cuius etiam argumentum eſt, quia manet obligatio iterum confitendi illa, vt directè remittuntur. Nec ſecundum dici poteſt, quia non eſt maior ratio de vno, quam de alio: tertiũ verò non eſt veriſimile; quia peccatũ in communi non eſt remiſsibile.

His

His tamen non obſtantibus reſpondemus ad caſum affirmatiuè, videlicet, licitum eſſe † abſolutionem ſacramentalem concedere Iacobo in articulo mortis conſtituto, qui nullum in particulari confeſſus eſt peccatum, ſed tantum in genere, abſolutionemque petijt.

4

Ita ſentiunt *D.Anton.3.par.ſumma tit.10.cap.2. Angelus ver. confeſſio 4.n.8.Io.Med.C.de confeſſione,q.39. circa finem,Cordub. q.30.de indulgentijs, dub.3.opinione 2.Toletus in Inſtr.ſacerd.lib. 2.cap.8.n.2.Franciſ.Suarez tom.4.in 3.par. D.Thom. diſput.23. ſect.1. Gabriel Vazquez ibidem tom.4.q.91.ar.2. dub.1. Sacerdotale Romanum,par.1.tract.3.de ſacram. pænit.cap.vlt. et Rituale Rom.Pauli V.Pont.Max. iuſſu editum*. & probatur hæc ſententia ex antiquis decretis Conciliorum, & ſummorum Pontificum.

Primo, ex *Conc.Arauſic.1. cap.12.* & habetur *26.q.6.cap. qui*
5 *recedunt*, vbi ſic dicitur, *Subito obmuteſcens, † prout ſtatutum eſt, pænitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu*. hoc eſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium reddant aſtantes fide dignum, aut ſi ipſe nutu explicet præſentem ſuam voluntatem.

Secundo, ex *Conc.Carthag. 4.cap.76.* in quo hoc ſtatutum primo fuerat, & refertur *eadem cauſa, & q.cap. Is qui*, vbi ſic dicitur:
6 *Is qui pænitentiam in infirmitate petit, † ſi caſu dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phræneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pænitentiam. Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur Euchariſtia ori eius.*

Tertio probatur ex *Conc.Cart.3.cap.34.* & refertur, *cap. Aegrotantes de conſecr. diſt.4.* vbi habetur idem, cum dicitur, *Aegro-*
7 *tantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, † cũ volũtatis eorũ teſtimoniũ ſui dixerint, baptizentur; ſimiliter & de pænitentibus agendum eſt.*

Quarto ex *cap.his qui in tempore, 26.q.6.* & ex Leonis I. epiſtola 89. aut ſecundum alios Codices 91. ad Theodorum, qui diſtinctè declarat, licet huiuſmodi ægrotus nullum ſignum exhibere poſſit in præſentia ſacerdotis, ſi aliorum teſtimonium habeat, non eſſe illi pænitentiam denegandam.

Ad hæc

Ad hæc verò decreta reſpondet *Sotus loc. cit.* Non eſſe in illis ſermonem de abſolutione ſacramentali, ſed de abſolutione ab eccleſiaſtica cenſura, nempe ab excommunicatione, de qua illud intelligi ſentit Gloſſa, quatenus affirmat ſermonem eſſe de abſolutione, cuius forma traditur in *cap. a nobis 2. extra de ſententia excomm.* vbi ſermo eſt de abſolutione ab excommunicatione; & eodem modo reſpondet *Nau. l. c.*

Sed huic reſponſioni manifeſtè obſtant decreta citata, ſi attentè inſpiciantur: quia in illo decreto Carthag. Concilij dicitur; *Is qui pænitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pænitentiam.* Quid obſecro eſt petere pænitentiam in extremis? numquid petere tantum abſolutionem ab excommunicatione, an vero petere Sacramentum pænitentiæ? quis hoc dubitet? Vbi enim abſolutio ab excommunicatione dicitur pæ-
8 nitentia? Cum itaque nomine † pænitentiæ non ſoleat ſignificari abſolutio à cenſura, vel alia cæremonialis, ſequitur, vt intelligatur verum Sacramentum.

Sed refellere nititur Sotus hanc explicationē hoc argumento: quia in illis decretis dicitur, vt ſatis ſit teſtimonium habere ab aſtantibus de illius infirmi voluntate, etiam ſi præſenti ſacerdoti non poſsit illam oſtendere nutu. Quis autem dicere audeat teſtimonium teſtium valere pro confeſsione infirmi nihil potentis ſignificare, vt ſacramentaliter abſoluatur? confeſsio enim cum ſit actio perſonalis, debet immediatè ab ipſo pænitente ſacerdoti fieri: quare quicquid in eius abſentia infirmus dixerit, vel fecerit, nullam imaginem confeſsionis habere potuit.

Verum hæc inſtantia ita diluitur. Accipit enim *Sotus* tamquam notum, & indubitatum, cuius oppoſitum eſt certius: quia apertè
9 hoc ſufficere docent ipſa decreta, vt pænitens abſoluatur; † cum confeſsio per interpretem ſit ſatis. Quare negatur, quod in tali neceſsitate teſtimonium aſtantium non ſit confeſsio: quia ſi illi qui aſtant referrent peccata in particulari, non apparet, quæ poſſit eſſe difficultas, quin ſit vera confeſsio; nam illi tunc ſe haberent

rent

rent ſicut interpretes, per quos optimè fieri poteſt confeſſio: cur in caſu non ſufficiet hæc confeſsio, vt licitè & validè detur abſolutio? Etenim licet neceſſarium ſit per ſe loquendo, vt ſacerdos in præſentia pænitentis audiat confeſsionem eius immediatè ab ipſo, ſi fieri poteſt: non tamen hoc eſt ita eſſentiale Sacramento, quin in eo caſu poſsit ſacerdos eſſe contentus, aliorum relatione ad abſoluendum illum. nec propterea conceditur confeſsionem fieri abſenti, ſed præſenti per interpretem. ita docet *Vazquez loc.cit.* & *Suarez diſput.* 21. *ſect.*4.

Deinde obſtat ſolutioni *Soti*. Tum quia in *Conc. Arauſic. cap.* 3. expreſsè diſtinguitur pænitentia à reconciliatoria manus impoſitione: & hæc poſterior fortaſſe erat abſolutio à cenſura, vel alia Eccleſiaſtica cæremonia.

Tum quia Concilium Arauſicanum ſupponit pænitentiam illam dari ante reconciliatoriam manus impoſitionem: conſtat autem abſolutionem ſacramentalem non poſſe dari ante abſolutionem à cenſura.

Sed quæret aliquis, ſi illa reconciliatio per manus impoſitionem non eſt pænitentia Sacramētum, neque abſolutio à cenſura: 10 quia hęc debet pręponi abſolutioni Sacramētali: quid ergo erit?

Reſpondeo cum *Vazquez loc. cit.* Non eſſe verè abſolutionem ab excommunicatione, quæ animam ligat, & ſeparat interius à conſortio fidelium, & orationibus, & inhabilem reddit à Sacramentorum ſuſceptione: huius enim abſolutio præmittenda erat abſolutioni à peccatis, & Euchariſtiæ. Sed quia illi propter peccata præterita publicè extra Eccleſiam fiebant exterius tantum, non vero excommunicatione attingente animam, ideo & exterius ſolemniter reconciliabantur: vnde non erat neceſſarium hanc reconciliationem præmittere ante abſolutionem à peccatis, imò poterat relinqui facienda poſtea, ſi ægrotus ſuperuixiſſet, in atrio Eccleſiæ more ſolito. quod videtur voluiſſe *Conc. Arauſic.* & hoc exiſtimat *Vazquez* probabilius: in quam opinionem inclinat & *Suarez*. Aut ſi re vera illi erant excõmunicati excõmunicatione, quæ interius animã ligaret, & à Sacramentorũ participatione remoueret: Dicendũ eſt, ab ea excommunicatione prius eos abſolui

priuata

priuata abſolutione, vt abſoluerentur à peccatis: poſtea verò ſolemniori manus impoſitione, vt dictum eſt.

Demum obſtat ſolutioni *Soti:* quia dicti Patres & Pontifices non loquuntur ſpecialiter de excommunicatis, neque de ijs ſolis, qui publicam pænitentiam agebant, ſed abſolutè, & ſimpliciter de fidelibus, & peccatoribus. ergo de penitentia loquuntur, qua omnes indigent, quæ eſt ſacramentalis.

Et confirmatur, Ex *Rituali Romano Pauli V. iuſſu edito, & Romæ impreſſo* 1615. vbi dicitur de infirmo in periculo mortis conſtituto: Quod *ſi inter confitendum vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægri deficiat, nutibus & ſignis conetur* (ſcilicet ſacerdos) *quoad eius fieri poteſt, peccata pænitentis cognoſcere: quibus vtcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiamſi confitendi deſiderium ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* Quid aliud dici poteſt reſolutioni noſtræ, & decretis allatis magis conſentaneum?

Demum hæc ſententia probatur ratione: quia ſi aliquis in
11 extremis confiteretur ita † ſe commiſiſſe aliquod mortale, cuius non poſſet recordari, nec venialis recordaretur in particulari, non videtur illi deneganda abſolutio; & tamen hæc eſſet confeſſio in communi. cur ergo periclitanti in genere confitenti, vel ſigna illa vniuerſalia præbenti non dabitur abſolutio?

Et confirmatur ex dictis *Nau.* contrarium ſentientis, qui in *Man. cap.* 10. *n.* 7. fatetur teneri pænitentem, qui nouit ſe commiſiſſe mortale, ſed non recordatur in ſpeciali, quale illud fuerit, dicere, peccaui mortaliter, neſcio tamen in quo genere peccati. ergo hæc de ſe eſt ſufficiens materia: alias ad eam non teneretur aliquis, ſi illa per ſe non ſubderetur abſolutioni, & iudicio ſacerdotis.

Neque argumenta à principio allata hanc noſtram ſententiam infringunt. Nam ad primum reſpondetur, quod quamuis abſo-
12 lutio ſit actus prudentiæ, † non inde ſequitur debere habere materiam peccatorum in particulari: ſic enim probaretur nec inſtitui potuiſſe, vt cum ſignis tantum vniuerſalibus quis poſſet abſolui: quoniam tunc ſimiliter deberet abſolutio eſſe actus prudentiæ,

& iudicij,

& iudicij, & tamen non cognoſceret ſacerdos peccata in particu-
13 lari: Materia † ergo, circa quam ſacerdos dum abſoluit, fert ſententiam prudentiæ in particulari, eſt pænitens, quem in tali diſpoſitione iudicat abſoluendum. Sicut etiam ſacerdos abſoluere poteſt aliquem, qui tantum confeſſus eſſet peccata venialia in genere, vt verba ocioſa, mendacia, &c. & nullum in particulari, & diceretur exercere actum prudentiæ.

Ad ſecundum negatur Minor, quod illa non ſit vera confeſſio: cum ſit vera accuſatio in hoc foro Sacramentali: & ideo poteſt eſſe ſufficiens materia, vt perficiatur iudicium, quando accuſatio magis integra haberi non poteſt. Et negatur quod per illam confeſſionem nulla notitia detur confeſſori, quam antea non haberet: præbet enim confeſſio illa confeſſori aliqualem notitiam ſacramentalem, imperfectam quidem, quæ quaſi nulla æſtimaretur, ſi maior voluntariè omitteretur (prius enim non ſciebat confeſſor infirmum peccaſſe in hoc foro, & poſtea ſcit), tamen ſuppoſita neceſſitate illa notitia eſt ſufficiens.

Et ad locum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Concilij Tridentini, vbi traditur, quod debet eſſe confeſſio in particulari omnium peccatorum: Reſpondetur, quod ſicut ibi præcipitur confeſſio in particulari,
14 † eodem præcepto præcipitur omnium peccatorum: & ſicut neceſſitate vrgenti concedimus poſſe ſufficere confeſſionem vnius tantum peccati, vt cætera conſequenter tollantur, quare etiam non ſufficiet confeſsio in cõmuni, quando aliud fieri non poteſt?

Ad tertium reſpondetur, in eo caſu directè remitti offenſionem diuinam, vt ſatis eſt: & ideo ſingula peccata mortalia ſecundum proprias ſpecies adhuc relinqui obnoxia clauibus: quia ſecundum proprias rationes non fuerunt illis ſubiecta. Neque enim refert, quod materia remota ſit vniuerſalis: quia abſolutio im-
15 mediatè † verſatur circa materiam proximam, quæ eſt pænitens, ſeu particularis confeſsio: particularis inquam confeſsio, non peccatorum in particulari, quia illa confeſsio in genere actus eſt ſingularis à pænitente procedens, & effectus eius etiam verſatur circa hanc particularem perſonam; & ita tota hæc actio circa particularia verſatur.

Vltimo non erit inutile admonere confeſſarium, non ſolum eum poſſe, ſed etiam debere † abſolutionem ſacramentalem in tali tempore his pænitentibus concedere, etiamſi ipſe oppoſitam ſententiam ſequeretur: quia abſoluendo in dicto caſu nulli periculo conſcientiæ ſe exponit, cum operetur ex ſententia valde probabili, & meo, ac plurimorum iudicio magis quam oppoſita: nec etiam propter eandem rationem eſt periculum iniuriæ Sacramenti; & alioqui non abſoluendo exponit proximum periculo æternæ damnationis, qui fortaſsè abſolutus ſaluabitur. quare hoc præſidio non debet priuare ægrotum. Sicut quamuis aliquis haberet oppoſitam opinionem contra pænitentem, ne ipſum abſolueret, & illi faueret oppoſita cum qua abſolui poſſet, illicitum eſſet ei negare abſolutionem propter propriam opinionem.

16

Hæc dicta ſint ſalua ſemper, &c.

SVMMARIVM.

1 *Accuſator non quodcumque crimen poteſt in iudicium adducere, ſed tantum quod poteſt probari.*

2 *Probatio duplex, plena, & ſemiplena: & quæ vtraque.*

3 *Iudex non poteſt contra aliquem procedere ex ſolo accuſatoris dicto, ſed requiritur ſemiplena probatio, vel expreſſa indicia.*

4 *Accuſatus de vero crimine, quod probari non poteſt, non tenetur manifeſtare veritatem.*

5 *Iudex tribus concurrentibus iuridicè interrogat reum, & reus tenetur reſpondere veritatem.*

6 *Iudici iuſtè interroganti mentiri in re graui, peccatum mortale eſt, contra iuſtitiam, & charitatem.*

7 *Mendacium nulla prorſus de cauſa licitum eſt.*

8 *Caietani, & Soti opinio de negante crimen occultum, de quo accuſatus eſt apud Iudicem.*

9 *Qui infert graue damnum proximo, peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur. Limitatur hæc propoſitio num. 20. ſi infert directè, & ex intentione; ſecus ſi indirectè, & per accidens.*

10 *Reus*

10 *Reus contra iuris ordinem de vero crimine occulto accuſatus, reſpondendo ſimpliciter ſe crimen obiectum non commiſiſſe, non mentitur, nec peccat, nec tenetur ad reſtitutionem aliquam faciendam accuſatori, & n. 13. & 14. & 16.*

11 *Reus, cum negat crimen, de quo iniuſtè accuſatur, negat eo ſenſu, quo à Iudice interrogari poteſt.*

12 *Iudex non poteſt interrogare de crimine, quod ad ſuum iudicium non pertinet, cuiuſmodi ſunt omnia crimina, quæ probari in iudicio nequeunt.*

15 *Iure intelligitur reſponſio fieri, vt iure debet fieri interrogatio.*

17 *Qui occidit hominem inuaſorem ob defenſionem propriæ vitæ, nec peccat, nec ad reſtitutionem aliquam tenetur.*

18 *Cum quis contra ius à Iudice interrogatur, licitum eſt ei vti verbis dubijs, & amphibologicis.*

19 *Non eſt par ratio de interrogatione facta extra iudicium, & in iudicio: quia interrogans in iudicio non ſeruato iuris ordine infert vim, ſed extra loquitur homo liberè.*

21 *Non redditur malum pro malo, quando ex defenſione propriæ famæ iniuſtè ablatæ ſequitur eius, qui abſtulit infamia indirectè, & per accidens.*

CASVS XL.

LAVRENTIVS accuſatus apud Iudicem de quodam crimine à Fabritio, verè quidem, ſed iniuſtè, quia non ſunt teſtes ſufficientes ad eius probationem, negat crimen obiectum, ex quo indirectè accuſatoris fama læditur. *Quæritur, an peccet mortaliter Laurentius, & aliquam reſtitutionem facere teneatur.*

In hoc caſu, in quo duo petuntur: Primum, an Laurentius de occulto crimine iniuſtè accuſatus peccet, peccato ſcilicet mendacij, aut periurij, ipſum in iudicio negando: Secundum, an ſi ex

tali negatione lædatur accuſatoris fama, cum inde ſequatur indirectè illum fuiſſe mentitum, teneatur Laurentius ei famam reſtituere; quoniam explicatu eſt difficilis ob varios dicendi modos Doctorum, non erit inutile antequam ad eius reſolutionem veniamus, prius certa ab incertis ſeparare.

1 Certum itaque eſt, Non † quæcumque crimina poſſe in iudicium humanum ab accuſatore adduci, ſed illa tantum, quæ probari ab eo poſſunt, qui ſi non probet, pænas dare debet, vt patet ex iure canonico *cap. 1. & 2. de calumniat.* Probatio autem, quam

2 accuſator adhibere poteſt, duplex eſt; † altera plena ex duobus teſtibus, quæ eſt ſufficiens ad conuincendum reum, iuxta illud, *In ore duorum*, &c. altera ſemiplena, quæ non eſt ita idonea ad rem demonſtrandam, vt eſt auctoritas vnius teſtis omni exceptione maioris. Dicitur autem tunc teſtis omni exceptione maior, quando nullas habet qualitates, vel conditiones, quæ ſecundum ius reddunt teſtem inhabilem, v.g. non eſt infamis, non eſt ſuſpectus, non eſt inimicus, vel cognatus delinquentis.

3 Certum eſt etiam iudicem non poſſe † contra aliquem iuridicè procedere ex ſolo accuſatoris dicto, ſed requiri, ac ſufficere ſemiplenam probationem, vel expreſſa indicia: quia occultorum ſolus Deus eſt Iudex, iuxta illud Apoſtoli *1. ad Corinth. cap. 4. Nolite ante tempus iudicare, quouſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum:* Quaſi dicat, occulta, & abſcondita diuino tantum ſubſunt iudicio, non humano. quod varijs in locis docent ſummi Pontifices. *Can. Deus omnipotens 2. q. 1. Can. ſi omnia, 6. q. 1. Can. Erubeſcant, diſt. 32.* vbi habetur, *Secretorum ſolus Deus eſt cognitor. cap. qualiter, & quando, de accuſationibus*, & *cap. licet Heli, de ſimonia*. Crimen autem, cuius nulla eſt infamia, nulla manifeſta indicia, nec ſemiplena probatio, in iudicio occultum eſt.

4 Propterea conſtat eum, qui veri criminis, † quod probari non poteſt, reus agitur, non eſſe obligatum ad veritatem manifeſtandam, cum eius crimen ad iudicium humanum non pertineat; ſed poſſe vel nihil reſpondere, vel ambiguis verbis vti. Quando

5 autem † crimen ſemiprobatum eſt, & probatio iam poſita in proceſſu,

ceſſu, & reo notificata, certiſsimum eſt, quicquid vulgus ignarus exiſtimet, eſſe obligatum ad veritatem dicendam, & adeo obligatum, vt à confeſſario non ſit abſoluendus, niſi proponat illam fateri, etiam ſi ſit crimen morte plectendum, ſecundum *S. Thom. 22.q.69.ar.1.& Salonem ibidem ar.2.controu.10.conc.1. Nau.in Man.cap.25.n.35.Gabr.4.ſent.diſt.15.q.6.ar.2.& Carb.de reſt. q.19.* & communem omnium Doctorum. Et ratio eſt, quia in re
6 graui, qualis hæc eſt, mentiri Iudici † iuſtè interroganti eſt peccatum mortale intrinſecè, & ex ſuo genere: eſt enim contra iuſtitiam, & charitatem, vt docet optimè *D.Thom.loc.cit.ad 2.& 3.* quoniam tunc Iudex habet ius ad inquirendum, reus verò nullum habet ius ad occultandum. igitur ſic negans infert grauem iniuriam Iudici: & contra charitatem, quia imponit ſua negatione accuſatori, & teſtibus calumniam.

7 Ac demum euidens eſt, & perſpicuum, Mendacium † nulla prorſus de cauſa licitum eſſe. quod compertiſsimum habet *D.P. Aug.lib. de mend.* Fuerat enim fortè antiquitus Philoſophorum opinio, licitum eſſe mentiri pro vita amici ſeruanda, aut pro aliquo id genus grauiſsimo malo vitando: quod mendacium miſericors appellabant. cuius meminit *Plato lib.3.de Repub.& 2.de legibus & Cic. in orat.pro Q. Ligario*. Et aduerſus hunc errorem compoſuit *D.P.Aug.* duos illos libros, de mendacio, & contra mendacium, vbi ait; Nec pro vita hominis, nec quod multo maius eſt, ad euitandum quodcumque aliud peccatum, quantumcumque grauiſsimum, licere vnquam mentiri: cui ſententiæ Theologi vniuerſi in *3.ſent.diſt.32.* vno conſenſu ſubſcribunt. Ratio D. Aug. & Doctorum eſt; quia abſolutè præceptum eſt in Decalogo, *Non falſum dices*, & in *Pſalm. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, vbi in vniuerſum nulla cauſa excepta, prohibetur omne genus mendacij.

His prænotatis, & ſuppoſitis tamquam certis, ad vtrumque
8 quæſitum affirmatiuè reſpondet † *Caiet.22.q.62. ar.2.& in ſumma verbo, reſtitutio cap.vlt.caſu* 1. nempe Laurentium peccare mortaliter negando crimen obiectum commiſiſſe, vnde accuſatoris oriatur infamia; tenerique accuſatori de infamia, quem

calumniatorem indirectè facere videtur.

Sotus verò *lib. de tegendo ſecreto, mem.* 3. *q.* 3. *conc.* 6. *& lib.* 4. *de iuſt. & iure, q.* 6. *ar.* 3. *ad* 4. negat reum in caſu ad aliquam reſtitutionem teneri: aſſerit verò eum peccare peccato mendacij. quod tamen inquit, non eſt pernicioſum, ſed officioſum; atque adeo ſi fiat ſine iuramento, numquam eſt mortale, ſed ſolum veniale. quæ eſt etiam opinio *Ricardi* 4. *ſent. diſt.* 15. *ar.* 5. *q.* 3. *& Aragonis* 22. *q.* 69. *ar.* 2. *in fine*. Et quòd peccet peccato mendacij, probatur à *Soto, & Aragone*.

Tum quia, ſi aliqua ratione excuſari poſſet à mendacio reſponſio illa Laurentij, Non feci, non commiſi tale delictum, maximè excuſaretur; quia in illis verbis non feci, ſubintelligitur, vt dicam, vt manifeſtem: ſed verba illa ex communi modo loquendi, ſecundum quem verba, & voces ſignificant, non poſſunt facere hunc ſenſum: quoniam quamuis ſi Laurentius dicat, ſe nihil ſcire, non mentiatur: quia quæ ſcimus, aliquando ſcimus, vt dicamus alijs, aliquando vt non dicamus. poteſt igitur Laurentius verè dicere, nihil ſcio, nimirum vt dicam tibi: at non eſt licitum ei dicere, non feci iſtud crimen: quia quæ fiunt, non habent hunc ordinem, vt alia fiant ad hoc, vt dicantur; alia ne dicantur. Cum itaque opus ex ſe ordinem ad ſermonem non habeat, falſo aſſerit, non feci, qui verè fecit, vt Laurentius in caſu.

Tum quia, ſi quis interrogatus extra iudicium diceret de re quam fecit, non feci, mentiretur omnium iudicio; ergo mentitur ſimiliter ſic reſpondens in iudicio. Antecedens patet: quia omnium ſententia mentiuntur diuites, qui pauperibus petentibus mutuo aliquam pecuniam, reſpondent ſe non habere illam, etiamſi in animo concipiant hunc ſenſum, ſe non habere illam ad mutuandum. Conſequentia verò probatur: quia mendacium non mutatur ratione loci, ſed quod eſt mendacium in vno loco, v.g. extra iudicium, eſt etiam mendacium in iudicio.

Quòd verò non ſolum peccet peccato mendacij, ſed etiam contra iuſtitiam, & obnoxius ſit reſtitutioni, vt dicit Caietanus, adhuc probatur. Tum quia qui infert graue damnum proximo,
9 † peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur: lædit enim iuſtitiam

ſtitiam commutatiuam : atqui Laurentius in caſu graue damnum infert proximo, nempe accuſatori damnum famæ : quia ſi veritatem fateretur, Fabritius non haberetur pro calumniatore, nec incideret in pœnas, quas dare debet is, qui crimen, de quo accuſat, probare non poteſt. igitur lethaliter peccat, & reſtituere tenetur.

Tum quia, ſi aliqua ratione Laurentius accuſatus in caſu excuſaretur à reſtitutione famæ, & à peccato, ex eo eſſet, quia ipſe prius fuit iniuſtè diffamatus: ſed hæc ratio non eſt ſufficiens : nam non licet malum pro malo reddere, nec maleficium maleficio compenſare. ergo etiamſi Laurentius iniuſtè fuerit accuſatus,& diffamatus à Fabritio obijciente ſibi verum crimen,ſed occultum non propterea licet illi diffamare Fabritium, negando verum crimen; & conſequenter notando ipſum Fabritium de falſario, & criminatorẽ.

Et confirmatur, quia ſi iſte reus percuteret accuſatorem, ob eam cauſam,quòd ab ipſo accuſatus fuiſſet de occulto criminẽ, proculdubio non eſſet immunis peccati, & pro illato damno reſtituere deberet. ergo pari ratione, cum eum infamia notat, verum negando crimen͠.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitun͠
10 negatiuè, ſcilicet,Laurentium iniuſtè accuſatum † negando in͠ iudicio crimen obiectum neque peccare, neque ad aliquam reſtitutionem teneri,quamuis inde accuſatoris oriatur infamia.

Hæc eſt ſententia *Adriani in 4.q.vlt. de confeſſ. in ſolut. 2. argum. & quodlib. 1. ad 2. princ. Gabrielis Vazquez tom. 4. in 3. par. D.Thom. q. 93. ar. 4. dub. 12. Azorij 1. par. Inſtit. moral. lib. 11. cap. 4. n. 5. reg. 2. et 3. par. lib. 13. cap. 25. dub. 9. Martini Nau. in Man. cap. 12. n. 8. & 9. Mart. Led. 2. par. 4. q. 10. ar. 2. dub. 3. Pet. Nau. lib. 2. de reſt. cap. 4. n. 136. & n. 349. & 427. Io. Med. de conf. q. 45. tit. de confeſſ. celenda. Salonis 22. D.Thom. q. 69. ar. 1. conc. 2. & ar. 2. contr. 11. Greg. de Val. tom. 3. diſp. 5. q. 13. pun. 2. Sayri in claui regia lib. 11. cap. 5. n. 6. & 7. lib. 12. cap. 17. n. 19. & ſeqq. Ioſeph Angl. in flor. Theol. quæſtion. in 4. q. de reſt. famæ ar. 1. diffic. 1. dub. 1. conc. 1. Lud. Carb. de reſt. q. 19. conc. 5. & 8. & aliorum.*

Et probatur quoad vtrunque membrum: & primum,quod non peccet, antequam probemus, explicandum eſt in quo ſenſu accipienda eſt negatio, vt ſit vera: debet enim cum iſte negat cri-
11 men, † de quo iniuſtè àccuſatur, eo ſenſu negare, quo à Iudice interrogari poteſt, qui ex communi Doctorum ſententia, non
12 poteſt † interrogare de crimine, quod ad ſuum iudicium non pertinet, cuiuſmodi ſunt omnia crimina, quæ probari in iudicio nequeunt. Quando igitur reus negat ſe crimen feciſſe, id in animo habere debet, vt neget ſe commiſiſſe tale crimen, de quo Iudex interrogare debeat, & quod ad ſuum forum pertineat.

Hac poſita declaratione, allatæ reſolutionis primum membrum ſic oſtenditur. Si Laurentius peccat negando crimen obie-
13 ctum, maximè ratione mendacij peccat: at hic † nullum intercedit mendacium, quia negat crimen ſecundum rationem accuſationis, ſeu interrogationis, qua quis de publico, aut aliquo modo notoriò crimine reus agitur. Hoc autem modo negãdo crimen obiectum non mentitur: idem enim eſt dicere, Non feci hoc crimen, ac ſi diceret, non publice feci; quod verum eſt. & cum hæc reſponſio ſit vera, nullum erit peccatum etiamſi intercedat iuramentum. nam ſicut vera eſt hæc propoſitio integrè prolata, Non feci hoc crimen publicum, quod tibi ſolum tamquam perſonæ publicæ reuelare tenear; ita etiam vera eſt, parte ſubintellecta, quam ex circumſtantia perſonæ, & ex iuſta cauſa non expedit alteri exprimere.

Quod exemplo confirmatur; Nam ſi aliquis, qui iam confeſſus eſt in foro conſcientiæ homicidium, quod fecit, poſtea in alia confeſſione interrogetur à confeſſario, an commiſerit homicidium, verè reſpondet; non commiſi homicidium: quia ſubintelligitur ex circumſtantijs, quod nunc teneat tibi confiteri; aut quod modo pertineat ad forum tuum.

14. Præterea delictum, † de quo iure interrogare intelligitur Iudex, non eſt delictum, quale fecit Laurentius. ergo Laurentius negans illud, dicendo, non feci, non commiſi tale delictum, non mentitur. Conſequentia patet, & antecedens probatur: quia cum Iudex interroget reum, an tale crimen commiſerit, in tali interro-

interrogatione intelligitur tantum interrogare de eo ſecundum iuris ordinem, vt pertinet ad illius forum: quando autem res ita ſecreta eſt, vt nec teſtis, nec reus teneatur prodere, vt in caſu noſtro, non eſt res illa, quæ pertineat ad illius forum. ergo neque de illa eſt interrogatio; & ita reſponderi poteſt negatiuè per verba, Non feci, non commiſi, non occidi; quæ crimen ſignificant, de quo interrogatur, ſcilicet non feci crimen, quod pertineat ad forum tuum: & iure ipſo ſuppletur reſtrictio, vt ſit vera reſponſio. Illa ergo propoſitio, non feci, de ſe alias falſa, vera eſt in caſu; quia accipitur vt coniuncta tali interrogationi factæ à tali perſona.

15 Et confirmatur, quia iure intelligitur † reſponſio fieri, vt iure debet fieri interrogatio: interrogatio autem fieri iure debet de crimine non occulto, ſed publico, aut aliquo modo notorio; & ad hanc, quæ iure fieri deberèt, reſpondet Laurentius, non ad illam, quæ de facto fit, cum fiat contra ius: ergo non mentitur dicendo, non feci.

Nunc probatur ſecundum reſponſionis membrum, ſcilicet,
16 † quod non teneatur ad reſtitutionem aliquam. Quia ſi Laurentius teneretur reſtituere famam accuſatori, aut hoc eſſet; quia crimen fateri debet: & hoc non: quia reus in caſu non eſt obligatus ad crimen manifeſtandum. aut quia alia ratione ſe defendere poteſt abſque negatione delicti: & neque hoc dici poteſt. Quia cum omnis alia ratio ad ſe defendendum ſit inſufficiens, non eſt obligatus ad aliam rationem ineundam. Quod autem alij modi, quibus poſſet fortaſſe ſuæ famæ, & vitæ conſulere, ſint inſufficientes, probatur: quia ſi non reſpondeat, maiorem ſuſpicionem dabit: ſi dicat ſe non eſſe obligatum reſpondere ad propoſita, aut neſcio quid dicatis, aut nego propoſita, vt proponuntur, adhuc maiorem ſuſpicionem de perpetrato crimine excitabit. non poteſt igitur ad alias vias confugere. quare ſi negat, non facit contra iuſtitiam, & conſequenter ad reſtitutionem aliquam non tenetur.

17 Tum denique, quia qui occidit hominem inuaſorem † ob defenſionem propriæ vitæ, nec peccat, nec ad reſtitutionem aliquam tenetur, vt patet ex *l. ſcientiam*, §. *qui cum aliter ff. ad legem*

Aquiliam:

Aquiliam: ergo nec qui ob defenſionem propriæ famæ per accidens, & indirectè diffamat infamantem, ex paritate rationis: ſic enim conſulit famæ ſuæ.

Neque obſtant contra hanc noſtram reſolutionem argumẽta à principio allata: Nam ad primum conceditur, quod excuſatur reſponſio à mendacio, quia cum dicit, non feci hoc crimen, ſubintelligitur, publicum, quod tibi tamquam perſonæ publicæ reuelare teneat, & quod ad forum tuum pertineat, cum non poſſit probari. Et ad probationem in contrarium, dicendum, quòd licet verba illa ex communi modo loquendi non faciãt hunc ſenſum, faciunt tamen ſecundum intentionem proferentis, cui in
18 caſu, cum fiat iniuria, & contra ius interrogetur, † licitum eſt vti verbis dubijs, & ambiguè reſpondere, & ſic eludere interrogantem, veritatem occultando. Diſcrimen autem, quod affert Sotus inter has voces, ſcire & facere; neſcio, & non feci; vt ſcire dicat illum ordinem ad dicendum alijs, facere verò non dicat; ponitur abſque ratione, inquit Azorius; & Salon ait eſſe figmentum re optimè conſiderata.

19 Ad ſecundum reſpondetur, non eſſe parem rationem † de interrogatione facta extra iudiciũ, & in iudicio: quia extra iudicium (maximè ſi quis loquitur citra iniuriam) loquitur homo voluntariè, & liberè; nec ibi circumſtantia regulariter adeſſe ſolet, ratione cuius reſponſio talem ſenſum recipiat. atque adeo citra vllam amphibologiam ad mentem interrogantis, vel audientis loqui debet. Neque eſt licitum vti huiuſmodi vocibus ambiguis, & amphibologicis, non quòd eſſent tunc mendacia, ſed quod hominum ſocietas id expoſcat, vt vnuſquiſque ſincerè loquatur, & ne inuicem ſe fallant. At in caſu noſtro Iudex ſic interrogans infert vim: & reſponſio, cum ſit iuridica, commodè recipit ſenſum iuridicum; & ita vere affirmatur, non feci, ſcilicet delictum, quod à te poſſit iuridicè, & iuſtè inquiri.

Ad primum pro opinione *Caietani*, reſpondetur eum, qui in-
20 fert graue damnum proximo † directè, & ex intentione, grauiter peccare, & ad reſtitutionem teneri, vt ille, qui iuſtè accuſatus, & cum ordine iuris interrogatus crimen negat: non tamen qui iniuſtè

iniuſtè accuſatus crimen occultum negat, vt ſe defendat: quoniam nec contra charitatem, nec contra iuſtitiam peccat, ſed vtitur iure ſuo, vt facit Laurentius in caſu, qui non tenetur fateri veritatem.

Ad ſecundum concedimus maiorem propoſitionem, ſcilicet Laurentium non teneri ad aliquam reſtitutionē, quia fuit iniuſtè prius accuſatus, & diffamatus. & ad probationē Minoris dicimus,
21 non reddi malum pro malo, † quando ex defenſione propriæ famæ iniuſtè ablatæ ſequitur eius qui abſtulit, infamia indirectè, & per accidens, vt in caſu; ſed tunc ſolum, quando malum alteri incutitur ad vindicandam iniuriam illatam.

Ad confirmationem reſpondetur, quod non eſt par ratio vtriuſque caſus: quia percuſſio non eſt ordinata ad ius ſuum defendendum, ſicuti criminis negatio: neque poſſet reus ſe defendere tacendo; quia inde etiam ſequi poteſt infamia, vt ſupra probatum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Qui mutuo accepit centum, & ſecreto reſtituit, ſi conuenitur à mutuante exigente ab eo in iudicio ſolutionem centum, poteſt iurando negare ſe aliquid eidem debere, aut accepiſſe ab eo mutuo centum.*

2 *Iniuſtè de aliquo interrogatus à Iudice, poteſt verbis ambiguis vti, quæ verum ſenſum generent ſecundum eius mentem.*

3 *Quando non eſt eadem intentio iurantis, & eius, cui fit iuramentum; ſi dolus fuerit ex parte iurantis, iuramentum ſeruari debet ſecundum intentionem eius, cui fit. Si autem dolus, & violentia fuerit ex parte eius, cui fit, ſeruari debet ſecundum intentionem iurantis.*

4 *Cum quis iniuſtè de aliqua re interrogatur, reſponſio eius ſtrictè accipienda eſt iuxta Iudicis interrogationem.*

5 *Quando in aliqua propoſitione poſſunt intelligi, & ſuppleri aliquæ particulæ ex circunſtantia loci, & temporis, & perſonarum, quas alteri quiſpiam exprimere non tenetur, idem eſt ac ſi particulæ*

ticulæ illæ expreſſè in illa propoſitione ponerentur, quantum attinet ad veritatem, & falſitatem propoſitionis.

6 *Propoſitio illa Matth. 9. Non eſt mortua puella; quomodo vera.*

7 *Item illa alia Io. 7. Vos aſcendite: ego autem non aſcendam.*

8 *Sicut per mutuum contrahitur ſolutionis obligatio, ſic per ſolutionem mutuum extinguitur, & ceſſat obligatio.*

9 *Quacumque arte verborum quis iurat, Deus ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur intelligit. Canon hic intelligitur, quando quis iuſtè, & iuridicè interrogatur, n. 10.*

CASVS XLI.

MAVRITIVS accepit mutuo centum à Ioanne, eidemque reſtituit illam pecuniam: at reſtitutionem non poteſt Mauritius in iudicio probare, & conuenitur à Ioanne exigente ab eo in iudicio ſolutionem centum: ſi Mauritius fateatur coram Iudice ſe accepiſſe centum mutuo à Ioanne, ſed totidem reſtituiſſe, condemnabitur à Iudice, vt iterum reſtituat totidem. *Quæritur, an Mauritius poſſit in huiuſmodi caſu iurare, nihil ſe debere Ioanni, nihilque mutuo ſe ab eo accepiſſe.*

Ad præſentem caſum facile nunc eſt reſponſum dare, qui cum affinitatem quandam habeat cum præcedenti; ſolum enim in hoc differt, quod ille in cauſis criminalibus, hic verò in cauſis ciuili-
1 bus verſatur; iiſdem ferè fundamentis reſoluitur affirmatiuè: † nimirum Mauritium poſſe iureiurando negare, ſe aliquid debere, aut accepiſſe centum mutuo à Ioanne. Ita ſentiunt *Couar. lib. 1. Variarum reſolut. cap. 2. n. 3. & 4. Azorius 1. par. Inſtit. mor. lib. 11. cap. 4. q. 5. reg. 2. & par. 3. lib. 13. cap. 25. q. 5. Bal. in Rub. C. de fide inſtrum. num. 30. Iaſ. in l. manifeſtè ff. de iureiur. col. pen. & Alciatus in l. 1. §. ſi quis ſimpliciter num. 75. ff. de verborum obli-*

obligation. & alij citati à *Couarruuia vbi ſupra* & probatur his rationibus.

Tum quia Mauritius, qui verè centum ab actore petita illi ſoluit, nihilque ei amplius debet, iniquè ad iudicium trahitur,
2 iniuſteque ſuper his interrogatur. † igitur poteſt verbis ambiguis verſutiam interrogantis eludere, & negare poſitionem eo animo, & ſenſu, vt eam falſam eſſe aſſeueret, prout ponitur, nempe ſe accepiſſe mutuo centum, quæ debeat: nam & veriſſimè in hoc ſenſu falſa eſt. non itaque erit periurus. Antecedens patet, & conſequentia deducitur: quia quoties de aliquo rogamur iureiurando adacti, ſi nobis in eo iniuria inferatur, fas nobis eſt iurando verbis ambiguis vti, & ea accipere eo ſenſu, quem volumus, & concipimus. Colligitur hæc regula ex *D. Thom. 22. q. 89. ar. 7. ad. 4.* vbi
3 ait, quòd quando † non eſt eadem intentio iurantis, & eius cui fit iuramentum, ſi dolus fuerit ex parte iurantis, iuramentum ſeruari debet ſecundum intentionem eius, cui præſtatur: ſi autem ſit dolus, & violentia ex parte eius, cui præſtatur iuramentum, ſeruari debet ſecundum mentem, & intentionem iurantis. Atqui hoc contingit in caſu propoſito, vbi Iudex iniuſtè interrogat, & Mauritius coactè ad iudicium trahitur. Licet ergo Mauritio Iudicem interrogantem verbis ambiguis fallere, accipiendo ea ſecundum mentem, & intentionem ſuam.

4 Tum quia huiuſmodi Mauritij reſponſio † ſtrictè accipienda eſt iuxta interrogationem Iudicis: atqui hic accepta negatio eſt veriſſima: nam interrogatio Iudicis accipienda eſt in hoc ſenſu; Accepiſtinè mutuo centum à Ioanne, quæ tenearis ei ſoluere? & ita reſponſio accipitur ſtrictè; Non accepi mutuo centum à Ioanne, nimirum quæ tenear ei ſoluere. igitur Mauritius iurans, ſe nihil Ioanni debere, nihilque mutuo ſe ab eo accepiſſe, non eſt periurus, verè enim negat.

5 Confirmatur, quia quando in aliqua propoſitione † poſſunt intelligi, & ſuppleri aliquæ particulæ ex circumſtantia loci, & temporis, & perſonarum, quas alteri quiſpiam exprimere non tenetur, idem eſt, ac ſi particulæ illæ expreſsè in ea propoſitione ponerentur, quantum ad veritatem, & falſitatem propoſitionis attinet.

Sic

Sic enim vera eſt illa propoſitio à Chriſto Domino prolata
6 Matth. 9. † *Non eſt mortua puella*, (quæ verè mortua erat) *ſed dormit*, ſubintellecta illa particula, reſpectu meæ poteſtatis, & voluntatis, qui tam facile poſſum eam ſuſcitare, ſicut dormientem. quæ particula non exprimitur à Chriſto turbis, ſubintelligitur tamen ex circumſtantia perſonæ Chriſti ad puellam ſuſcitandam vocati. Sic etiam vera eſt illa alia propoſitio eiuſdem Domini dicentis
7 *Io. 7.* † *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc: ego autem non aſcendam*; qui tamen aſcendit: Quia ſubintelligitur in mente Chriſti: Non aſcendam vobiſcum, vel non aſcendam manifeſtè. quam particulam non explicauit Chriſtus, ſed mente tantum illam concepit, & retinuit, cum non teneretur illis mentem ſuam aperire. Sed in hac reſpoſitione Mauritij; Non accepi à Ioanne mutuo centum, poteſt ſubintelligi, & ſuppleri iſta particula, quæ debeam vel quæ non reddiderim, ex circumſtantia loci, nempe fori, perſonæ interrogantis, & reſpondentis, qui non tenetur eam exprimere. Ergo in caſu idem eſt ac ſi illa particula expreſſa fuiſſet, quo ad veritatem, & falſitatem propoſitionis: & quia ſi fuiſſet expreſſa particula illa, & propoſitio hæc integrè prolata, Non accepi mutuo centum, quæ debeam, vera eſſet propoſitio abſque vlla dubitatione. ergo etiam vera eſt, parte illa ſubintellecta, quam iuſta de cauſa non expediebat exprimere.

8 Tum denique, quia ſicut per mutuum † contrahitur obligatio ſolutionis; ſic per ſolutionem mutuum extinguitur, & ceſſat obligatio. cum igitur Mauritius iam plenè ſoluerit illud, perinde eſt, ac ſi mutuo nunquam acceperit: non enim dicitur accepiſſe mutuum, qui illud iam reddidit, & ſoluit.

Neque huic reſolutioni obeſt, quod habetur, *Can. quacumque*
9 *arte 22. q. 5.* vbi dicitur, *Quacumque arte † verborum quis iurat; Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur intelligit. Dupliciter autem reus eſt, quia & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.*
10 Quia reſpondetur quòd intelligitur Canon, quando † quis iuſtè, & iuridicè interrogatur: tunc enim vti debet verbis planis, & iurare ad intentionem eius, cui iuratur; alioquin peccat mortaliter

liter, etiamſi verum ſit ſecundum intentionem iurantis: quia iurans in tali caſu non habet cauſam legitimam vtendi verbis ambiguis, & dubijs, & detorquendi iuramentum in alium ſenſum, quàm concipit is, qui iuridicè interrogat. At cum quis iniquè in iudicium trahitur, & iniuſtè ſuper aliqua re interrogatur, vt contingit in caſu noſtro, fas eſt ei iurando verbis ambiguis vti, quæ verum ſenſum generent ſecundum mentem ipſius iurantis, quamuis falſum ſecundum mentem alterius: ob iniuriam enim quæ ei infertur, licet illi ſic ſuo bono conſulere.

Neque obſtat ſecundo, ſi arguatur, Quando vna pars contradictionis eſt vera, altera neceſſario falſa eſt: atqui ſi Mauritius reſpondeat, mutuo accepi centum à Ioanne, verum dicit. ergo mentitur, ſi dicat, non accepi mutuo centum à Ioanne: cum duo contradictoria non poſſint eſſe ſimul vera, neque ſimul falſa.

Nam reſpondetur quod cum contradictio ſit ad idem, & ſecundum idem, hic non eſt contradictio: quia dum Mauritius affirmat, ſe accepiſſe mutuo centum à Ioanne, talis affirmatio accipitur à debito, & reſtitutione; quo modo eſt vera: at cum negat, ſe accepiſſe mutuò centum, accipitur reſponſio ſtrictè, vt ſtat ſub interrogatione facta à Iudice, & ſubintelligitur, quæ debeat, aut quæ non reſtituerit: quia hùc tendere debet interrogatio Iudicis. In quo ſenſu ſimiliter eſt vera: & ſic ſumpta, accepi, & non accepi mutuo centũ, non ſunt verè contradictoria, quia non accipiuntur ſecundum idem. quo modo ſi ſumantur, vna eſt vera, altera falſa: hæc enim falſa eſt, Accepi centum mutuo à Ioanne, quæ ei debeo: hæc autem vera, Non accepi centum mutuo à Ioanne, quæ ei debeam: & ſic ſumenda eſt in propoſito. Vnde patet quomodo minor propoſitio poſſit eſſe vera, & falſa.

SVMMARIVM.

1 *Homicidium, vt inductiuum ſit irregularitatis, debet eſſe aliquo modo volitum.*

2 *Volitum duplex, per ſe, & per accidens.*

3 *Qui defloraùit puellam ſub cura patris exiſtentem, vnde interemptio*

remptio eius ſecuta eſt, an in irregularitatem incurrerit, Soti, & aliorum opinio negatiua eſt, ſed probabilior eſt affirmatiua num. 8.

4 *Ad incurrendam irregularitatem requiritur cauſa propinqua, per ſe intenta, & volita.*

5 *Non ſufficit dare operam rei illicitæ ad incurrendam irregularitatem contractam ex homicidio, niſi actus ille illicitus ordinatus ſit ſua propria natura ad homicidium. limita, vel ex conſuetudine, vt n.* 11. *&* 14.

6 *Irregularitas non contrahitur niſi in caſibus iure expreſſis.*

7 *In his, quæ pendent ex iuris diſpoſitione, ſtandum eſt ſententiæ communi, & receptæ inter Iuriſtas, quibus incumbit iuris intelligentia. Sed verius dicendum, ſtandum eſt deciſioni iuris, vt ante num.* 20.

9 *Omne homicidium aliquo modo volitum, vel directè in ſe, vel indirectè, & in ſua cauſa, irregularitatem inducit.*

10 *Deflorator puellæ præbuit cauſam patri occidendi filiam ad vindicandam iniuriam, & ignominiam illam.*

11 *Irregularitas contrahitur ex omni homicidio, quod ſequitur ex actu illicito ſuapte natura, lege vel conſuetudine ſufficienter ad illud directo.*

12 *Lex in certis caſibus permittit patrem occidere filiam, & maritum vxorem adulteram.*

13 *Paria videntur quantum ad caſum homicidij, defloratio puellæ ſub cura patris viuentis, & adulterium.*

14 *Quid dicatur cauſa propinqua homicidij.*

15 *Ebrius, qui iudicio carens interficit aliquem, nec vnquam fuit ſolitus in ebrietate ſumere arma, & alios ferire, nõ eſt irregularis.*

16 *Deflorator puellæ intendendo actum deflorationis per ſe, intendit, & voluit homicidium per accidens, & indirectè, & fuit quodammodo homicida voluntarius, & n.*17.

18 *Aliud eſt hoc colligi, & deduci ex iure, & hoc haberi in iure.*

19 *Idem eſt in culpa eſſe, & dare operam rei illicitæ.*

20 *In iure ille tantũ eſt irregularis, qui aliquo modo vult homicidium vel per ſe, & directè; vel per accidens, & indirectè, & n.*20.

Digitized by Google

CASVS XLII.

CAMILLA ex non licito coitu grauidata, cum eam pater interrogaret, quo cum viro concubuiſſet, & illa timens magna inde ſcandala ſecutura, nollet rem aperire, interimitur à patre ira, animique perturbatione incitato. *Quæritur, an fornicator irregularitatem incurrerit, inhabiliſque ſit ad Eccleſiaſticos ordines ſuſcipiendos.*

Pro maiori intelligentia huius caſus præmitto tamquam certum ex communi omnium Doctorum ſententia, homicidium
1 † ad hoc vt inducat irregularitatem, debere eſſe aliquo modo volitum. Et quia caſuale inquantum huiuſmodi, ſimpliciter loquendo, non eſt intentum, nec voluntarium, contingere tamen poteſt, (vt docet *D.Thom.* 22.*q.*64.*ar.*8.) id quod non eſt actu, & per ſe
2 † voluntarium, vel intentum, eſſe per per accidens volitum, vel intentum, ſecundum quod cauſa per accidens dicitur remouens prohibens, vel non remouens: vnde ille, qui non remouet ea ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat remouere, erit quodammodo homicida voluntarius.

His præmiſſis de præſenti caſu magna eſt controuerſia inter Doctores. *Sotus lib.*5.*de iuſt.& iure,q.*1.*ar.*9. *Marianus Socinus in c.ad audientiam, de homicidio, Couarru.in clem.ſi furioſus,*§.4. *n.*10.*de homicidio, Salon* 22.*q.*64.*ar.*8.*controu.*3. *Aragon ibidem*
3 *dub.*2.*& Graff. lib.*3.*conſil. de homicidio, conſ.*2. † ſuſtinent partem negantem: pro qua

4 Facit primo, quia ad incurrendam irregularitatem † requiritur cauſa propinqua, ex *Gloſſ.in c.de cætero, de homicidio,* per ſe intenta, & volita: illa autem dicitur cauſa per ſe, quando ex intentione quis operatur circa homicidium: vt qui præcipit, qui iuuat, qui ſuadet: ſimiliter qui facit actum ex ſe ordinatum ad homicidium, vt qui teſtificatur falſum, vel falſo accuſat aliquem de

aliquo, vnde ſequitur homicidiũ, vel mutilatio ipſius. Cum igitur huiuſmodi fornicator non fuerit cauſa per ſe homicidij; quia non ex intentione illud commiſit ſtuprum, ſeu fornicationẽ, vt homicidium ſequeretur: nam quamuis fornicatio ſit opus illicitum, & fuerit opus voluntarium, non tamen fuit per ſe cauſa homicidij; cum fornicatio ordinetur cauſa libidinis explendæ, & non ad homicidium; ſequitur quod non incurrerit irregularitatem, nec ſit inhabilis ad ordines Eccleſiaſticos ſuſcipiendos.

5 Facit ſecundo, quia non ſufficit † dare operam rei illicitæ ad incurrendam irregularitatem contractam ex homicidio caſuali, niſi actus ille illicitus ſit ordinatus ſua propria natura ad homicidium: ſed fornicatio, vt probatum eſt, non eſt ſuaptè ordinata ad homicidium: aliud enim eſt intendere fornicationem, & aliud homicidium. ergo non fuit ſatis dare operam fornicationi illicitæ ad incurrendam irregularitatem.

6 Facit tertio, quia irregularitas † non contrahitur niſi in caſibus iure expreſſis. *cap. Is, qui, cum Gloſſa recepta, de ſententia excommunicationis, in 6.* cum ſit pæna, & res odioſa. Sed nullibi habetur expreſsè in iure, vt efficiatur quis irregularis ob ſtuprum, vel adulterium, ſi inde ſequatur homicidium abſque intentione & voluntate ipſius fornicantis, vel adulterantis. ergo non incurrit huiuſmodi fornicator irregularitatem. Maior eſt certa, & minor probatur; quia auctores contrariæ opinionis nullum adducunt textum, vbi id expreſsè habeatur, ſed tantum eam colligunt à contrario ſenſu ex nonnullis capitibus, in quibus quidam ab irregularitate excuſantur, quia operam dabant rei licitæ, ſeu quia non dabant operam rei illicitæ: ita habetur *cap. dilectus filius, & cap. ex literis, 2. & cap. tua nos, extra de homicidio:* & hinc colligunt à contrario ſenſu, ergo irregulares eſſent, ſi darent operam rei illicitæ: argumentum autem à contrario ſenſu, præterquam quòd frequenter infirmum eſt, non eſt à textu expreſſo.

Oppoſitam omnino ſententiam habet *Sylu. ver. homicidium 2. Reg. 3. q. 18. Conradus 1. 2. q. 73. ar. 8. & Caiet. 22. q. 64. ar. 8.* qui omnes affirmant vniuerſaliter caſuale homicidium ſemper imputari

ţari danti operam rei illicitæ quo ad pœnam irregularitatis: vnde ait Sylu. loc.cit. Si quis ſcindens arborem alienam, quam furatur,& aliquem caſu occidat,etiamſi adhibuerit diligentiam debitam, irregularis eſt; ſi verò ſcindat arborem ſuam, non eſt irregularis: quia in primo caſu dat operam rei illicitæ, in ſecundo vero non.

Probatur etiam auctoritate Iuris Canonici,& ratione. Auctoritate quidem: quia apertiſſimè definitur in *cap. ſuſcepimus, & c.de cætero, & c. continebatur, & c. Presbyterum, & c.final. de homicid.* occidentem dantem operam rei illicitæ,& ſibi aliqua ratione prohibitæ, manere irregularem.

7 Probatur ratione: quia in his, † quæ pendent ex iuris diſpoſitione,ſtandum eſt ſententiæ communi,& receptæ inter Iuriſtas, quibus incumbit iuris intelligentia: ſed in hac quæſtione Iuriſtæ omnes, aut maior eorum pars,ſentiunt eſſe irregularem quēcumque alium occidentem, ſi dabat operam rei illicitæ, quæ eſſet peccatum, & prohibita in genere moris. ergo omnis dans operam rei illicitæ, ex qua ſequitur alterius mors, efficitur irregularis, & inhabilis ad Eccleſiaſticos ordines ſuſcipiendos.

His duabus extremis opinionibus relictis,reſpondeo ad caſum propoſitum affirmatiuè tenendo opinionem mediam,quam arbitror probabiliorem: nimirum hunc fornicatorem, ſeu potius Ca-
8 millæ defloratorem † ſub cura Patris viuentis, eſſe irregularem, & ex conſequenti inhabilem ad Eccleſiaſticos ordines ſuſcipiendos, ob interemptionem Camillæ inde ſequutam: Et tamen non omnem dantem operam rei illicitæ, ex qua ſequitur mors alterius, irregularitatem incurrere. Hæc reſponſio duas habet partes, quarum prima quæ directè tangit caſum noſtrum, his rationibus fulcitur.

9 Tum primo, quia omne homicidium † aliquo modo volitum, vel directè in ſe, vel indirectè, & in ſua cauſa, irregularitatem inducit. hoc patet ex prænotatis. Et de homicidio volito directè, & per ſe, non ambigitur à Doctoribus: ſed de volito in ſua cauſa, conſtat ex illa regula, *Qui cauſam damni dat, &c.* ſed homicidium Camillæ exiſtentis ſub cura Patris fuit aliquo modo voli-

tum ab eius defloratore, & fornicatore ſcilicet indirectè in ſua
10 cauſa propinqua : præbuit enim cauſam † patri occidendi filiam ad vindicandam iniuriam, & ignominiam illatam, & cogitare debuerat id poſſe euenire. ergo fornicator iſte ob homicidium Camillæ, cui cauſam præbuit, in irregularitatem incidit.

11 Tum ſecundo, quia irregularitas contrahitur † ex omni homicidio illicito, quod ſequitur ex actu illicito ſuapte natura, lege, vel conſuetudine expreſsè, vel virtualiter ad illud directo. Hoc ex ſe patere videtur, & docet *Nau. in Man. cap. 27. n. 220. 221. & 210. & lib. 5. conſil. tit. de homicidio, conſ. 34* At in caſu noſtro homicidium præfatæ Camillæ fuit illicitum, conſequutum ex actu illicito lege, & conſuetudine communi hominum, maximè Italiæ, & nobilium, directo expreſsè, vel tacitè in homicidium, attento patrum honore, procliuitate, & conſuetudine interficiendi filias, quæ cum dedecore totius familiæ, & agnationis grauidæ fiunt:
12 attento etiam, quòd lex † in certis caſibus ſimilibus permittit patrem occidere filiam, & maritum vxorem adulteram. arg. *l. Patri, l. Marito, ff. ad legem Iuliam, de adulterijs, & l. Gracchus, C. eodem*. ergo fornicator irregularitatem contraxit.

13 Tum denique, quia videntur paria † quantum ad cauſam homicidij, ſtuprum Camillæ puellæ viuentis ſub cura patris, & adulterium. Et de clerico adultero Pius V. approbauit hanc ſententiam, & declarauit ipſum irregularitatem incurrere, ſi ob id maritus occidat vxorem ſuam, cum in ſacra pænitentiaria id controuerteretur, vt refert *Nau. c. 27. num. 238. in Manual. & in conſ. citato*. ergo, &c.

Et ſi dicatur, quòd Pius V. ita declarauit vt Doctor, & non vt Papa, vt reſpondet *Graſſius l. c. & Sayrus in Theſauro caſuum conſcientiæ lib. 6. cap. 17. n. 19. cum Henriquez, & Thoma Zerula ibi citatis*, qui addunt declarationem fuiſſe pro foro exteriori.

Hæc non videtur ſufficiens ſolutio; quia cum de hac re dedita opera conſultus fuerit Pontifex, & ita reſponderit, & declarauerit: ad quem confugiendum eſt pro deciſione quæſtionis, ſi non ſtandum eſt reſponſioni illius, qui vniuerſo Chriſtiano orbi præſidet Magiſter, & Doctor?

Quod

Digitized by Google

Quod verò non fuerit declaratio pro foro exteriori; inde conſtat; quia caſus ille controuertebatur in ſacræ pœnitentiariæ foro, quod eſt forum conſcientiæ interius, & non exterius.

Secunda pars etiam probatur, tum quia non ſufficit, quod ſequatur ex illicito facto homicidium, niſi ſit cauſa propinqua homicidij illicita factum illud, ex *Gloſ. cap. de cætero, extra de homici-*
14 *dio.* Dicitur autem cauſa propinquam homicidij, † quodcumque dictum, aut factum illicitum directum ex ſui natura, vel ex conſuetudine, aut ex intentione operantis in occiſionem: vnde qui mittit aliquem aliquò intentione mala, puta furandi aliquid, ſi miſſus in via ictu fulminis extinguitur, non efficitur irregularis mittens: quia licet miſſio illa in ſe eſſet illicita, & ex ea ſit ſequuta mors, quatenus tamen erat illicita, non dirigebatur ſufficienter in illam, neque illa mors eſt volita in ſe, neque in cauſa ad illam ſufficienter ordinata.

Tum quia furioſus, quamuis ſua culpa furat, & inſaniat, non eſt irregularis occidendo; vt ſentit *Gloſ. cap. ſi quis inſaniens,* 15. *quæſt.* 1.

15 Tum quia ebrius, † qui iudicio carens interfecit aliquem, nec vnquam ſolitus fuit in ebrietate ſumere arma, & alios ferire, non eſt irregularis, quamuis ſua culpa in ebrietatem inciderit; cum ebrius non peccet in eo, quod extra iudicium potius operatur, vt multis argumentis probat *Maior in* 4. *diſt.* 15. *q.* 8.

Hæc eſt ſententia *Nau. in Man. cap.* 27. *n.* 220. 221. *&* 230. *Beiæ* 1. *par. Reſpon. ad caſus, caſu* 40. *Simonis Maioli lib.* 5. *de irregularitate,* §. 3. *n.* 15. pro qua facit etiam *Tolet. lib.* 1. *Inſtitut. ſac. cap.* 82. *n.* 5. & tandem velit, nolit, in eandem ſententiam deſcendit *Sayrus in Theſauro caſuum conſcientiæ lib.* 6. *cap.* 17. *n.* 19. *in fine, & n.* 20.

Neque obſtant argumenta in contrarium allata. Nam ad primum pro opinione Soti, negatur talem deflorationem Camillæ non eſſe cauſam propinquam illius interfectionis, & quod ſatis cauſa non fuerit intenta, & volita per ſe, quamuis homicidium non fuerit per ſe volitum: (hoc enim repugnat homici-
16 dio carnali) nam intendens per ſe fornicationẽ † ſeu defloratio-

nem Camillæ, intendit, & voluit eius homicidium per accidens, & fuit quodammodo homicida voluntarius, vt patet ex dictis.

Ad ſecundum, negatur minor propoſitio; cuius probatio non facit ad rem: quia licet fornicator per ſe, & directè voluerit, & intenderit fornicationem, & aliud ſit intendere per ſe fornicationem, & aliud intendere per ſe homicidium: indirectè tamen, &
17 per accidens † voluit, & intendit homicidium, ſcilicet in ſua cauſa ſufficienter ad illud directa, maximè in fœmina nobili: & hoc ſufficit ad contrahendam irregularitatem ex homicidio caſuali.

Ad tertium reſpondetur *Nau. in Man. cap. 27. n. 222.* negando non eſſe textum in iure probantem, qui dat operam rei illicitę, ex qua ſequitur caſuale homicidium, fieri irregularem: cum argumentum à contrario ſenſu ſit validum in iure; quod licet, vt Sotus ait, ſit infirmum Logicis, Iuriſconſultis tamen firmiſſimum eſt, ſaltem quando deſumitur probandum illud, cuius contrarium non eſt iure expreſſum.

Verum quia auctores contrariæ opinionis non negant, imo expreſſe affirmant (vt Sotus) à contrario ſenſu deduci, dantem operam rei illicitæ eſſe irregularem, ſi ex illa ſequatur mors, aut
18 mutilatio alicuius: ſed dicunt non † haberi in iure, quod longe aliud eſt:

Reſpondetur ſecundo cum *Toleto lib. 1. inſtruct. ſacerd. cap. 81. n. 2.* negando minorem propoſitionem: quia verè id habetur in iure expreſſum: nam *cap. Is qui, de homicidio, in 6.* habetur, eum qui mandauit verberari, expreſsè prohibendo ne occideret, eſſe irregularem, ſi mandatarius occidat: quia in culpa fuit mandando. Ecce homicidium præter intentionem, imo contra intentionem mandantis imputatur ad irregularitatem; quia in culpa
19 fuit mandando. idem autem omnino eſt, † in culpa eſſe, & dare operam rei illicitæ.

Ad argumenta verò pro ſententia *Sylueſtri, & aliorum*, quatenus videntur facere contra ſecundam partem noſtræ reſolutionis, non difficile eſt reſpondere. Ad primum quidem de ſcindente

arborem

arborem alienam furto, negatur illum incurrere irregularitatem, ſi adhibeat debitam diligentiam, quæ cædentem propriam à culpa excuſaret: quia licet in hoc caſu opus ſit illicitum, culpa tamen nullatenus dirigitur in mortem. Quæ eſt ſententia *Nau. in Man. c. 27. n. 237. Soti lib. 5. de iuſt. q. 1. ar. 9. vltra medium. Salonis 22. q. 64. ar. 8. controu. 3. & Sayri in Theſauro caſuum conſcient. lib. 7. n. 22.* licet *Tolet. loc. cit.* ſentiat cum *Sylueſtro.*

Ad ſecundum, negatur in illis capitibus citatis definiri apertiſſimè, omnem dantem operam rei illicitæ, ſi inde ſequatur deformatio, eſſe irregularem: imo nihil ea minus confirmare, quàm *Sylu. & Caiet.* ſententiam.

Quia in *cap. ſuſcepimus*, declaratur irregularis frater, qui pro re temporali defendenda occidit quoſdam latrones: quod homicidium fuit voluntarium, non caſuale, de quo loquimur nunc.

In *cap. de cætero* iudicatur irregularis Diaconus, qui cauſam dederat cuidam homicidio.

In *cap. continebatur*, iudicatur irregularis clericus, qui ſaliens cum alio, occidit illum; quia dabat operam rei periculoſæ, & ſufficienter directæ in deformationem: cum enim deferret ſecum falcem, vel gladium, vtebatur eo genere ſaltationis, vel ludi, quo facile gladius ille alium vulnerare potuit.

In *cap. Presbyterum*, iudicatur etiam irregularis præsbyter, qui verberans puerum, ita percuſſit illius corpus, vt vulnus illud fuerit periculoſum, & ordinatum in mortem, ex quo ſequuta eſt.

In *cap. fin. & vlt.* clericus liberatur ab irregularitate, tum quia dabat operam rei licitæ: tum quia adhibuit tantam diligentiam, vt res illa, quantum fuit in clerico, ratione illius diligentiæ non eſſet periculoſa, nec ſufficienter ordinata in mortem.

Ad vltimum reſpondetur, ad maiorem propoſitionem, in his quæ pendent ex diſpoſitione iuris ſtandum eſſe deciſioni iuris: in
20 iure † autem ille tantum eſt irregularis, qui aliquo modo vult homicidium; vel per ſe, & directè, vel per accidens, & indirectè, 21
ſcilicet in ſua cauſa propinqua, quomodo voluit hic fornicator dando operam rei illicitæ ſufficienter ordinatæ ad homicidium;

qualis non eſt omnis res illicita, ex qua ſequitur caſuale homicidium, vt oſtenſum eſt ſupra. Et hanc opinionem, quamuis non omnes, ſequuntur tamen multi Canoniſtæ, vt doctiſſimus *Nau. Simon Maiolus, Beia, Graffius, Salon, Couarruias, loc. cit.* & alij ab eo adducti, nec non *Sairus in Theſ. caſuum conſc. lib. 7. cap. 5. n. 11.* qui omnes tenent vniuerſaliter non ſufficere dare operam rei illicitæ, ex qua ſequitur mors, vt quis irregularitatem incurrat, niſi
21 vel illa res †ordinetur ſufficienter in homicidium, vt dicit Nau. vel niſi illa res illicita ſit prohibita, vt periculoſa ad homicidium, vt dicunt *Sotus, Couarr. & alij*.

Hæc dicta ſint ſalua ſemper, &c.

SVMMARIVM.

1 *Pæna triplex, conuentionalis, Iudicialis, & legalis. & quidnam qualibet earum ſit.*

2 *Conuentionalis pæna dupliciter à creditore apponi ſolet, vel in compenſam damni emergentis, ſeu lucri ceſſantis; vel vt debitor diligentius ſoluat, nec ſit in mora metu pænæ, & n. 4.*

3 *Pæna quando dicitur imponi in fraudem vſurarum.*

5 *In ſtipulatione prætoria non exigitur pæna, ſi non intereſt. Verum eſt hoc dictum de pæna legali, vel iudicali, non de conuentionali, n. 20.*

6 *Pænam imponere mutuatario, ſeu debitori, qui fuerit in mora ſolutionis, vt metu illius tempore ſtatuto curet mutuum reddere, ſiue debitum ſoluere in termino, licitum eſt, etiamſi nullum intereſſe patiatur creditor ex illa mora, & n. 19.*

7 *Pæna non debetur, quando debitor promiſsũ adimplere non poteſt.*

8 *Cuique licet non inire contractum, niſi de adimpletione eius reddatur ſecurus.*

9 *Cui licet velle finem, licet etiam velle omnia media honeſta, & neceſſaria ad illum conducentia.*

10 *Mutuatarius, ſeu debitor tenetur in conſcientia pænam impoſitam ſoluere petente mutuatore, ſiue creditore etiam ante Iudicis condemnationem, & n. 11. 15. & 17.*

12 *Debitor*

12 *Debitor, qui eſt in mora culpabili, detinet alienum inuito domino, quod eſt quoddam genus furti.*

13 *Pæna legalis non debetur ante Iudicis ſententiam; ſed bene conuentionalis, quæ ex contractu debetur. limita vt n.14.*

16 *Differentia eſt non pauca inter pænam, & intereſſe, & ſolutionem pænæ, & ſolutionem intereſſe.*

18 *Debitor not tenetur ad offerendum vltro pænam conuentionalem incurſam.*

CASVS XLIII.

NICOLAVS mutuat Ludouico centum aureos reddendos illi certo præfixo termino, ea conditione, vt niſi in termino illos reſtituerit, in pænam moræ debeat illi Ludouicus vnum aureum vltra ſortem ſoluere: admittit Ludouicus conditionem, & illi pænæ, quæ conuentionalis eſt, ſeipſum ſubijcit. *Quæritur, an hic contractus ſit licitus, & teneatur mutuatarius poſt moram in conſcientia aureum illum perſoluere vltra ſortem mutuatori exigenti, etiamſi nullum intereſſe ex mora illa patiatur.*

Duo in præſenti caſu quæruntur: Primum, an Nicolaus mutuans licitè poſſit imponere Ludouico mutuatario, ſi fuerit in mora ſolutionis, pænam conuentionalem. Secundum, an mutuatarius moroſus teneatur in conſcientia illam perſoluere mutuanti petenti, quando ex illa mora nullum patitur inteſſe.

1 Pro cuius reſolutione præmitto, Triplicem † eſſe pænam, & vt docent *Io. Medina C. de vſuris q.3. §. cauſa 4. Salon 22. q.78. ar.2. controu.* 11. *& Rebellus 2. par. de obligat. iuſtitiæ, lib.8. de vſuris, q.9.* & vt ad hunc locum ſpectat, ſcilicet, legalem, Iudicialem, & conuentionalem.

Legalis dicitur, quæ à lege, vel ſtatuto impoſita eſt; vt ſtatu-

tum

tum eſt in aliqua Ciuitate, quòd tutor de pecunijs pupilli, quæ ad manus eius perueniunt, teneatur emere poſſeſſiones, ſeu cenſus, vel reſpondere pupillo ad rationem quinque pro centenario. Si tunc tutor pecunias pupilli non pro pupilli vtilitate, ſed pro ſua propria exponat, cogetur ſoluere de centum quinque; quæ quinque dicuntur pæna legalis.

Iudicialis dicitur, quæ à Iudice contra debitorem conuictum imponitur, niſi ſtatuto die creditori ſatisfaciat: cuius pænæ frequentiſſimus eſt vſus in tribunalibus, & de ea diffuſius agit *Salon loc.cit.* Conuentionalis verò eſt, quæ ex conſenſu partium moroſo debitori in contractu à creditore apponi ſolet. Idque dupliciter:

2 ter: † vno modo in compenſationē lucri ceſſantis, damniuè emergentis: quo pacto ſtatui poteſt ab initio, ac recipi citra vſuram, ſi interueniat mora, ſiue culpa debitoris, ſiue abſque ea, modo adſint reliquæ conditiones ad legitimum intereſſe neceſſariæ: & hæc propriùs dicenda eſt ſolutio intereſſe, & ſatisfactio, quam ſolutio pænæ. Altero ea tantum de cauſa, vt firmior ſit conuentio, vel ne vlterius adimpletio eius differatur.

Exigitur autem ad huiuſmodi pænam conuentionalem rectè, & iuſtè imponendam hæc conditio, ne imponatur in fraudem vſurarum, vt tradit *Scotus in 4. ſent. diſt.* 15. *q.* 2. *ar.* 2. *Conradus de contractibus, q.* 31. *conc.* 3. *Syluester verbo, pæna, q.* 25. §. *ſeptimum, Caiet. in ſumma ver. vſura, cap.* 2. *caſu* 4. *Nau. in Man. cap.* 17. *n.* 215. & omnes recentiores, Canoniſtæ cum *Gloſſa in can. Plerique* 14. *q.* 3.

3 Dicitur verò † imponi pæna in fraudem vſurarum in duobus caſibus poſitiſſimè. Primo, quando impoſitor pænæ optat potius debitorem eſſe in mora, vt pænam illam incurrat, quam quod tempore præfixo ſoluat: debet enim mutuans malle ſortem in termino nudam habere, quàm mutuatario in mora exiſtente ſortem ſimul habere cum pæna; nam dato oppoſito, videtur prætendere lucrum ex mutuo.

Secundo, quando ipſo tempore mutui, & contractus, in quo fuit impoſita pæna, intelligebat mutuās mutuatarium futurum impotentem ad ſoluendum, & neceſſario futurum in mora. Qui enim

ita pœnam imponeret animo exigendi illam, lucrum profectò vſurarium ex mutuo illo, vel dilata ſolutione, ſub nomine, & colore
4 pœnæ intenderet; non lucrum ſibi ceſſans, † vel damnum emergens ex mora; nec diligentiam debitoris in ſoluendo ſtato tempore. Qui ſunt duo modi tacti à principio, quibus pœna conuentionalis licitè imponi, & iuſtè exigi poteſt.

De quorum primo non eſt controuerſia inter Doctores, dummodo quantitas huiuſmodi pœnæ non excedat lucrum ceſſans, vel damnum emergens creditoris: etenim cum iuſtè poſſit mutuans exigere à mutuatario (vt alias viſum eſt) lucrum ceſſans, vel damnum ſibi emergens ex mutuo, ſeu ex mora mutuatarij, poterit ſimiliter idipſum ſub nomine pœnæ conſenſu mutuo vtriuſque appoſitæ, exigere, ac recipere. Quid enim refert hoc, vel illo nomine vtaris, vbi res eadem eſt, & eadem ratio, & cauſa æquitatis? Sed de ſecundo modo imponendi conuentionalem pœnam quæſtio agitatur.

Pars igitur negans ſuadetur primo: Quia niſi habeatur ratio lucri ceſſantis, vel damni emergentis, imponi videtur pœna pro ſolo metu, & periculo non recipiendi debitum tempore præfixo; atqui hoc capite nihil vltra ſortem exigi poteſt, vt oſtendit *Sotus 6. de iuſtit. & iure q. 4. ar. 1. Nau. in Man. cap. 23. n. 81. & Salon loc. cit. conc.* 1. ergo nefas erit eam apponere, & à fortiori exigere.

Suadetur ſecundo, quia inter mercatores, & exercentes contractus maximè obſeruanda eſt, & ſperanda æquitas. *l. Quintus*, vbi *Bartolus, ff. mandati*: repugnare autem æquitati videtur, vt creditori vbi ſibi nihil intereſt, nullumque damnum patitur, aut ceſſationem lucri, pœnam exigat à debitore ob moram. ergo non licet eam adijcere, & exigere, vbi nullum interuenit intereſſe.

Et confirmatur communi illo Iuriſtarum proloquio, In ſtipula-
5 tione prætoria † non exigitur pœna, ſi non intereſt. quod colligit ex *l. & ſi poſt tres, ff. ſi quis cauſa*: & *l. 2. in fine, ff. ſi quis in ius vocatus non ierit*. & videtur ſententia *Scoti 4. ſent. diſt. 15. q. 2. ar. 2. lit. O.*

His

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitum af-
6 firmatiuè, nimirum fas eſſe † Nicolao mutuanti pæna hac conuenta communire contractum mutui, vt metu illius tempore ſtatuto, curet Ludouicus mutuatarius mutuum reddere: quam ſi culpa ſua mutuatarius incurrat, ante Iudicis ſententiam in conſcientia tenebitur ſoluere creditori petenti, licet nullum interueniat intereſſe.

7 Dixi, ſi culpa ſua mutuatarius incurrat: quia non † debetur pæna, quando debitor implere non poteſt, ſiue per omnimodam impotentiam, iuxta communem, teſte *Nau. in Man. cap. 17. num. 215.* ſiue per moralem impotentiam, hoc eſt difficultatem tantam, vt creditor irrationabiliter inuitus circa impletionis dilationem cenſeatur: vt enim hæc difficultas excuſat à culpa, ita etiam à pæna debet excuſare, iuxta *cap. ſignificante, de pignoribus*, & *cap. cognoſcentes, de conſtitutionibus*, & *l. Traiectitia, ff. de actionibus, & obligationibus*.

Hæc reſponſio quo ad primam partem, ſcilicet, quòd liceat pænam conuentionalem imponere mutuatario, vt timore eam incurrendi ſtato die ſoluat, recipitur communiter à Doctoribus: ita enim ſentit *Io. Med. C. de rebus per vſuram acquiſitis, q. 3. Maior. 4. ſent. diſt. 15. q. 31. Almainus ibidem q. 2. Ang. ver. vſura 1. §. 31. Sylu. eodē ver. 1. q. 28. & 38. & ver. pæna, q. 25. §. 7. Conr. de contract. q. 31. conc. 3. Arag. 22. q. 78. ar. 2. in fine, Rebell. 2. par. de obligat. iuſt. lib. 8. de vſuris, q. 9. Salon loc. cit.* & ex Iuriſperitis *Iaſon in l. 2. §. item ſi in facto, ff. de verborum obligat.* cum multis alijs, quos refert *Salon loc. cit.* & his rationibus oſtenditur.

8 Tum quia vnicuique licet † non inire contractum, niſi de adimpletione eius reddatur ſecurus: hoc autem rectè, & commode fit per pænæ rationabilis impoſitionem. ergo hæc pæna licitè imponi poteſt. Dixi, per impoſitionem pænæ rationabilis: quia irrationabilis non debet imponi, nec exigi: vt ſi pæna cum re ipſa, vel culpa commiſſa proportionem non habeat, ſed immoderata ſit; vel ſi in fraudem vſuræ apponatur, vt eo ſcilicet prætextu vſura occultetur.

Tum quia quemadmodum licet mutuanti obligare mutuatarium

rium ad ſoluendum mutuum in tempore præfixo, ita quoque licet illi vti omnibus medijs licitis, & conducentibus in hunc finem, vt mutuatarius ſoluat in termino: nam cum ratio mediorum ſit ſu-
9 menda ex fine, cui licet † velle finem, licet etiam velle omnia media honeſta, & neceſſaria ad illum conducentia. Vnum autem ex medijs, quæ maximè conducunt ad hunc finem, vt debitor non ſit in mora, eſt imponere illi pænam, vbi in ea fuerit; frequenter enim, qui in ſoluendo eſſet moroſus, ne huiuſmodi pænam incurrat, diligentem ſe exhibet. Eſt etiam medium honeſtum, & iuſtum, cum illo vtantur paſſim Iudices, & leges, vt citius debitores ſuis creditoribus debita perſoluant. Ergo licitum eſt huiuſmodi pænam in hunc finem mutuatario imponere.

Tum demum, quia huiuſmodi pænæ ſolent multoties iuramento firmari: quod Prælati prohibuiſſent pro ratione ſui muneris, & officij, niſi pænè iſtæ iuſte imponerentur in eum, quem diximus finem.

10 Secunda pars huius reſolutionis, ſcilicet, mutuatarium † teneri in conſcientia ad illam pænam ſoluendam petente mutuatore, etiam ante Iudicis condemnationem, in qua maior eſt difficultas; (contrarium enim opinantur *Lopez lib. 2. de contractibus cap. 34. Arag. 22. q. 78. ar. 2. in fine, & Nau. in Man. cap. 23. n. 67. & 68.*) his argumentis munitur.

11 Tum quia pæna iuſtè impoſita, † ſi exigatur ab eo, à quo exigi poteſt, debetur illi in foro animæ: hæc autem pæna conuentionalis eſt iuſtè impoſita in punitionem moræ culpabilis: debitor,
12 enim, † qui eſt in mora culpabili, detinet alienum inuito domino, quod eſt quoddam genus furti; vnde iuſtè potuit imponi illa pæna in huius iniquitatis punitionem: & cum libere ſit promiſſa creditori à debitore, vi iſtius promiſſionis, & pacti poteſt ab eo iure exigi. Igitur debetur illi abſolutè, & ſimpliciter in foro animæ, etiam ſi non vocetur in iudicium debitor.

Tum quia ratio, quare ante ſententiam Iudicis non debetur pæna iudicialis, vel legalis, quæ pecuniariæ ſunt, vel de rebus
13 pecunia æſtimabilibus; conuentionalis verò maximè: † ea eſt, quòd hæc ex contractu debeatur, non autem illæ: mens verò contrahen-

trahentium eſt, vt ipſo iure tranſgreſſor ad pænam teneatur, ſub ea ſaltem conditione, ſi petatur; quando enim non petitur, cenſetur creditor illam remittere, & iuri quod in illam habet, cedere, conſentireque vt ſibi, licet alioquin debita, non ſoluatur.

Tum denique, quia ſicut Iudici exequenti legis pænam non licet reſiſtere, ita petenti pænam ex conuentione, & promiſſione, non licebit refragari. & ſicut Iudicis exequutio in lege pænali eſt
14 neceſſaria: ita in conuentionali pæna † petitio creditoris eſt expectanda, cum is, qui promiſit, iuſta coniectura præſumat, alterum nolle pænam recipere, ſi eam non petierit.

Hæc eſt ſententia *Couarru. de matrimonio, 2. par. cap. 6. §. 8. n. 11. Io. Medinæ, Salonis, & Rebelli locis citatis, Azorij 1. par. inſtitut. mor. lib. 5. cap. 8. q. 7.* nec non *Ancharani in reg. poſſeſſor, q. 3. de reg. iur. in 6.* quem referunt, & ſequuntur *Felin. & Decius in cap. 1. de conſtitutionibus.)* cuius ſententia dum aſſerit, pænam
15 conuentionalem † in foro conſcientiæ deberi, eſt intelligenda, ſi ab eo cui ſoluenda eſt petatur, vt explicat Couarru. & non limitanda, vt procedat ſolum in illis pænis, quæ in ſatisfactionem intereſſe debentur, vt limitat eam *Nau. in Man. cap. 23. num. 68.*
16 Eſt enim non parua differentia † inter pænam, & intereſſe; & ſolutionem pænæ, & ſolutionem intereſſe, vt videre eſt apud Medinam loc. cit. & Doctores alios. Nam in recompenſatione pro intereſſe agenda, nõ requiritur culpa recompenſantis, qualis requiritur in pæna conuentionali ſoluenda.

Neque obſtant huic noſtræ reſolutioni motiua *Nau. l. c.* Non quidem primum, vbi dicit, neminem quantumlibet iuſtum, & timoratum hanc pænam conuentionalem ſoluere niſi coactum. ergo ante ſententiam Iudicis non debetur.

Quia negatur eſſe neceſſariam coactionem in iudicio, ſi loqua-
17 mur in foro animæ: quia ſufficit, † vt petatur à creditore, licet non teneatur debitor ſolutionem pænæ vltro offerre, vt ſolutionem debiti principalis offerre debet.

Nec etiam obſtat aliud, cum dicit, viros honeſtos dedecere huiuſmodi pænam accipere, niſi quando ob intereſſe accipitur, *cap. ſuam ad nos, de pænis,* & *cap. fraternitas, 12. quæſt. 2.*

quamuis

quamuis ſtando in rigore iuris poſſit.

Quoniam etſi concedimus velle exigere huiuſmodi pœnam ſtatim poſt lapſum terminum præfixum ſolutionis, non decere virum honeſtum, quia ſic maximam offerret occaſionem ſuſpicandi, appoſuiſſe illam pœnam alteri in fraudem vſurarum; non tamen eſt verum poſt moram notabilem, puta poſtquam creditor expectauit aliquot dies, verbi gratia, viginti in circa, ſecundum *Mercatum;* quia decet pacta, & conuentiones honeſtas ſeruari. Et ad *cap. ſuam ad nos*, Dicendum cum *Rebello loc. cit.* Pontificem in illo cap. non prohibuiſſe Epiſcopo Spoletano, de quo ibi agitur, pœnam accipere, quaſi id Epiſcopum dedeceret; ſed ex eo quòd ſubreptitias litteras Apoſtolicas veritatem ſubticendo impetrauerit, totam ſcilicet pœnam in obligatione alioquin diuidua poſtulando, poſtquam maior pars ei fuerit perſoluta; acceperat enim triginta tres libras ex quadraginta debitis per condemnationem arbitrij, appoſita pœna triginta librarum; atque ob eam culpam Papa Epiſcopum talis pœnæ receptione punire noluit: nam antequam ea fraus Epiſcopi pateret, totam pœnam illi Summus Pontifex adiudicauit; quod tamen numquam feciſſet, ſi tales pœnas non poſſe recipi putaret.

Ad *cap. Fraternitas* dicendum in illo cap. haberi ſermonem de ſolutione furti, non de ſolutione pœnæ conuentionalis. Quæſierat enim Epiſcopus Anglorum à D. Gregorio, ſub quo augmento fures ea, quæ furto de Eccleſijs abſtulerunt, deberent reddere Eccleſiæ. & reſpondet, ſub nullo augmento: & à diuerſis non fit illatio.

Alia motiua *Nauarri* facile ſoluuntur, quia probant debito-
18 rem † non teneri ad offerendum vltro talem pœnam conuentionalem incurſam, & niſi à creditore petatur.

Nunc ſupereſt ſatisfacere argumentis adductis in principio contra primam partem noſtræ reſolutionis. Ad quorum primũ reſpondetur negatione antecedẽtis, ſeu Maioris propoſitionis: quia imponirur pœna in mutuo in caſu, de quo loquimur, non pro metu, vel periculo non recuperandi debitum: hæc enim per ſe naturam mutui conſequuntur, ſicut acceſſorium ſequitur naturam

ſui

Digitized by Google

ſui principalis: ſicut enim pro ipſa gratia mutuationis non licet vltra ſortem ratione mutui quicquam recipere, ita nec ratione talis periculi, quod mutuo ſuapte natura acceſſorium eſt: ſed
19 cauſa† cogendi debitorem ad obſeruationem contractus,ipſiuſq. culpabilem moram puniendi apponi debet.

Ad ſecundum reſpondetur negando minorem propoſitionem: non enim repugnat æquitati, imo eſt illi maximè conſonum, vt pacta, & conuentiones obſeruentur, potiſſimè inter mercatores, apud quos niſi in ipſorum factis, & contractibus ſumma obſeruetur fides, oportebit omnia commercia cum maximo Reipub. damno funditus perire.

Et ad confirmationem,reſpondetur illud commune Iuriſtarum proloquium, In ſtipulatione prætoria non exigitur pæna, ſi non
20 intereſt; † intelligendum eſſe de pæna legali, vel Iudiciali, minimè verò de conuentionali: cum pæna, ac ſtipulatio huiuſmodi à mera, & libera contrahentium voluntate proficiſcatur, conueniatque maximè æquitati, ac fidei humanæ initam conuentionem obſeruari.

SVMMARIVM.

1 *Indigens extremè, ſi occupauerat aliena antequam in extremam incideret indigentiam, tenetur ſatisfacere pro conſumptis alienis, cum ad pinguem fortunam deuenerit: at ſi in extrema neceſſitate acceperit, & conſumpſerit aliena, ſecus eſt.*

2 *In extrema neceſſitate omnia ſunt communia, & n. 9.*

3 *Extrema neceſſitas debitoris adueniens debitum antiqui non extinguit, & perimit, ſed ſuſpendit ad tempus. neque tollit iniuriam domino rei factam per iniquam rei acceptionem, & retentionem, quæ debet compenſari per reſtitutionem æqualis, & num. 5.*

4 *Extrema neceſſitas quandocumque adueniat, facit rem ad illius ſubleuationem neceſſariam, communem. Limita, quantum ad vſum, vt num. 5.*

6 *Qui de debitis aliquid egenti extremè elargitur, tenetur, ſi poſtmodum*

modum poterit, tantundem creditori reſtituere, non obſtante, quòd ob neceſſitatem pauperis id conſumpſerit.

7 *Obligatio reſtituendi accepta, adueniente neceſſitate extrema manet ſuſpenſa, & quaſi ſopita; ſed pingui fortuna accedente, quaſi reuiuiſcit, tolliturque dicta ſuſpenſio.*

8 *Qui non habet propria, vnde extremam neceſſitatem patienti ſubueniat, ſi aliena ad illi ſubueniendum accipiat, non tenetur ſic accepta reſtituere.*

10 *Sufficienter egenti extremè ſubuenitur per debitorem, ſi debitor nomine ſuo, non creditoris illi neceſſaria ſubminiſtret.*

CASVS XLIV.

OLYMPIVS habet multa bona, cuncta tamen, quæ poſſidet, ſunt reſtitutioni obnoxia; hic videns Amianum pauperem extremam, vel quaſi extremam neceſſitatem habentem, vt eius egeſtati ſubueniat, de illis aliqua dicto pauperi elargitur, cùm alia via præfatæ neceſſitati ſuccurrere non valeat. *Quæritur, an Olympius deobligetur à reſtitutione facienda in ea parte, quam huiuſmodi pauperi erogauit; an potius teneatur, cum ad pinguem deuenerit fortunam, tantundem reſtituere.*

Reſolutio huius caſus ex alterius quæſtionis ſolutione dependet, an ſcilicet ſi quis in extrema neceſſitate conſtitutus aliena conſumat, & poſt ad pinguem perueniat fortunam, teneatur pro conſumptis ſatisfacere: Nam ſi tenetur ſatisfacere pro conſumptis ab ipſo in tali neceſſitate exiſtente, ſimiliter debebit reſtituere elargita alijs eadem egeſtate detentis.

Ad quam difficultatem ſcitè reſpondet *Scotus* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 2. *ar.* 4. *in fine*, quem ſequuntur *Gabriel ibidem ar.* 2. *q.* 2. *conc.* 2. *Sylu. verbo reſtit.* 5. *q.* 2. *Io. Medina. C. de eleemoſina, q.* 5. *Sotus de*

iuſt.& iure lib.4. q.7. ar.1. ad 4. Salon 22.D.Thomæ q.62.ar.5. controu.10.Ludouicus Carbo,de reſt.q.81. conc.5. Greg.de Valent. tom.3. diſp.5.q.6. puncto 7. Petrus Nau. lib.4.de reſtit.cap.4.dub. 4.n.24. Sayrus in Claui regia lib.10.tract.5.cap.6.n.15. Azor.2. par.inſtit.mor.lib.12.cap.8.q.7. & nonnulli alij hic ab *Azorio* ad-
1 ducti, per hanc diſtinctionem: Quia vel talis indigens † occupauerat aliena antequam in extremam incideret indigentiam, & poſtea extrema ſuppreſſus egeſtate, illa conſumpſit: aut exiſtens in neceſſitate extrema accepit aliena,& conſumpſit. Si primum,non ſit à reſtitutione immunis. Si ſecundũ,non ſit reſtitutioni obnoxius. Et ratio eſt in promptu: Quia cum in extrema
2 neceſſitate † omnia ſint communia, tunc qui capit, nullum contrahit debitum. nihilominus ſi debitum erat contractum, non diſſoluitur præcedens vinculum reſtituendi,ſed manet: quoniam
3 extrema neceſſitas † debitoris adueniens debitum antiquum non extinguit, & perimit, ſed ſuſpendit ad tempus, vt ſit quaſi ſopitum,non peremptum: tantum enim concedit ei,vt rebus illis vtatur quamdiu indiget; non tamen liberat eum, quin quando poterit ſoluat debitum, quod ante contraxit.

Et confirmatur ex *cap. Odoardus, de ſolutionibus*, vbi habetur hic caſus expreſſus: ibi enim quidam clericus liberatur à debito ſoluendo, quod ante neceſſitatem contraxerat, cautione tamen data, vt ſi quando poterit, debitum perſoluat. Incidens igitur neceſſitas non liberat ab obligatione reſtitutionis debiti præcedentis.

Neque vrget inſtantia *Arag.22. q.32. ar.5.in fine*, quod neceſſitas extrema non minus operatur ſuperueniens rei alienæ iam acceptæ, quàm ſi tempore acceptionis exiſteret: ſed ſi tempore acceptionis exiſteret, non teneretur acceptor ad reſtitutionem, vt probatum eſt à nobis, & communiter conceditur. ergo nec ſi poſtea ſuperueniat. Et probatur Maior propoſitio: quia extrema
4 neceſſitas † quandocumque adueniat, facit rem illam ad illius ſubleuationem neceſſariam, communem, & ex conſequenti propriam accipientis, aut poſſidentis. Erit itaque eadem ratio,ſiue res illa ſit ſub poteſtate extremè indigentis, ſiue non.

Quoniam

Quoniam reſpondetur negando maiorem: quia ſi neceſſitas extrema tempore acceptionis exiſtat, tunc qui accipit, nullum contrahit debitum; nec ratione rei acceptæ, quia capit, quod eſt commune; nec ratione acceptionis, quia non eſt iniuſta: at extrema neceſſitas adueniens non tollit iniquam acceptionem præcedentem: & propterea debitum antiquum non extinguit, ſed ſuſpendit ad tempus. Et ad probationem, in qua dicitur, extremam neceſſitatem, quandocumque adueniat, facere rem ad illius ſubleuationem neceſſariam, communem; reſpondetur, verum eſſe

5 † quantum ad vſum: concedit enim eam patienti, vt re illa licitè vtatur, ac conſumat, ad ſuccurrendum ſuæ indigentiæ; ſed non tollere iniuriam domino rei factam per iniquam rei acceptionem, & retentionem, quæ debet compenſari per reſtitutionem æqualis.

His explicatis reſpondeo ad caſum propoſitum, Olympium,

6 qui de debitis † elargitus eſt aliquid Amiano pauperi, teneri, ſi poſtmodum poterit, tantundem creditori reſtituere, non obſtante, quòd ob extremam neceſſitatem pauperis id conſumpſerit.

Hæc eſt ſententia *Io. Medinæ loc. cit.* collecta ex præcedentis difficultatis ſolutione, & conſequenter opinio omnium aliorum Doctorum, qui in iam elucidata quæſtione fuerunt adducti: & probatur.

Tum quia in Olympio debitore reſtituendi obligatio nunquam fuit extincta, & perempta. Adueniente ergo ditiore fortuna reſtituere tenetur; cum maneat obligatio, & non excuſet impotentia. Antecedens probatur: quia iam erat in Olympio viua obligatio reſtituendi ea, quæ acceperat, ſeu quæ actu poſsidebat: & adueniente neceſsitate pauperis extrema, ob quam coactus fuit aliquid eidem elargiri, vnde manſit impotens pro tunc ad plenè

7 reſtituendum; fuit ſuſpenſa ad tempus, † & quaſi ſopita præfata obligatio, quæ tamen pingui fortuna accedente quaſi reuiuiſcit, tolliturque dicta ſuſpenſio.

Tum quia, ſi ipſemet Olympius, qui aliena poſsidet, ea in toto, vel in parte ſuæ propriæ indigentiæ ſubueniendo conſumat, tenebitur poſtea, cum ad pinguem venerit fortunam, tantundem reſtituere, vt oſtenſum eſt. ergo etiamſi ad alienam indigentiam

Digitized by Google

ſubleuandam conſumat, cum proſperam fortunam nactus erit, reſtituere tenebitur: non enim melioris conditionis eſt in ſecundo caſu, quam in primo.

Tum demum, quia ſi quis omnia quæ habet, mutuo acceperit, & de illis pauperi extremam neceſsitatem patienti largiatur, tenebitur tantundem mutuanti reſtituere, cum ad fortunam meliorem venerit, tum ex vi præcedentis contractus. Tum quia cum illius rei conſumptibilis habuerit dominium, conſequenter ſi illam pauperi in neceſsitate extrema conſtituto erogauit, rem, quæ ſua erat, licet debita, erogauit: igitur etiamſi omnia, quæ habet, furatus ſit, vt in caſu noſtro, reſtituere tenebitur; cum non deterioris eſſe debeat conditionis in primo caſu, quam in ſecundo: alias iniquitas illi quo ad hoc ſuffragaretur, nempe furtum, & rapina; quod non eſt dicendum.

8 Neque obſtat, ſi dicatur, ſi quis non habens propria, † vnde extremam neceſsitatem patienti ſubueniat, aliena ad illi ſubueniendum accipiat, non tenebitur ſic accepta reſtituere, vt conceditur communiter. ergo neque in caſu præſenti tenebitur reſtituere Olympius, qui non habens niſi aliena, de illis aliquid Amiano pauperi extremè indigenti elargitus eſt. Deducitur conſequentia; quia nihil videtur referre, aliena accipere, & aliena habita erogare, vt pauperi ſubueniatur; cum vtrobique ſit eadem ex parte pauperis indigentia, eadem illi ſubueniendi neceſsitas; & idem ex parte ſubuenientis defectus, cum nihil proprium habeat, eadem ex parte eiuſdem charitas, & miſericordia, eadem ad ſubueniendum obligatio; cum non ſit alius modus ſuccurrendi, quàm qui dictus eſt.

Nam reſpondetur, non eſſe eandem rationem de eo, qui exiſtente extrema neceſsitate pauperis accipit aliena, vt illi ſubueniat, ac de eo, qui de alioquin debitis eidem pauperi aliquid elargitur. Primus enim non tenetur accepta reſtituere; quia extrema neceſsitas fecit, vt non tam aliena, quam ipſius pauperis eſ-
9 ſent, quæ accepta ſunt, † cum neceſsitas hæc omnia faciat communia. At ſecundus, qui de debitis prius aliquid pauperi elargitus eſt, reſtituere tenetur tantundem; quia ante illam neceſsi-

neceſsitatem præceſſerat viua obligatio reſtituendi creditori.

Neque obſtat ſecundo, quòd ſi creditor, cui bona præfata erant reſtituenda, conſentiret in hoc, vt Olympius debitor de illis bonis pauperi diſtribueret, Olympius eſſet liber à debito reſtituendi diſtributum. igitur etiam erit liber, ſi creditor ſit abſens, ſeu ſi non actu conſentiat, cum conſentire deberet, ſi adeſſet, ſciens pauperis neceſsitatem extremam, nec eſſe alium modum, quo illi poſſet ſubueniri: in huiuſmodi enim caſibus idem operatur conſenſus debitus, quod elicitus, & actualis.

Quia reſpondetur, eſto in ſimilibus caſibus idem operaretur conſenſus debitus, ac elicitus: attamen in præſenti caſu creditor ille nec conſentit actu elicito, nec debito in hoc, vt debitor donet indigenti cum damno ipſius creditoris: conſentit autem actu debito in eo, quod eſt neceſſarium in caſu ad ſubueniendum pauperi: ad quod non requiritur, vt creditor conſentiat, quòd debitor nomine ipſius creditoris de debitis elargiatur, aut pauperi ſubueniat; qui conſenſus ſi adeſſet, releuaret debitorem à debito: ſed ſufficit, vt deobliget debitorem à debito ſibi ſatisfaciendi pro il-
10 lo tunc, non tamen pro quando poterit: ſufficienter † enim pauperi ſubuenitur per debitorem, ſi debitor nomine ſuo, non creditoris illi neceſſaria ſubminiſtret.

SVMMARIVM.

1 *Qui occidit inuaſorem pro defendendis proprijs bonis, non peccat, modo ſint alicuius momenti.*

2 *In eo, qui bona ſua defendens alium occidit, duplex effectus conſideratur, videlicet conſeruatio propriorum bonorum, & hominis interemptio: prior eſt intentus, ſecundus accidentarius.*

3 *Vnuſquiſque ius habet res ſuas defendendi.*

4 *Bona temporalia ſunt bona ordinata vt media ad conſeruationem vitæ, ſtatus, & honoris.*

5 *Ex ordine charitatis tenemur ad dilige͂dum magis vitam proximi, quam noſtras fortunas in caſu neceſſitatis; extra tamen illum maiorem curam habere quis debet rerum ſuarum ad ſuam,*

Digitized by Google

ſuorumq. vitam tuendam, & ad virtutem exercendam, quam vitæ alienæ.

6 *An verò, qui in bonorum ſuorum defenſionem occidit inuaſorem, in irregularitatem incurrat, partem negantem tenent Couarruuias, Petrus Nauar. & Sayrus: ſed affirmans eſt communis, & probabilior, n. 9.*

7 *Clericus occidens inuaſorem, vt ſe, ſuaque defendat, non eſt deponendus, cap. interfeciſti, de homicidio. explicatur verus eius ſenſus num. 12.*

8 *Qui occidit aliquem actione licita, id eſt dando operam rei licitæ, non fit irregularis. Hoc Iuriſtarum axioma limitatur num. 13.*

10 *In iure imponitur irregularitas contra omnes voluntarias occiſiones ſiue iuſtas, ſiue iniuſtas, à qua lege communi excipiuntur tantum, qui inuaſorem occidunt in defenſionem propriæ vitæ, quando aliter euadere non poſſunt.*

11 *In homicidio, ex quo contrahitur irregularitas, non attenditur, fuerit ne actus virtutis, vel vitij; ſed deficiat ne repræſentatio debita, ſcilicet lenitatis, & manſuetudinis Chriſti.*

14 *Homicidium biſariam poteſt eſſe volitum, vel directè, & per ſe, vt finis, & medium; vel indirectè, vt effectus ſuæ ſequutus: quod ſufficit ad irregularitatem cauſandam.*

CASVS XLV.

PETRVSPAVLVS inuaditur iniuſtè ab Octauiano, vt bonis ſuis ſpolietur, nec poteſt illa defendere, niſi occidendo, vel mutilando: interficit itaque Octauianum, & ita res ſuas conſeruat. *Quæritur, an Petuspaulus inciderit in irregularitatem.*

Notandum hic non quæri, an Petruspaulus peccet, ſi occidat inuaſorem pro defendendis proprijs bonis. De qua re quicquid ſentiant

ſentiant *Archid. & Panorm.* relati à *Sylueſtro verbo homicidiũ* 1.
*q.8. & Abul.cap.5.ſuper Matt. q.*11. & nonnulli alij; communis
1 opinio eſt, † illum non peccare, ſed licite poſſe in defenſionem
ſuorum bonorum temporalium,latronem interficere, modo ſint
alicuius momenti: nam pro re vili, nempe pro valore duorum
vel trium ducatorum, ſicut vitam periculo exponere delictum
eſſet, ita & alium occidere, vt aduertit *Aragon* 22.*q.*64.*ar.*7.

Et probatur quod pro defenſione rei magni momenti non
2 peccet Petruſpaulus inuaſorem occidendo. Quia in † eo,qui bo-
na ſua defendens alium occidit, duos effectus eſt conſiderare,
ſcilicet bonorum propriorum conſeruationem, & alienæ vitæ exi-
tium, quorum prior eſt intentus, & poſterior accidentarius: ſed
ille prior effectus intentus, a quo actio ſpeciem ſo,titur, nullam
3 præſefert rationem mali, cum vnuſquiſque † habeat ius res ſuas
defendendi, & inuaſor nullum ius iuſtitiæ habet res alienas acci-
piendi inuito domino; imò iniuſtè diripit. ergo fas eſt vnicuique
& conſequenter Petropaulo res ſuas defendere, etiam ſi ex hoc
per accidens alterius mors ſequatur.

4 Et confirmatur, quia bona externa,& temporalia † ſunt bona
ordinata vt media ad conſeruationem vitæ, ſtatus, & honoris.
ergo ſicut pro vitæ defenſione licitum eſt aggreſſorem occidere,
ita & fas erit eundem pro temporalium bonorum defenſione
interimere.

Nec valet inſtantia, ſi dicatur, ex ordine charitatis tenemur
ad magis diligendum vitam proximi, quam noſtras fortunas.
ergo nefas eſt pro noſtris fortunis ſeruandis adimere vitam
proximo.

5 Quia reſpondetur, illud eſſe verum in caſu neceſsitatis, † ex-
tra tamen illum maiorem curam habere quis debet rerum
ſuarum ad ſuam, ſuorumque vitam tuendam, & ad virtutem
exercendam, quam vitæ alienæ, iuxta *D.Thom.* 22.*q.* 64. *ar.* 7.
*Caietanum, Aragonem, & Salonem ibidem,ac Nau.in Man.c.*15.
*n.*2. & communem. At qui capit aliena titulo alio, quam neceſ-
ſitatis,non eſt poſitus in illa: vnde non tantum curam de eo quis
debet habere, ſicut de ſuis bonis.

6 Sed quæſtio hic agitatur de irregularitate, an ſcilicet, † qui in ſuorum bonorum defenſionem occidit inuaſorem, ſit irregularis: quæ quæſtio controuerſa eſt inter Doctores.

Et pro parte negante, quam amplectuntur, & tutari conantur *Couarru. cap. ſi furioſus, par. 3. §. vn. n. 6. de homicidio, Petrus Nau. de reſtitut. lib. 2. cap. 3. n.* 418. in quam inclinat *Sotus lib. 5. de iuſt. & iure, q. 1. ar. 8. & Sayrus in Theſauro caſuum conſcientiæ lib. 6. cap. 17. n. 22. & ſeqq.* Facit primo, *cap. interfeciſti, extra de*
7 *homicidio voluntario*, vbi habetur, † Clericum occidentem inuaſorem, vt ſe, ſuaque defendat, non eſſe deponendum, interpretatur Couarruuias, teſte Salone, nec excommunicatum, nec irregularem.

Secundo facit maxima illa communis inter omnes Iuriſtas,
8 quòd qui† occidit aliquem actione licita, ideſt dando operam rei licitæ, non contrahit irregularitatem: ſed qui occidit aggreſſorem in defenſionem bonorum ſuorum, tunc dat operam rei licitæ, igitur tunc non contrahit irregularitatem.

Tertio facit, quia irregularitas ex homicidio non contrahitur, niſi homicidium ſit voluntarium aliquo modo: occidens autem inuaſorem in defenſionem ſuorum bonorum, non occidit eum voluntariè; quia ſic occidens, cum vtatur debito moderamine, non vellet illum occidere: imo tale homicidium iuxta probabiliorem opinionem, neque eſt volitum vt finis, neque vt medium. ergo ex illo irregularitas non contrahitur.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitum
9 affirmatiuè, nempe PetrumPaulum, † qui in ſuorum bonorum defenſionem occidit inuaſorem, irregularem eſſe.

Hec eſt ſententia *Panorm. in cap. ſicut dignum, n. 14. de homicidio S. Anton. 3. par. tit. 4. cap. 3. §. vlt. in fine; Angeli ver. homicidium 3. n. 1. Sylu. ver. Bellum 2. n. 12. & ver. excommunicatio 6. n. 6. Tabienſis ver. irregularitas, §. 25. & §. vlt. Nau. in Man. cap. 27. n. 213. Salonis 22. D. Tho. q. 64. ar. 8. controu. 2. Aragonis ibidem dub. 1. Toleti lib. 1. inſtruct. ſacerd. cap. 80. n. 13. Gregorij de Valent. tom. 3. diſput. 5. q. 8. puncto 4. Simonis Maioli, de irregularitate, Martini à Ledeſma, Coſini Philarchi, Sebaſtiani Medices,*

coronæ

coronæ confeſſ. & aliorum ſuis locis, quos refert Sayrus loco ſupra citato; & probatur.

Tum quia ſicut non eſt ponenda irregularitas, niſi habeatur in iure, ita non eſt neganda, ſi exiſtat in iure; niſi quando aut per
10 aliud ius reuocatur, aut ſit aliqua exceptio: ſed in iure † imponitur irregularitas contra omnes voluntarias occiſiones ſiue iuſtas, ſiue iniuſtas, quod conſtat ex *cap. 1. de homicidio*, & ex notatis ibidem per Doctores, vt eſt videre in *in Sylueſt. ver. homicid. 3. q. 2.* à qua lege communi non excipiuntur in eodem iure niſi ij tantum, qui occidunt inuaſorem in defenſionem propriæ vitæ, quando aliter euadere non poſſunt, vt apparet ex *Clementina vnica, de homicidio*. Ergo in cæteris caſibus manet firmum ius in communi, & conſequenter Petruspaulus, qui occidit aggreſſorem non in defeſionem propriæ vitæ, ſed bonorum externorum, irregularitatem contraxit.

Tum quia irregularitas, quæ naſcitur ex homicidio, non eo contrahitur, quod tale homicidium ſit peccatum, ſed quia eſt voluntarium, vt in Iudice. ergo etiamſi fiat ſine peccato, modo ſit voluntarium, cuiuſmodi eſt homicidium Petripauli, irregularitatem inducit. Erit itaque Petruspaulus irregularis à iure, cum in eodem iure non excipiatur.

11 Tum quia in homicidio, † ex quo contrahitur irregularitas, non attenditur fuerit ne actus virtutis, vel vitij; ſed deficiatnè repræſentatio debita, ſcilicet lenitatis, & manſuetudinis Chriſti: ſed in quacumque occiſione deficit iſta repræſentatio lenitatis Chriſti, qui nullius ſanguinem fudit, nec occidit aut in iudicio, aut extra iudicium. ergo per quamcumque occiſionem contrahitur irregularitas ex defectu, cum non retineatur manſuetudo Chriſti, niſi in iure excipiatur; in quo tantum excipitur, quando fit in defenſionem propriæ vitæ, quam aliter tueri non licet: & conſequenter Petruspaulus, qui occidit inuaſorem pro defenſione bonorum, contraxit irregularitatem ex defectu.

Neque obſtant argumenta, quæ pro parte negante adducta ſunt. Nam ad primum reſponderi poſſet, verba illius textus intelligenda eſſe copulatiuè, ſi occidat in defenſionem ſui, & rerum

ſuarum,

ſuarum, itaut perſonæ periculum miſceri iacturæ rerum debeat, vt explicat *Couarru. loc. cit.* & refert *Petrus Nau. lib. 2. cap. 3. n. 395. & ſeqq.*

Verùm quia hæc expoſitio multis non placet, & meritò; quia tunc alterum ſine altero non ſufficeret, ſed ſimul cum alio, tantum verificaretur; vnde ſequeretur, quod ſi quis ob ſolam vitam tuendam occideret, irregularitatem incurreret, quod eſt falſum, vt ſupra oſtenſum eſt: Ideo melius videtur dicendum cum *Salone l. c.*

12 Depoſitionem † aliquid amplius continere, quam contineat irregularitas: priuat enim depoſitio vt docet *Maiolus lib. 3. de irreg. cap. 12.* & refertur in *Emanuele Sà in eius Aphoriſmis, verbo depoſitio*, honore, & dignitate, & non infligitur niſi ob crimen; irregularitas vero contrahitur etiam ſine peccato, vt patet in Iudice. Et textus ille non ait, vt non maneat irregularis, ſed vt non deponatur: quare factus eſt irregularis, vt dicit ibi Gloſſa, quia potius debuit dimittere ſua, quam illum interficere.

13 Ad ſecundum reſpondetur, Illam maximam eſſe veram † de homicidio caſuali, quando occidens dat operam rei licitæ, & adhibuit omnem diligentiam: at ſi homicidium voluntarium ſit, quamuis fiat actione licita, & debita, qui occidit contrahit irregularitatem.

14 Ad vltimum, Dico tale homicidium non eſſe volitum † directè, & per ſe vt finem, & medium; eſſe tamen volitum indirectè, vt effectum ſubſequutum: quod ſufficit ad irregularitatem, cum non excipiatur in iure: effectum inquam conſequutum bellum iuſtum, quo aggreſſus ſe tuetur, & ſine quo aliter ſe defendere non valuit, iuxta mentem *Caiet. & Salon. 22. q. 64. ar. 7 controu. 2. dub. vltimo.*

Hæc dicta ſint, ſalua, &c.

SVMMARIVM.

1 *In cap. conſuluit, de vſuris, Vrban. III. aſſerit cenſendum eſſe vſurarium eum, qui alias non mutuaturus, eo animo mutuat, vt aliquid vltra ſortem recipiat. Explicatur hæc Decretalis*

cretalis num. 15. *quòd loquitur de eo, qui non mutuaret, niſi ex mutuo aliquid ſperaret vltra ſortem recipere.*

2 *Qui eo animo mutuat, vt plus ſorte recipiat, alias non mutuaturus, planè ratione mutui incrementum quærit. Vera eſt propoſitio hæc ſi abſolutè ſumatur, ſed falſa ſi addatur, ex gratitudine mutuatarij, n.* 17.

3 *Mutuans abſque vlla labe vſuræ poteſt ita mutuare ſub ſpe recipiendi aliquod lucrum ex gratitudine liberalitateuè mutuatarij prouenturum, vt niſi illud ſperaret, non mutuo traderet.*

4 *Lucrum ex mutuo, ſeu in mutuo dupliciter poteſt intendi, vel vt debitum ratione iuſtitiæ, ſeu tamquam pretium, recompenſatioque mutuationis: vel vt debitum ex beneuolentia, vel gratitudine.*

5 *Spes lucri duplex, principalis, & ſecundaria, ſiue minus principalis: & quæ vtraque.*

6 *Reijcitur expoſitio Syluestri de ſpe lucri principali.*

7 *Cauſa ſine qua non, poteſt eſſe minus principalis.*

8 *Clerico licet ita diſtributiones expetere, vt niſi ei eſſent conferendæ, non iret ad chorum.*

9 *Lucrum aliquod ex gratitudine, expectare eſt conditio honeſta, & poteſt actioni liberæ mutuationis apponi, ſicut cauſa determinãs.*

10 *Licitum eſt ſpe amicitiæ alicui mutuare.*

11 *Mutuanti ſperare licet à mutuatario id, quod iure naturali ei debet, nempe antidoralem remunerationem.*

12 *Nullus patitur iniuſtum volens.*

13 *Seruiens Epiſcopo ita, vt non ſeruiret illi, niſi expectaret ab eo beneficium, non in mercedem, & ſtipendium ſui ſeruitij, & obſequij, ſed ex beneuolentia, & gratitudine, non eſt ſimoniacus.*

14 *Mutuum date, nihil inde ſperantes, Luc.* 6. *Intelligitur (inde) hoc eſt ex mutuo: at ex amicitia licet ſperare. Vel (inde) ideſt ex mutuo principaliter, & immediatè.*

16 *Lucrum vt pretium, & vt debitum ex mutuo intendere, animi vſurarij eſt.*

18 *Confeſſarij diligentes eſſe debent in examinandis intentionibus pænitentium.*

19 Mutuans,

19 *Mutuans, qui de animo mutuatarij dubitat, num ex liberalitate, an inuoluntariè lucrum tribuat, peccatum vſuræ committit, ſi animo retinendi cum tali dubio recipiat.*

CASVS XLVI.

QVINTILIVS nummorum indigens centum aureos à Franciſco mutuo petit: hic ſciens Quintilium ſolere gratum eſſe de beneficio accepto, libenter ei mutuat centum abſque pacto tacito, vel expreſſo quidquam accipiendi vltra ſortem, ſperans tamen ſe inde aliquod lucrum reportaturum, quod niſi intenderet, minimè mutuaret. *Quæritur, an hic contractus ſit licitus, vel vſurarius.*

Hic caſus difficillimus eſt, & plurimum faciens ad conſcientias fidelium, qui fuit propoſitus Vrbano III. vt patet in *Decretali, conſuluit*; ſed non fuit aperte deciſus: reſpondit enim ibi Papa ita obſcurè, vt adhuc inter Doctores ſit maximè controuerſus: nec pro vtraque parte deſunt argumenta.

Pro parte negante, ſcilicet quod non ſit fas Franciſco lucrum ſperare ſiue ex mutuo, ſiue ex amicitia, & gratitudine, maximè quando alias non eſſet mutuaturus, facit primo illud *Lucæ 6. Mutuum date, nihil inde ſperantes*; vbi Chriſtus omnem ſpem, & intentionem lucri prohibet, & condemnat: delictum autem, quod in his verbis Chriſtus prohibet, eſt vſura: ergo iſta ſpes eſt vſuraria, & mutuatio cum tali ſpe peccatum vſuræ.

1 Secundo facit *cap. conſuluit, de vſuris*, vbi Papa ait, quòd † qui non alias mutuo traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, vt licet omni conuentione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat, pro huiuſmodi lucri intentione, quam habet iudicandus eſt malè agere. Conſtat autem, quòd nulla alia malitia hic interuenit, quàm deſiderium recipiendi aliquid vltra ſortem ex mutuo: quod pertinet ad vſurariam prauitatem.

Tertio

Tertio facit *Canon, ſi fæneraueris*, 14. *q*. 3. qui canon ſumptus eſt ex *D.P.Aug.in Pſal.* 36. vbi ait, *Si fæneraueris homini, id eſt mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid pluſquam dediſti expectes accipere, ſiue pecuniam, ſiue triticum, ſiue vinum, ſiue oleum, ſiue quodlibet aliud; fænerator es, & in hoc improbandus.*

2 Quarto facit: quia ille † qui eo animo mutuat, alias non mutuaturus, planè ratione mutui incrementũ quærit: & cum mutuum ſit nullius valoris, ſed gratis dandum, ſequitur iniuſto, imò nullo titulo lucrum deſiderare, quod vſurariæ mentis eſt.

His tamen non obſtantibus reſpondemus ad caſum affirmati-
3 uè, nempe licere Franciſco mutuanti † aliquod lucrum ſperare, ſeu intendere ex gratitudine, liberalitateuè Quintilij mutuatarij proueniens, ita vt niſi illud ſperaret, non mutuo traderet.

Pro cuius reſolutionis intelligentia antequam ad probationes accedamus, obſeruandum eſt primo cum *Caiet. tom.* 2. *opuſc. tract.* 8. *q.* 2. *de vſuris, & Rebello lib.* 8. *de obligat. iuſtitiæ, q.* 3. *de*
4 *vſuris*: Dupliciter poſſe † lucrum ex mutuo intendi. Primo quaſi debitum ratione iuſtitiæ, ſiue tamquam pretium, recompenſationemque mutuationis. Secundo tamquam ex beneuolentia, vel gratitudine debitum: ex honeſtate enim quadam morali tenetur mutuatarius ad antidoralem remunerationem, ideſt gratiam exhibendam.

Aut iuxta aliorum diſtinctionem, quæ tamen cum priori coincidit, eamque magis declarat, poſſe lucrum intendi ex mutuo vel immediatè, vel mediatè: ita ſcilicet, vt mediante beneuolentia, quæ ex mutuo immediatè intenditur, mediatè intendatur ex eodem mutuo lucrum, liberaliter videlicet omnino dandum.

Ad quas diſtinctiones reducitur etiam illa alia *Caiet.* 22. *q.* 78.
5 *ar.* 1. *in ſolutione ad* 4. de duplici ſpe, † principali ſcilicet, & ſecundaria, ſeu minus principali, ſi iuxta expoſitionem eiuſdem *Caiet.* accipiatur: vt ſperare principaliter lucrum ex mutuo, ſit intendere illud quaſi debitum ex vi mutui, ſiue tamquam pretium mutuationis; quod nefas eſt: at ſperare ſecundario nihil ſit propter mutuum expectare, ſed ex gratitudine mutuatarij, quod
6 licet: & non ſecundum explicationem *Syluestri*, † qui vtens eadem

diſtinctione

diſtinctione *ver. vſura* 1. *q.* 1. aſſerit illam ſpem, & intentionē eſſe principalem, ſine qua mutuans non mutuaret; illam minus principalem, ſine qua nihilominus mutuaret, etiamſi tale lucrum non ſperaret. Quæ expoſitio meritò ferè ab omnibus reijcitur:
7 cum cauſa † ſine qua non, vt oſtendemus ſtatim, poſſit eſſe minus principalis.

Vnde obſeruandum eſt ſecundo, cum *Salone* 22. *q.* 78. *ar.* 2. *controu.* 1. quod in his, quæ nec pretio æſtimantur, nec pretio facienda ſunt, & quæ poſſumus agere, vel non agere, vt ſunt omnes actiones liberæ, tuta conſcientia poſſumus lucrum, & vtilitatem honeſtam ita expetere, vel ſperare, vt parati ſimus ea interueniente actiones illas præſtare, ea verò deficiente omittere: nec propterea tale lucrum, ſiuè vtilitas ita à nobis expetita, vel expectata, eſt cauſa propria efficiens, vel obiectum noſtræ actionis, ſed velut cauſa determinans, & ſine qua non. Verbi gratia: Quia Conuentui Monialium liberum eſt hanc puellam in Monialem recipere, vel non; & ad ſuſtentationem eius (non pro ingreſſu Religionis) honeſtum eſt exigere, & accipere aliquam dotem, poteſt à Conuentu apponi hæc conditio, tamquam honeſta, ſuſcipiam illam, ſi tradiderit hanc dotem.

Similiter cum ſit liberum Clerico adire chorum, vel domi ſuæ recitare Officium diuinum; & accipere diſtributiones ad propriam
8 ſuſtentationem, ſit actio honeſta, licet † ei ita iſtas diſtributiones expetere, vt niſi ipſi eſſent conferendæ, non iret in chorum: quia ipſe non expetit illas, vt pretium Diuini officij, neque in Officio habet illas pro fine, & cauſa præcipua; imò potius Dei cultum, & gloriam; ſed ſunt ſicut cauſa determinans, cur Officium illud, quod domi ſuæ recitare poterat, recitet in choro: vnde eſt velut conditio appoſita actioni liberæ, quæ cum ſit honeſta, modo explicato, apponi potuit.

Sic cum mutuare ſit opus liberum, & intendere, vel ſperare lucrum ſecundum ſe non ſit malum, niſi vitietur ex modo, quo intendatur haberi, puta ſi intendatur ex vi mutui, ac propter ipſum
9 mutuum: imò expectare † aliquod lucrum ex gratitudine, ſit conditio honeſta, poteſt actioni liberę mutuationis apponi ſicut cauſa determi-

determinans, cur huic mutuet,& non illi; & conſequenter quis poteſt ita mutuare ſub hac ſpe, vt ea deficiente non mutuaret.

Hoc ipſum ſentit etiam *Caiet. loco ſupra cit. in reſponſione ad* 4. vbi dicit, quod remuneratio ſperata non eſt ratio quod mutuet, ſed vt conditio quare magis mutuet huic, quam illi: quia iſte gratus eſt, ille vero non.

His poſitis probatur prima pars noſtræ reſponſionis ad caſum propoſitum, nempe licere Franciſco mutuanti lucrum aliquod ſperare ex gratitudine Quintilij mutuatarij prouenturum.

10 Tum quia licitum eſt † cuilibet ſpe beneuolentiæ, & amicitiæ alteri mutuare, cum amicitia non ſit pretio æſtimabilis: ergo licitum erit recompenſationem ex tali amicitia prouenturam ſperare: cui enim licitum eſt radicem deſiderare, licitum & fructus inde producendos, & euenturos ſperare,& conſequenter lucrum ex amicitia, & gratitudine mutuatarij.

11 Tum quia licitum eſt Franciſco mutuanti † ſperare à mutuatario id, quod iure naturali ei debet; huiuſmodi autem eſt remuneratio gratuita, omni pacto exteriori ſecluſo. Nam ſicut mutuans duo mutuatario præſtitit, & pecuniam, & beneficium: ita pariter mutuatarius duo ei debet, nempè pecuniam pro pecunia, & pro beneficio antidoralem remunerationem. Illam ex iuſtitia, & obligatione ciuili; hanc ex ſola honeſtate, & gratitudine. Ergo licet Franciſco mutuare ſub ſpe alicuius lucri,& remunerationis antidoralis ex gratitudine auxilij mutuatarij prouenturæ.

Tum quia vſura eſſentialiter eſt iniuſtitia, & furtum,vt omnes fatentur: impoſſibile eſt autem alicui iniuſtitiam illatam eſſe in eo, quod ille libenter, & ſponte dat, iuxta illud commune proloquium, & axioma omnium Philoſophorum, & Theologorum,

12 *Nullus† patitur iniuſtum volens:* ergo impoſſibile eſt ibi eſſe animum vſurarium, vbi lucrum ex amicitia, & liberalitate ſperatur.

Hæc eſt aperta ſententia *D.Thom. in quæſt. de malo quæſt.* 13. *ar. vlt. ad* 13. vbi docet licere mutuanti ſperare aliquid ex gratitudine recipiendum. Et 22.*q.*73.*ar.*2.*in corp. quæſt.* affirmat licere mutuanti recipere donum aliquod gratuitum: quia ante mutuum poterat illud recipere, & poſt mutuum non eſt peioris

condi-

conditionis. ergo ſi licet recipere, licet & ſperare. Eandem ſententiam videntur apertè habere *Arag.loc.cit. D.Thom.ar.*1.ac ſimiliter *Salon controu.*1*.conc.*2*. &* 4. nec non *Caiet.ar.*1*. in ſolutione ad* 4*.Almayn.in* 4*.diſt.*15*.q.*2*.Gabr.eadem diſt.q.*11*.Mart.Nau. in Man.cap.*17*.n.*209*.Petrus Nau.de reſtit. lib.*3*. cap.*2*.n.*197*. & ſeqq.Rebellus loc.cit. Tolet in inſtruct.confeſſ.lib.*5*.cap.*29*.n.*3*. Lopez par.*2*. inſtruct. conſc.cap.*54*.q.*4*.Ioſeph Angles in floribus in* 4*.ſent.par.*2*. quæſt.de contractu mutui ar.*2*. conc.* 2*. Angelus ver. vſura* 1*.q.*2. & ex Canoniſtis fere omnes.

Secunda pars, ſcilicet quod Franciſcus abſque vlla labe vſuræ poſſit non mutuare, ſi ſpes recipiendi aliquod lucrum ex gratitudine mutuatarij deficiat, probatur contra *Sylu.ver.vſura.*5*.q.*1.

Tum quia ex ſecunda obſeruatione poſita, in actionibus liberis ita licet apponere conditionẽ honeſtam, vt ea deficiente non fieret talis actio: mutuatio autẽ eſt actio libera; & expectare aliquod lucrum ex gratitudine, eſt conditio honeſta. ergo licet ita ſub hac ſpe mutuare, vt ea non exiſtente mutuum illud non exhiberetur.

Tum quia quod eſt vſura in mutuo, eſt ſimonia in beneficijs &
13 in rebus ſpiritualibus: at ſi famulus Epiſcopi † ſic eſſet affectus, vt non ſeruiret illi, niſi expectaret ab eo beneficium, non in mercedem, vel ſtipendium ſui ſeruitij & obſequij, ſed ex beneuolentia, & gratitudine, non eſſet ſimoniacus. ergo ſimiliter qui ita mutuaret ſub ſpe lucri non ex mutuo, ſed ex amicitia, & gratitudine mutuatarij, vt aliter non mutuaret, non eſſet cenſendus vſurarius.

Tum demum, fingamus poſtulare à Franciſco mutuo duos illius vicinos Gregorium, & Hieronymum centum aureos; Franciſcum verò mutuare illos Gregorio, quia nouit futurum ſibi gratum, minimè vero Hieronymo, quia nouit illum ingratum; certè in hoc caſu nullus condemnabit Franciſcum iniquitatis, vel vſuræ, imò potius commendabit quilibet eius prudentiam, & æquitatem; oppoſitum enim agere rectæ rationi repugnaret. Non itaque nefas erit ita cum ſpe lucri ex gratitudine mutuare, vt niſi illam haberet Franciſcus, non mutuaret. Hæc eſt ſententia vtriuſque *Nau. Salonis, Caiet. & aliorum loc. cit.*

Neque obſtant argumenta pro parte negante à principio adducta,

ducta, quæ facile ex dictisſoluuntur. Ad primum enim reſpon-
14 detur auctoritatem illam *Lucæ 6.*† qua iubentur mutuum dantes nihil inde ſperare, ſic exponendam eſſe, inde, ideſt, ex mutuo, ſiue ratione mutui, quod concedimus. non tamen ſequitur, quod non liceat aliunde ſperare lucrum aliquod, nempe ex amicitia, & gratitudine.

Vel dicendum, lucrum in mutuo, ſeu ex mutuo dupliciter ſperari poſſe, aut principaliter, & immediatè, ideſt ex obligatione ciuili: aut minus principaliter, & ſecundario, ideſt ex amicitia, & gratitudine. Auctoritas *D. Lucæ* intelligitur primo modo, non ſecundo.

Ad ſecundum ſumptum ex *cap. conſuluit,* Reſpondetur quòd
15 ibi dicuntur malè agere, † qui non mutuarent, niſi ſperarent recipere aliquid vltra ſortem ex mutuo, ideſt ratione mutui, & tamquam pretium, & recompenſationẽ mutuationis, quod concedimus; non tamen malè agunt qui mutuantes, vltra ſortem aliquid ſperant ſe recepturos ex beneuolentia, & gratitudine mutuatarij, vt in caſu noſtro. Loquitur enim ibi Pontifex de eo, qui corru-
16 pta mente lucrum † vt pretium, & vt debitum ex mutuo intendit: quod animi eſt vſurarij. Et quod hæc fuerit mens Pontificis, ex litera eiuſdem textus colligitur ſufficienter: dicitur enim in fine illius, quòd accipientes tali intentione, ad reſtitutionem efficaciter ſunt inducendi: at ſi loqueretur de acceptis ex vera voluntate, & gratitudine dantis, nequaquam id ſubiungeret: nam reſtituendum id eſſe, nullus dixit, cum nullus ſit læſus.

Ad tertiũ, videlicet ad *cap ſi fœneraueris,* reſpondetur eadem diſtinctione, quòd intelligitur eſſe fœnerator, & improbandus, qui mutuans, pluſquam dedit expectat accipere ex mutuo, ſiuè ex vi mutui; non tamen ſi deſiderat, & ſperat aliquid accipere, non ex obligatione ciuili, & tamquam debitum propter mutuum, ſed ex beneuolentia, & gratitudine mutuatarij.

17 Ad quartum reſpondetur, quod † ſi Maior illa propoſitio, in qua dicitur, ille qui eo animo mutuat, alias non mutuaturus, planè ratione mutui incrementum quærit, abſolutè accipiatur, vera eſt: quia ſic ſonat ſpem mutuanti ineſſe, vt ex mutuo aliquid ha-

beat vltra ſortem, quod eſt iniquum: ſed in caſu noſtro ſpes non ſumitur abſolutè, ſed additur ex gratitudine Quintilij mutuatarij, cum qua determinatione falſa eſt dicta Maior.

18 Aduertant tandem confeſſarij † circa determinationem huius caſus, quòd niſi diligentiſſimè examinent pœnitentium intentiones, vix diſcernent, quando mutuantis intentio feratur in lucrum ratione mutui, vel ratione beneuolentiæ: ſimiliter difficile percipient, quando mutuatarius ex liberalitate, & gratitudine; aut inuoluntarie mixtè propter verecundiam, aliamuè cauſam lucrum concedit. Coniectura tamen facienda erit, tum ex re data; tum ex qualitate perſonæ, ſi nimirum pauper erat, vel diues; liberalis, aut auarus. Item ex modo dandi, & alijs circumſtantijs.

19 Quando tamen mutuans de animo mutuatarij dubitat, † an ex liberalitate, aut inuoluntarie lucrum tribuat, peccatum vſuræ committit, ſi animo retinendi cum tali dubio recipiat: quia vel iniuſtitiam committit, vel periculo peccandi ſe exponit: obligandusque erit ad reſtitutionem, niſi poſtea ex liberalitate donatum eſſe conſtet.

SVMMARIVM.

1 *Fama proximi quibus modis læditur.*

2 *Modus, quo reficere debet famam proximi, qui falſum crimen ei impoſuit.*

3 *In reſtitutione famæ non licet mentiri.*

4 *Modus reſtituendi famam in reuelatione occulti criminis ſecundum S. Thom. D. Anton. & Scotum, non videtur nunc ſufficiens apud mediocriter eruditos.*

5 *Modus etiam reſtituendi famam in eodem caſu ſecundum Caiet. Nau. & Sotum eſt apud doctos, & prudentes inſufficiens.*

6 *Modus alius Cani, Salonis, Petri Nauarri, Sayri, & Bartholomæi Medinæ reſtituendi famam, non videtur conueniens, videlicet affirmando ſe falſum, & mendacium dixiſſe, & num. 7. & 18.*

8 *Modus aptus reſtituendi famam, cum quis verum crimen alterius*

rius iniuſtè reuelauit, eſt per amphibologiam, & quæ amphibologia aptior videtur, & n. 10. & 15.

9 Dixi falſum, aut mendacium, de eo qui verum dixit, verificari non poteſt in ſenſu aliquo recepto. Sed bene, ego ſum deceptus, inueni me fuiſſe mendacem.

11 Quicumque male agit errat, & proinde decipitur.

12 Vti licet verbis æquiuocis, & ambiguis, quando oportet cælare veritatem, modo ſenſus in quo illa proferuntur, ſit verus, exemplo Chriſti, & D. Franciſci.

13 Propoſitio illa Marci 13. De die autem illo nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, quomodo vera.

14 Mendax non ſignificat eum qui mentitur; ſed qui mentiri ſolet, aut certe peccatorem.

16 Renouare in memoriam delictum proximi ſimpliciter, eſt malum; ſed optimum, & vtile reuocare illud in memoriam vna cum reſtitutione famæ.

17 Deceptio, qua aliquis à ſeipſo decipitur ſine culpa, & mendacio dicentis, quando alteri vtilis eſt, ipſi verò decepto nullum infert incommodum, moraliter eſt bona, & deſiderari poteſt.

19 Detractor tenetur etiam ad reſtitutionem damni temporalis, ſi quod cauſa illius iniuriæ paſſus eſt infamatus.

CASVS XLVII.

RVTILIVS reuelauit quoddam occultum Gregorij delictum nonnullis ſuis amicis, vnde exiſtimatio integritatis, & honeſtæ eius vitæ grauiter offenſa eſt, ac fama notabiliter læſa. Cumq. manifeſtum ſit, detractorem ad reſtitutionem ablatæ famæ teneri, & omnes alij modi reſtituendi apud peritos, & ſapientes videantur inſufficientes: *Quæritur, an præfatus Rutilius infamator poſſit, & debeat ijs, quibus occultum crimen Gregorij iniquè*

reuelauit, affirmare ſe falſum. & mendacium dixiſſe, vt hoc modo reſtituat.

Infamatorem commodiori, aptiorique poſſibili modo reſtituere, reſarcireque debere proximi famam per detractionem læsã, & denigratam, nemo eſt, qui dubitet: eſt enim in bonis tempora-
1 libus poſt vitam præcipuum. Læditur autem fama † proximi duobus modis, tum quando falſo ei crimen imponitur, tum cum occultum eius crimen detegitur, ſed contra ius; idque etiam bifariam: aut in iudicio, cum in iudicium crimen defertur ab accuſatore, quod probare non poteſt: (de quo alias aliquid actum eſt, ſcilicet in reſolutione Caſus XLVI.) aut extra iudicium, cum in priuatis colloquijs occultum fratris delictũ panditur: expoliatur enim tunc proximus ſua fama iniquè, cum ad illam habeat ius, quamdiu ipſius delictum occultum, & ſecretum eſt. Qui primo
2 modo fratrem ſuum infamat, † ſcilicet falſum crimen ei imponendo, communi omnium Doctorum ſententia ad canendam palinodiam tenetur, aſſerendo videlicet ſe mentitum fuiſſe, aut ſaltem dixiſſe mendacium, idque ſi opus erit, iurando coram illis, apud quos proximum diffamauit, cum homines procliuiores ſint ad credendum mala, quam bona. Sed qua ratione reficienda ſit fama proximi, cum verum illius crimen, ſed ſecretum, iniuſtè detegitur, de quo in præſenti caſu quæritur; hoc opus, hic labor eſt, perquam difficile eſt determinare. Vnum tamen hac in re
3 certum eſt, non licere † Rutilio infamatori in famæ reſtitutione mentiri. Eſſet enim hoc ipſum mendacium, quod pro totius mundi ſalute neutiquam dicendum eſt. Controuerſum autem maximè, qua forma reſarcire famam læſam poſſit, & debeat. De qua tres præcipuos modos dicendi inter alios inuenio.

Primus eſt *D.Thom.22.q.62.ar.2.ad 2.& 4.ſent.diſt.15.q.2. ar.5.ad 2.Scoti eadem diſt.q.4.§.de ſecundo Gabr.diſt. ead. q.16. ar.2.conc.3. Angeli verbo detractio num.3. & Sylu. eod. ver. q.4. D.Anton.2.par.tit.2.cap.4.§.2.& aliorum Doctorum antiquorum,* qui aiunt Rutilium infamatorem debere adire eos, apud quos delictum Gregorij occultum propalauit, & affirmare ſe malè, & per-

peram

peram illud dixiſſe, & iniuſtè proximum diffamaſſe: nam verum in hoc dicit; contra iuſtitiam enim manifeſtauit.

4 Hæc tamen reſtituendi forma † quoad rudes, & ſimplices vtilis interdum eſſe poterit, qui hoc audito credent Gregorium nil tale commiſiſſe: quo ad acutos verò,& doctos non ſolum inutilis, ſed ſæpe perniciosa erit, magiſque infamiam confirmabit, vt aduertit *Caietanus in ſua ſummula, verbo reſtitut. cap. de modo reſtituendi, & 22.quæſt.62.ar.2.circa ſolutionem ad 2.in fine. Sotus lib. 4. de iuſtit. quæſt. 6. ar. 3. ad 4. Aragon 22. quæſt.62. ar.2.circa ſolutionem 2.arg.Nau.in Man.cap.18.num.45. Rebelli de obligat. iuſtitiæ lib.4.quæſt.10.& Azor.3.par.inſtit.moral.lib. 5.cap.9.quæſt.7.*

Idem iudicium eſt de illis formis, vt ſi dicat, in hac re errani, non mihi credatis; aut ſi dicat, in hac re ſtultè & ignoranter ſum locutus. Parum enim apud aſtutos, & mediocriter eruditos hæc prodeſſe ſolent: Quia cum tales ſciant eum, qui falſum crimen alteri impoſuit, teneri ad ſeipſum retractandum, & affirmandum ſe eſſe mentitum,eo ipſo quòd vident Rutilium infamatorem nec ſeipſum apertè retractare, nec affirmare ſe eſſe mentitum; ſed ſolum ſe malè, & iniuſtè feciſſe, ac perperam dixiſſe,quod de Gregorio dixit, firmius credent verum eſſe crimen illud, quod antea de illo retulerat.

Quare ſecundus dicendi modus eſt *Caietani, Soti, Nauarri,& Aragonis loc.cit.* quibus ſubſcribit *Graffius lib.2. deciſ.aurearum, cap.138.n.7.* qui docent,reſtitutionem ſic faciendam eſſe,vt Rutilius, qui Gregorium infamauit, non amplius de illa re apud eoſdem ſuos amicos loquatur, aut apud alios, ſed pro occaſione, & opportunitate etiam quæſita,bonam exiſtimationem Gregorij vbique, ſcilicet apud eoſdem, & alios, quo ad fieri poterit, citra mendacium diſpergat, & inducat, laudando ſæpius virtutes,quas habet,dicendo, quòd credit ipſum bonum virum, & alijs perſuadendo, vt pro tali habeant, & familiariter, & amicè cum eo agendo.

Certè ſi humana ingenia ea eſſent, vt per honorificam mentionem Gregorij omnis ſiniſtra opinio,quam de illo conceperant

ob reuelationem criminis, ex eorum animis recederet;optimus, eſſet hic ſecundus modus reſtituendi famam. Sed experientia te-
5 ſte † non tollitur opinio de vitio,& peccato diuulgato ex eo,quòd alias ab eodem laudetur & commendetur, vt conſtat.

Denique eſt tertius dicendi modus eorum, qui volunt reſtitutionem hanc faciendam eſſe per conuenientes amphibologias, quibus homines decepti conceptam infamiam deponant. Vti enim licet amphibologia, quando oportet cælare veritatem.

Vnde *Melchior Canus,& Magiſter Manſius*,quos refert, & ſequitur *Michael Sal.*22.*q.*62.*ar.*2.*cont.*15.*Bartholomæus Med. de inſtructione confeſſorum lib.*5.*cap.*14.§.33. *regula* 4.*Petrus Nau. lib.*2.*de reſtitut.cap.*4.*n.*383.*& Sayrus lib.*11.*clauis regiæ,cap.*4. *n.* 24. *& ſeqq.* aſſerunt huiuſmodi infamatorem poſſe, & deberè ijs,quibus occultum crimen Gregorij reuelauit, affirmare ſe falſum, & mendacium dixiſſe. Quam opinionem, vt probent, diſtinguunt prius de duplici falſo,& mendacio,ſpeculatiuo ſcilicet, & practico: quorum primum conſiſtit in diſſonantia rei ad intellectum: vnde intellectus intelligens, aut iudicans aliter, quam res eſt,fallitur. Secundum vero,ſcilicet falſum practicum, conſiſtit in diſſonantia rei, ſeu actus ad voluntatem recta ratione gubernatam, & conuenit cum appetitu prauo; in quod falſum inclinat imprudentia, vt *Ariſt.* teſtatur *6. ethic cap.* 2. Qua diſtinctione poſita ſic ſuam ſententiam probant.

Sicut infamatus habet ius ad petendum à ſuo infamatore vt reſtituat ſibi famam commodiori via, qua poſſit: ita infamator tenetur omni modo vtili, & licito famam illi reſtituere: ſed hic reſtituendi modus,dicendo ſcilicet ſe protuliſſe falſum, & mendacium, & vtilis, & licitus eſt; vtilis quidem, quia audientes infamatorem talia aſſerentem, credent certiſſimè illum eſſe mentitum, & impoſuiſſe illud crimen Gregorio: vnde malam opinionem de Gregorio conceptam deponent. Licitus verò, quia ſic dicendo, non mentitur Rutilius, verificatur enim de falſo practico; nam quodcumque opus, vel dictum iniquum, & contra rectam voluntatem,rectamque rationem,dicitur falſum practicum, ac mendacium, vt vtamur voce ſcripturæ: *Hieremiæ* enim 8. dicitur,

Digitized by Google

citur, *A Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium*, ideſt peccatum, *& iniquitatem*. Rutilius itaque infamator hoc modo, cum ſit vtiliſſimus ac licitus, debet reſtituere.

Hanc tamen reſtituendæ famæ formam, quam hi Doctores acutè, & diffusè nimis perſuadere conantur, & quæ mihi, vt verum fatear, aliquando placuit, nunc re diligentius conſiderata
6 non exiſtimo conuenientem: † quia amphibologia talis eſſe debet, vt in aliquo ſenſu ſit locutio vera, & vſu recepta. At in caſu
7 ſi Rutilius affirmat ſe † falſum dixiſſe, & mendacium, in nullo ſenſu eſt vera locutio; non quidem ſi intelligatur de falſo ſpeculatiuo, vt apertum eſt, & ipſi concedunt. Neque eſt vera, & propria locutio, ſi ſumatur pro falſo practico: quia ſic accipiendo falſum, & mendacium, non dicimus, dixi falſum, ſed feci falſum. vnde artifex dicitur facere falſum opus, cum deficit ab operatione artis, *D. Thom. 1. par. q. 17. ar. 1.* vt ait *in corp.* Neque dicimus, dixi mendacium, ſed feci mendacium, vt conſtat ex verbis Sacræ Scripturæ: nam loco citato Hieremiæ 8. dicitur: A Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium, hoc eſt peccatum, & iniquitatem, non cuncti dicunt mendacium. Idipſum conſtat de vero practico, ideſt de opere ſecundum virtutem: Nam nec de eo dicimus, dixi verum, ſeu veritatem; ſed feci veritatem. vt *Ioan. 3. Qui facit veritatem*, ideſt bona opera, *venit ad lucem*.

Reiecta igitur hac opinione, cum non nitatur ſolido fundamento, reſpondendum cenſeo ad caſum propoſitum negatiuè, nempe, fas non eſſe Rutilio, qui occultum Gregorij crimen reuelauit, affirmare ſe falſum, & mendacium dixiſſe; poſſe tamen ve-
8 rè aſſerere † quando Gregorium diffamaui, ſiue hoc, & illud de eo dixi, putabam me verum dicere; ſed re melius inſpecta, & conſiderata, inueni me fuiſſe deceptum, & mendacem fuiſſe. Quæ eſt ſententia *Rebelli lib. 4. de obligat. iuſtitiæ, q. 10. & Azorij 3. par. inſtitut. moral. lib. 1. cap. 9. q. 7.* & nonnulorum aliorum vera, & paucioribus difficultatibus expoſita.

Cuius reſponſionis prima pars iam eſt ſufficienter probata ratione, qua Cani, & Salonis opinionem refellimus. Nam cum in
9 aliquo ſenſu recepto † verificari non poſſit propoſitio hæc, dixi

T 4 falſum,

falſum, aut mendacium, de eo qui verum dixit, videlicet nec de falſitate enũciationis,nec de falſitate practica operationis,ſequitur,quòd non liceat Rutilio reſtituere famam Gregorio,aſſerendo ſe falſum,& mendacium dixiſſe: quia hæc verba nihil aliud ſignificare videntur, quam ipſum fuiſſe mentitum,ſiue formaliter, ideſt cum intentione lædendi famam notabiliter, ſiue materialiter tantum.

Secunda pars probatur: quia iſtius modi verba ſunt æquiuoca;
10 non enim ſignificant † ſecundum intellectum proferentis (quicquid ſit de intellectu audientium) Rutilium detractorem fuiſſe mentitum, quod eſt falſum; ſed erraſſe, imprudenterque egiſſe,
11 qui ſenſus eſt verus: nam quicumque male agit, † errat, imprudenterque agit, iuxta illud *Prou.* 14. *errant omnes, qui operantur malum*, & proinde decipitur. Verè igitur poteſt dicere ſe eſſe deceptũ,etiamſi audientes concipiant illũ fuiſſe mentitum:vti enim
12 licet†verbis æquiuocis,& ambiguis, quando oportet cælare veritatẽ,modo ſenſus in quo illa proferuntur,ſit verus. Quod edoce-
13 mur exemplo Chriſti aſſerentis per amphibologiã *Marci* 12.†*De die autem illo nemo ſcit,neque Angeli in cælo,neque filius*, ſubintellecta illa particula,ad reuelandum;& *Io.*7. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego enim non aſcendam ad diem feſtum iſtum*,ſcilicet manifeſtè, particula ſubintellecta in mente Chriſti,qui quaſi in occulto poſtea aſcendit. Edocemur etiam exemplo D.Franciſci, qui rogatus, quà perrexiſſet quidam homicida, qui iuxta eum tranſierat; manus per manicas immittens reſpondit, non tranſiſſe illac, intelligens non tranſiſſe per illas manicas, vt refert *Nau.*
14 *in Man. cap.* 12. *n.* 8. Item mendax † non ſignificat eum, qui mentitur, ſed eum, qui mentiri ſolet, vel qui eſt ad mentiendum propenſus, aut certè peccatorem. ergo ſimiliter verè poteſt dicere ſe eſſe mendacem: idque poterit iuramento firmare; cum verè ſcriptura teſtetur, *Pſal.* 115. *Omnis homo mendax*.

Quod ſi quis obſtet, neque hunc modum reſtituendi famam eſſe ſufficientem, præſertim ſi cum callidis, vel his, qui hunc modum reſtituendi per amphibologias iam audierunt, res agatur.

Reſpondetur in primis hunc modum reſtituendi non poſſe negari

15 gari † eſſe vtiliſſimum ignorantibus hanc Theologiam, ad quod genus hominum maxima pars pertinet: quia facilè credent, (quod infamator debet optare) ipſum eſſe mentitum, & Gregorium nil tale commiſiſſe. De Theologis verò eſto ita ſit, non poteſt amplius quicquam Rutilius reſtituere: ad impoſſibile verò, aut ad malum, nemo obligatur.

Poſſet etiam dici, quòd etſi per huiuſmodi amphibologiam interdum non ſufficienter infamiam deterget: ſæpe tamen fiet, vt ſaltem ex parte ita eam imminuat, vt ex prima opinione iam leuis ſuſpicio euadat: atque adeo ſi exhibitionem laudis adiungat, vel plena, vel quaſi plena compenſatio erit.

Si autem obſtet ſecundo, quòd hoc modo læditur denuo fama proximi, quod non fit illo modo reſtituendi, quem docent *Caietanus*, *& Sotus*, & eorum ſectatores: quia iuxta modum *Caietani* nulla mentio fit peccati, quod fuerat detectum: iſto autem modo reuocatur in memoriam delictum detectum, cuius erant fortè alij omnino obliti.

16 Reſpondetur, reuocare in memoriam delictum † proximi ſimpliciter malum eſſe: reuocare verò illud in memoriam vnà cum reſtitutione famæ modo poſſibili, eſſe optimum, & vtile honori proximi.

Quòd ſi inſtes, Decipientur, qui auditis huiuſmodi verbis credent Gregorium nil tale commiſiſſe: in nullo autem caſu licet aliquem decipere.

Reſpondetur verum eſſe in nullo caſu licere aliquem decipere, ſed in caſu noſtro talia audientes non decipiuntur à Rutilio, qui ita famam reſtituit, cum in vero ſenſu verba illa proferat, ſed à

17 ſeipſis, qui illa in alio ſenſu accipiunt: deceptio † autem, qua aliquis à ſe ipſo decipitur ſine culpa, & mendacio dicentis, quando alteri vtilis eſt, ipſi vero decepto nullum infert incommodum, etſi ſpeculatiuè aliquid mali habet, tamen moraliter eſt bona, & deſiderari poteſt: ſicut omnis ignorantia ſpeculatiuè habet aliquid mali: multæ verò ſunt ignorantiæ, quæ moraliter ſunt bonæ, & honeſtæ.

Demum non obſtat, quòd videatur durum, & rigidum obligare

hominem,

hominem, qui verum dixit, ad proferendum verba, quibus iudicetur mendax; nam præſertim apud viros illuſtres eſt notabiliſſima infamia haberi pro mendace.

Quia reſpondetur, Nos in præſentia tantum docere hunc reſtituendi modum eſſe vtilem & licitum, nec in eo eſſe mendacium, & quando fuerit neceſſarium, obligatorium. Num verò infamator teneatur vti huiuſmodi verbis, quando ipſe periculum ſubit maioris infamiæ, vt contingit viro illuſtri, eſt alia quæſtio, quæ in poſterum agitabitur.

Argumenta verò *Melchioris Cani, Michaelis Salonis, Bart. Medinæ, & Sayri*, quatenus militant contra hanc noſtram reſolutionem, facilè ſoluuntur ex fundamento, & ratione, qua illū mo-
18 dum dicendi reiecimus: confundere † enim videntur dicere, & facere: quare de falſo, & mendacio practico negatur poſſe dici, dixi mendacium: aut dixi veritatem de vero practico, ſed ſolū de ſpeculatiuo, de practico vero, feci mendacium, & feci veritatem.

Aliæ autem opiniones, quatenus probant illo, & illo modo poſſe fieri reſtitutionem, non ſunt contra noſtram reſolutionem: quoniam illæ non negant infamatorem aptiori, vtiliorique modo poſſibili reficere debere proximi famam ob detectionem occulti criminis vulneratam, dummodo infamator non mentiatur: & ſalua veritate, hic vltimus modus reſtituendi famam videtur potior, & vtilior, & addit ad alios modos.

Tandem aduertimus in præſenti caſu nos ſolum eſſe loquutos de reſtitutione famæ, non de damno temporali ex infamia ſecuto: quia ſi cauſa illius iniuriæ aliquam iacturam ſuorum bonorum fecit infamatus, verbi gratia ſi quis ob crimen ſibi falſo impoſitum, aut contra iuſtitiam reuelatum perdidit beneficium, vel officium aliquod, vel quodpiam temporale bonum, tenetur detra-
19 ctor † ad reſtitutionem illius damni in integrum: qui enim cauſam damni dat, ipſum damnum dediſſe videtur, & ſic obligatur ad illius reſtitutionem. Quæ ſententia eſt communis Doctorum. *Aragonis, & Nau. loc. cit. Salonis ſimiliter loc. cit. controu. 20. Petri Nauarri lib. 2. de reſtit. cap. 4. num. 384. & Toleti lib. 5. inſtruct. confeſſ. cap. 69. n. 1.*

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Reus legitimè, & ſecundum iuris ordinem interrogatus tenetur ſub reatu peccati mortalis veritatem fateri, quamuis ob id ſit morte plectendus.*

2 *Subditus tenetur ſub mortali obedire in rebus grauibus mandatis licitis, & honeſtis ſui ſuperioris.*

3 *Iudici licet exigere veritatem à reis, & teſtibus per tormenta, quando alijs vijs tentatis, nolunt illam ſponte fateri.*

4 *Reus interrogatur ſecundum iuris ordinem, quando tria concurrunt, & quæ ſint iſta tria.*

5 *Nemo tenetur legi obtemperare ante ipſius promulgationem.*

6 *Confeſſarius iuſtè reo abſolutionem negat, ſi nolit retractare dictum ſuum, veritatemque fateri Iudici iuridicè interroganti. Neque fit irregularis, ſi reus morte plectatur; quia verum crimen illius ſuaſione Iudici aperuit.*

7 *Nullus perſeuerans in actu peccandi eſt ſacramentaliter abſoluendus.*

8 *Nemo in irregularitatem, quæ contrahitur ob licitam hominis occiſionem incurrit, niſi ad illam dederit cauſam propinquam, & ex natura ſua in illam directam.*

9 *Neque vllus eam contrahit ob opus, quod non poteſt ſine peccato ommittere, ſaltem quantum ad vſum ordinis accepti.*

10 *Homines non ſunt compellendi ad actus heroicos, & difficiles. limita, vt n. 11.*

12 *Præceptum humanum aliquando poteſt obligare cum periculo vitæ, quando illud cedit in bonum commune.*

13 *Mentiri aliquem ad cauendum mortem ſibi, vel alteri, non eſt mortale, ſi fiat ſine alterius iniuria; ſed officioſum mendacium; ſecus autem, ſi fiat cum iniuria alterius, nempe Iudicis, partis læſæ, teſtium, &c.*

14 *Confeſſarij caueant, ne reos vitam, aut animam perdere faciant.*

CA-

CASVS XLVIII.

SIMON crimen morte plectendum commiſit, qui captus, & à Iudice iuris ordine ſeruato interrogatus negat veritatem, etſi per legitimos teſtes eſt conuictus: & cum quæſtiones, & tormenta Iudex minitetur, timens ne in illis extremum vitæ diem conficiat, accerſit confeſſarium, cui aperit ſe metu mortis verum negaſſe crimen. *Quæritur, an confeſſarius teneatur illi abſolutionem negare, ſi nolit retractare dictum ſuum: vel fiet irregularis, ſi eius ſuaſione reus crimen in iudicio fateatur.*

Duo in hoc caſu petuntur: quorum primum eſt, an reus, ſi iuridicè interrogatus metu mortis negauerit veritatem, cogere illum poſſit confeſſarius per abſolutionis denegationem ad retractandum dictum ſuum, delictumque Iudici aperiendum.

Secundum, an ſi ſuaſione confeſſarij reus verum crimen per legitimos teſtes iam probatum, in iudicio fateatur, & merito eiuſdem confeſſionis in mortem rapiatur, confeſſarius irregularitatem incurrat; eam ſcilicet, quæ ex homicidio licito contrahitur.

Quoad primum ſuppono tamquam certum ex communi Do-
1 ctorum ſententia, quemlibet reum † legitimè, & ſecundum iuris ordinem interrogatum, teneri ſub reatu peccati mortalis veritatem fateri, quamuis ob id ſit morte plectendus: ita docet *D.Thom.22.q.69. ar.1. Caiet. Bañes, Aragon, & Salon ibidem. Angelus verbo, confeſſio delicti, Sylu. ver. confeſſio criminis, q.1. Sotus lib.5. de iuſt.q.6.ar.1. & ar.2. conc.5. in fine,* & *de tegendo ſecreto, memb.2.q.7. conc.1. Gabr.in 4.diſt.15 q.6.ar.2. conc.6. Nau.in Man.cap.18.n.17.& cap.25.n.36.Tolet.lib.5. inſtruct. ſacerdo.cap.58. Sayrus in claui regia lib.12.cap.16.n.1. & Beia 1.par.reſpon.ad caſus, caſu 32.& alij.*

Proba-

Digitized by Google

Probatur hæc veritas primo ex ſacris literis: Nam *Eccleſiaſt*.4. dicitur, *Pro anima tua*, ideſt, vt vites peccatum mortale, *ne confundaris dicere verum*. & *Ioſue* 7. dicitur ab ipſomet Duce Achan interrogante, *Fili mi, da gloriam Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas*. Ex quo loco conſtat, iuridicè interrogatum reſpondendo veritatem, dare gloriam Deo, & mereri: è contra vero negantem, & abſcondentem peccatum, quando iuridicè rogatur, facere contra Dei gloriam, & peccare mortaliter.

Probatur etiam rationibus: tum quia qui à proprio Iudice, ſeruato iuris ordine de crimine aliquo interrogatur, niſi illi veritatem aperiat, agit contra iuſtitiam: quoniam non ſeruat alteri ius ſuum: Iudex enim habet ius interrogandi ſubditos ſuos iuxta ordinem iuris de eorum criminibus; quo iure expoliat illum, qui iuridicè interrogatus, non confitetur ei veritatem, & conſequenter agit contra iuſtitiam: qui autem agit contra iuſtitiam, lethaliter peccat: ſumitur enim omne peccatum mortale ex duplici radice, nempe vel quia repugnat charitati, vel quia repugnat iuſtitiæ.

2 Tum quia inferior, ſeu ſubditus † tenetur ſub mortali obedire in rebus grauibus mandatis licitis & honeſtis ſui ſuperioris, iuxta illud, *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit; & qui poteſtati ſuperioris*, ſcilicet iuridicè procedentis, *reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. In hoc autem caſu, vt ſupponimus, Iudex iuſtè, licite, ac iuridicè procedit. igitur illi interroganti tenetur ſubditus obedire ſub peccato mortali, cum ſit in re graui.

3 Tum demum, quia licet Iudici † exigere veritatem à reis, & teſtibus per tormenta, quando alijs vijs tentatis, nolint illam ſponte fateri, vt habetur 5.*q*.5. *can. illiqui*, & eſt *Euſebij Papæ in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ*. Atqui nequaquam Iudici liceret tormentis veritatem exigere à negantibus in iudicio, niſi peccatum mortale eſſet eam cælare, aut falſum dicere; & eò grauius, ſi id fiat adhibito iuramento: quia tunc ſuperadditur circumſtantia periurij contra virtutem religionis, vt ait *Gab.loc.cit.conc.* 2.*& Sot.de rat.teg.ſecr.loc.cit.conc*.2.

4 Secundo

4 Secundo ſuppono, reum tunc interrogari † ſecundum iuris ordinem, vt teneatur fateri veritatem, quando hæc tria concurrunt.

Primum, quòd interrogans ſit verus & legitimus eius Iudex: vnde qui aliquo priuilegio exempti ſunt, ſi interrogentur à Iudice non competente, non tenentur veritatem fateri: vt ſi clericus interrogetur de crimine à Iudice ſeculari.

Secundum, quod delictum ſit probatum plenè, vel ſaltem ſemiplenè, hoc eſt ſaltem per vnum teſtem oculatum, & omni exceptione maiorem, vel per indicia illi teſti æquipollentia, aut per infamiam plenè probatam.

Tertium, vt probatio ſit iam poſita in proceſſu, & ſit notificata reo, quo videat ſe ad obediendum mandato Iudicis teneri, ſecundum *D.Thom. & Caiet. 22.q.69.ar.1. & 2. & Salonem ibidem ar.2.controu.2. conc.2. Sayrum in claui regia lib.12. cap.16. n.5. & 8. Nau. in Man. cap.18.n.57. & cap.25.n.35. & 36.* Et probatur

5 ratione: Nam ſicut nemo tenetur † legi parere ante ipſius promulgationem: ita nullus tenetur parere, vbi contra ſe agitur, niſi ſibi conſtet eum, qui iubet, eſſe Prælatum ſuum, & iuſtè præcipere. Et colligitur ex *cap. quando, verſ. Non tibi dico, vt te prodas, de pœnit. diſt. 1.*

His ſic declaratis, reſpondeo ad caſum propoſitum, Confeſſa-

6 rium iuſtè Simoni † abſolutionem ſacramentalem negare, ſi nolit retractare dictum ſuum, veritatemque fateri; quam ſi conſilio, & mandato Confeſſarij, Iudici aperiat, licet merito talis confeſſionis morte plectatur, non proinde confeſſarius fiet irregularis.

Primum membrum huius reſolutionis probatur: Quia nullus

7 perſeuerans † in actu peccandi eſt ſacramentaliter abſoluendus: atqui Simon ſecundum ordinem iuris interrogatus (vt ſupponitur) perſeuerans in neganda veritate, ſeu in animo negandi, perſeuerat in actu peccati; cum talis negatio veritatis ſit peccatum mortale, vt oſtenſum eſt. ergo in tali ſtatu Simon non eſt abſoluendus: imò ſi de facto abſoluatur, committitur ſacrilegium; quia impœnitenti huiuſmodi ſacramentum confertur; abſolutioq. inualida eſt: quia datur venia non merenti, *cap. peccati venia, de reg. iur. lib.6.* Hæc eſt ſententia *Soti de ratione teg. ſecr. mem. 2. q.7.*

conc.3

conc.3.Nau.in Man.cap.25.n.36.Barth.Med.in inſtruct. confeſſ. lib.1.cap.14.§.35.Salon.2.2.q.69.ar.2.controu.10.conc.3.Arag. ibidem, Sayri in claui regia lib.12. cap.16.n.12.dub.4. Graffij lib. 5. conſil.de ſententia excom.conſ.1.nu.19. Beiæ 1.par. reſponſ. ad caſus, caſu 32. Azor.3.par. inſtitut. moral. lib.13.cap.15.dub.5. Io.Bapt.Corradi 1. par. reſponſ. q.26.

Secundum membrum etiã probatur, ſcilicet quòd confeſſor in caſu irregularitatẽ non incurrat. Quia nullus incurrit irregulari-
8 tatem,† quæ contrahitur ob deformationem,ſeu occiſionẽ hominis licitam, niſi ad illã dederit cauſam propinquam, & ex natura ſua in illam ſufficienter directam: at confeſſor, qui non vult abſoluere reũ,niſi fateatur crimen, de quo iuridicè interrogatur,non dat ad talem occiſionem cauſam propinquam, nec ſufficienter ex ſua natura ad eam directam, ſed facit opus, ad quod iure diuino tenetur. Non itaque irregularitatem incurrit; ſicut nec qui Iudicem aliquem conſtituit, aut ei cauſam criminalem committit.

9 Confirmatur, quia nemo irregularitatem contrahit † ob opus, quod non poteſt omittere ſine peccato, ſaltẽ quantum ad vſũ ordinis accepti: huiuſmodi eſt confeſſor,qui monet reũ, vt confiteatur delictum plenè probatum,ex quo ille ad mortẽ condemnatur; non itaque fit irregularis, ſicut nec qui conſulit alteri, vt pro fide Chriſti, & Eccleſia exponat ſe mortis periculo, etiamſi ſciret indubitanter eſſe illi mortem infligendam. ita habet *Innoc.& Ioan. Anania,cap.Ad audientiam, & Prapoſ.can.1.diſt.50.nu.30.* imò & pro patria: quia ſic conſulens non conſulit mortem directè,ſed indirectè, & per accidens in re iuſta, & honeſta.

Hæc eſt ſententia ferè omnium Doctorum modò prænominatorum, præcipue *Nau.in Man. cap.27.nu.211. Corradi, Graffij, Beiæ loc.cit.Sayri de cenſuris, lib.6.cap.18.nu.26. Emanuelis Sà in Aphoriſmis confeſſ.ver.Irregularitas,1.n.10.& ver.Irregularitas ex deformatione licita nu.4.*

Neque obſtat, ſi contra præfatam reſolutionem dicatur, quòd
10 homines non ſunt † compellendi ad actus heoricos, & difficiles: reum autem confiteri delictum cum euidenti diſcrimine vitæ, eſt actus reuera heroicus, & difficillimus. Confeſſarius igitur non debet

debet eum ad hanc confeſſionem per negationem abſolutionis compellere, & obligare.

11 Nam reſpondetur, actus heroicos duplices eſſe. † Aliqui ſic dicuntur, quia ſunt difficiles, & ardui, ſed debiti; vt pati martyrium, quando cauſa fidei exigit: benefacere inimicis tempore neceſſitatis, &c. & ad hos caſus homines ſunt compellendi. Alij dicũtur actus heroici, quia difficiles, ſed non debiti, ſed ſub conſilio tantum; vt obſeruare virginitatem, renunciare omnibus, obedire vni homini. Fateri veritatem, in caſu noſtro eſt actus heroicus primo modo, & in præcepto, vt conſtat: & ideo ad confeſſionem illius poteſt compelli reus iuridicè interrogatus.

Quod ſi dicas, lex humana, & præceptum humanum non obligat cum periculo vitæ: ergo

12 Dico primo, aliquando tale præceptum † poſſe ſic obligare, quando illud cedit in bonum commune.

Dico ſecundo, reum in hoc caſu teneri ad confitendum veritatem lege naturali, & diuina.

Neque vrget tertio, ſi dicas, nemini negandam eſſe abſolutionem ob ſolum peccatum veniale, cum pœnitens poſſit etiam illud non confiteri: at in caſu noſtro reus negando veritatem pro defenſione propriæ vitæ, peccat ſolum venialiter, quia officiosè mentitur: quoniam ſicut mendacium officioſum eſt, quando aliquis mentitur, vt alium à morte liberet, *cap. Ne quis arbitretur*, 22.*q*.2. ita mendacium officioſum eſt, quando aliquis mentitur, vt ſe à morte protegat: quia plus ſibi tenetur, quam alteri: mendacium autem officioſum connumeratur inter peccata venialia, *cap. primum*, 22.*q*.2.

13 Reſpondetur, quòd cum quis mentitur, † vt aliquem a morte liberet ſine iniuria alterius, eſt mendacium officioſum; at ſi mentitur cum iniuria alterius, vt alium, vel ſe à morte protegat, non eſt mendacium ſimpliciter officioſum, ſed habet aliquid de pernicioſo admixtum: vt contingit in caſu, in quo reus iuridice interrogatus, mentiendo nocet Reipub. cui expedit, vt puniantur delicta; Iudici, cui obedire tenetur, dum ſibi denegat, quod ei debet, ſcilicet confeſſionem veritatis; accuſatori, & teſtibus, propter

ſcanda-

ſcandalum, quod generat, & calumniam quam eis infert.

Demum admonendi ſunt hic confeſſarij, cum ſimilis caſus eis
14 contigerit, vt ſint cauti, † ne abſoluant reos, qui iuridicè interrogati, nolunt reſpondere, & manifeſtare veritatem, vel confitentur propoſitum habere non manifeſtandi; neque etiam cogant ipſos verum propalare, cum contra iuris formam interrogantur. Itaque diligenter conſiderent, ne præcipiendo confiteri inducant reum in iacturam corporis, & non præcipiendo in iacturam animæ. *Sotus de iuſt. lib. 5. q. 6. ar. 2. Nau. Graſſius, Beia, & Io. Baptiſta Corradus locis vltimo citatis.*

Hæc dicta ſint, ſalua ſemper meliori ſententia.

SVMMARIVM.

1 *In foro exteriori, & contentioſo, ſi debitor reſtituat creditori ſui creditoris, poteſt hic cogere ipſum debitorem, vt ei, quod debet, iterum reſtituat.*

2 *Quando quod debetur, non eſt idem numero, ſed ſpecie, & valore reddendum, tunc ſecluſa omni fraude, & damno primi creditoris, ſoluens debitum creditori ſui creditoris, immunis eſt à peccato, & liber in conſcientia à reſtitutione, & n. 11.*

3 *Qui ſoluit debitum creditori ſui creditoris, facit id, quod ſuus creditor facere debuiſſet, remque eius vtiliter geſſit, & num. 4.*

5 *Soluens debitum ſui creditoris nulli facit iniuriam, nec defuncto, nec eius hæredibus.*

6 *Per ſolutionem debiti factam creditori creditoris omnia ad æqualitatem ſunt redacta, ſumpta ſecuritate, quod ſecundus creditor non aget contra priorem.*

7 *Soluens debitum creditori ſui creditoris, iure naturæ videtur ſuccedere in actione, quam ſecundus creditor contra primum habebat.*

8 *Debitor, & creditor creditoris debitoris poſſent ita inter ſe conuenire, & paciſci, vt ipſe debitor decem aureos daret huic vltimo creditori pro decem, qui ei debentur a ſuo creditore.*

9 *Soluere creditori debitoris, in effectu eſt dare debitori & n. 13.*
10 *In depoſito fidelitas tanta ſeruanda eſt, vt ex tacita conditione nec compenſationem admittat: in reliquis verò debitis realibus eiuſdem rationis licita eſt compenſatio.*
12 *In reſtitutione, quæ fit occultè domino ignorante, creditori debitoris, non eſt verè coactio, quæ pertinet ad Iudicem.*

CASVS XLIX.

STEPHANVS debebat Thadæo ſcuta decem, quæ clam ab eo abſtulerat, & totidem debebat Thadæus Sabino: ſed Sabinus ob defectum probationis non poterat iuridicè, nec alia via ſua decem ſcuta recuperare. Defunctus eſt Thadæus, cui Stephanus decem debebat: Stephanus autem ſciens Thadæum tantundem Sabino debere, ſoluit Sabino ſcuta decem, quæ Thadæo debebat. *Quæritur, an Stephanus potuerit tuta conſcientia hoc facere, maneatq. à reſtitutione liber?*

Inter alias cauſas, quę aliquando à reſtituendi obligatione debitorem liberare poſſunt, aut liberare videntur, hæc vna eſt, ſolutio debiti facta creditori creditoris, quæ ſi fiat de conſenſu creditoris, nihil habet dubitationis, quin ipſum & à culpa, & à reſtitutione liberet. Solum igitur dubitationē affert, an idem dicendum ſit, quando abſque ſui creditoris conſenſu, aut eo inſcio, & inuito debitor id fecerit. In quo caſu non loquimur in foro exteriori, &
1 contentioſo; nam in eo foro † dubium non eſt, quin primus creditor cogere poſſit debitorem, vt ei, quod debet, iterum reſtituat: ſed in foro animæ, in quo ſolum res eſt controuerſa; an ſcilicet ſoluendo vni, quod alteri debetur ſine eius conſenſu, ſecluſa omni fraude, iniuſtitia, & ſcandalo, liberetur debitor à culpa, & reſtitutione. Dixi, *ſecluſa omni fraude, & iniuſtitia:* quia ſi fiat in frau-

in fraudem primi creditoris, & immediati, aut in eius damnum, tunc ita ſoluendo peccat, & tenetur de damno dato, vt de ſe patet: quale eſſet, ſi iterum exigeretur ab eo debitum in iudicio, vel extra.

Et pro parte negante, quod Stephanus tuta conſcientia non potuerit decem, quæ debebat Thadeo, ſoluere Sabino creditori Thadæi, quam *Ludouicus Carbo*, *tractatu de reſtitutione q.* 85. *dub.* 1. & quidam alij, vt refert *Io. Medina C. de rebus reſtituendis, q.* 3. *cauſa* 5. tenent, ac defendere conantur; Facit primo, quia id quod debetur vni, non poteſt iuſtè ſolui alteri, *cap. Ea te, de iure iurando*, maximè ſine domini conſenſu; alioqui licet depoſitario verbi gratia, vel ei, cui ego equum meum commodaui, illum tradere alteri creditori, cui ego aliquid debeam: quod certè abſurdum videtur. ergo & id, ex quo deducitur, abſurdum eſt.

Secundo facit: quia ſi Stephanus, quod debet Thadæo, ſeu eius hæredi, poſſet licitè Sabino ſoluere, ſimiliter iuſtè poſſet ſi nil deberet Thadæo, ſciens, quod Thadæus debeat Sabino, bona Thadæi clam, aut palam accipere, vt Sabino daret, quod illi per Thadæum debitum eſſe ſcit: quod eſt falſum.

Tertio facit, quia cum Stephanus ſoluat Sabino inuito domino, vis illa, quæ ibi adeſt, non poteſt fieri ſine culpa; non enim eſt priuatæ perſonæ quempiam ad iuſtitiam conſeruandam cogere. peccat igitur Stephanus ita ſoluens.

Demum facit: quia qui ab aliquo pecunias accipit, implicitè obligatur ad reſtituendum ei, à quo accepit. igitur cum Stephanus ſcuta decem clam acceperit, ſeu abſtulerit à Thadæo, conſequens fit, vt ſine conſenſu eius, ſeu hæredis non poſsit licitè Sabino ſoluere.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitum affirmatiuè, nempe Stephanum, qui Thadæo debebat ſcuta de-
2 cem, † potuiſſe pro eodem Thadæo defuncto, ſeu pro eius hærede abſque alia culpa, & obligatione iterum reſtituendi in foro animæ, illa Sabino ſoluere, cui totidem debebat Thadæus, nec poterat ad ſoluendum compelli.

Hæc eſt ſententia *Io. Med. C. de rebus reſtit. q.* 3. *cauſa* 5. *Petri*

Digitized by Google

Nau. lib. 4. de reſtit. cap. 2. num. 23. Sayri lib. 10. clauis regia, tract. 5. cap. 7. n. 6. Ioſeph Angles in floribus 4. ſent. q. 3. de reſtit. ar. 2. diff. 6. Arag. 2 2. q. 62. ar. 8. verſ. quinta cauſa. Ang. ver. ſolutio, n. 13. Sylu. eodem ver. q. 4. verſic. ſecundũ & Gloſſæ Inſtit. lib. 3. rubr. Quibus modis tollitur obligatio, in principio. Quæ ſententia his rationibus fulcitur.

3 Primo quia Stephanus, qui ſcuta decem Sabino ſoluit, † fecit id, quod Thadæus facere debuiſſet, remque eius vtiliter geſsit, cum id ad ſalutem ei expediret: & in hac ſolutione per Stephanum facta conſenſit, aut ſaltem conſentire debuiſſet Thadæus, ſiue eius hæres, ſi ſciret Stephanum pro illo ſuum debitum ſoluiſſe. igitur nec peccauit Stephanus, nec manet obligatus illa iterum alicui ſoluere, ſiquidem in foro conſcientiæ iniuſtum eſt, vt quod ſemel ſolutum eſt, iterum ſoluatur.

Nec valet inſtantia, ſi ratio ſtaret, quod Stephanus à culpa, & à reſtitutione liber eſſet in caſu, quia fecit id, quod ſuus creditor facere debuiſſet, ſimiliter careret culpa homo priuatus, qui eum occideret, quem Iudex capite damnare debuiſſet, & Confeſſarius, qui alienum abſolueret, quem proprius ſacerdos abſoluere debuiſſet. Conſequens eſt falſum. igitur & id, ex quo deducitur.

Nam reſpondetur primo, quòd illa non eſt intergra ratio, ſed perficitur alijs partibus, nempe quia rem eius vtiliter geſſit, adfuitque conſenſus creditoris, & ſi non actualis, ſaltem debitus: quæ conditiones non reperiuntur in exemplis contra allatis.

Reſpondetur ſecundo, negatione ſimilitudinis, quia tam homo priuatus interimendo homicidam, quam confeſſarius abſoluendo alienum, nocent proximo, iniuriamque faciunt túm Iudici, tum proprio Sacerdoti, vſurpantes auctoritatem quam non habent in
4 illis actionibus: atqui Stephanus ſoluens† debitum ſui creditoris, facienſque, quod ille facere debuiſſet, negotium eius vtiliter gerit: quare hic benefacit, illi autem malefaciunt.

5 Secundo Stephanus in caſu propoſito ſoluens † ſcuta decem Sabino pro Thadæo defuncto, nulli facit iniuriam: quia non defuncto, vt conſtat, ex quo facit quod ille, ſi viueret, facere debuiſſet; nec etiam hæredibus defuncti iniuriam, ſeu præiudicium facit;

facit; quia ſicut ſuccedunt in bonis defuncti, ita etiam ſuccedunt in obligatione, qua defunctus tenebatur: & ita defuncto, & hæredibus ſuis beneficium facit potius, quam præiudicium, eos à debito, quo Sabino tenebantur, exonerando: non itaque peccat, nec ad reſtitutionem eſt obligatus.

Tertio probatur ſpeciatim, quod facta hac ſolutione tollitur obligatio reſtituendi in foro conſcientiæ. Tum quia per præfatam ſolutionem
6 † Sabino factam à Stephano, res iam eſt ad æqualitatem redacta, ſumpta ſecuritate, quod Sabinus ſecundus creditor non aget contra priorem: nam ſecundus creditor habet iam, quod ſibi à priore debebatur, & prior eſt iam à debito, quo ſecundo tenebatur, liberatus: debitor etiam iam reddidit, quod debebat: vnde conſtat omnes manere æquales, vltra quod forum conſcientiæ, ſeu iuſtitia nihil aliud exigit.

Tum etiam, quia ex quo Stephanus debitor ſoluit Sabino pro Thadæo ſuo immediato creditore præfata decem, quæ illi Thadæus debebat; cum Sabino ſit ſatisfactum,
7 † iure naturæ videtur Stephanus ſuccedere in actione, quam Sabinus contra Thadæum habebat; & ita fit, vt tantum debeat Thadæus, ſeu hæres loco eius Stephano, quantum Stephanus ipſi Thadæo, ſeu eius hæredi. in quo caſu certum eſt locum habere compenſationem.

Et denique confirmatur, quia quis dubitat, quin Stephanus,
8 & Sabinus poſſent † inter ſe conuenire, & pactionem facere vt Stephanus decem Sabino daret pro decem, quæ illi debentur à Thadæo ſuo creditore? emptio enim debiti, ſi ad æqualitatem fiat, iuſta eſt. Tum igitur planum eſt empto eo debito, Thadæum creditorem Stephani, factum iam eſſe Stephani debitorē eiuſdem quantitatis, quam ei debebat, cum emerit actionem alterius in ipſum, perſonamque illius repræſentet. Et cum nihil aliud ſit, Stephanum decem ſoluere Sabino creditori Thadæi, quam actionem Sabini in Thadęum pro eadem pecunia acquirere, conſequitur, vt amplius non teneatur Stephanus ad reſtituendū quippiam ſuo proximo creditori, cum ipſe ſibi eiuſdem ſummæ ſit debitor.

Neque argumenta pro parte affirmante allata huic noſtræ ſententiæ officiunt. Nam ad primum reſpondetur, cum *Nau. lib.* 3.

9 *conſil. de ſolutionibus, conſil.7.n.*15. quòd ſoluere † creditori debitoris, in effectu eſt dare debitori, quia liberat eum ab obligagione, etiamſi ſolutio fiat eo inuito. *Inſtit. lib.3. rubr. quibus modis tollitur obligatio, in princ.* vbi *Gloſſa* ait, *Patet hic, quod beneficium confertur in inuitum*. Et ad id, quod infertur de depoſito, & commodato, negatur illatio: fit enim tranſitus à re, quæ functionem admittit, ideſt, quæ non eſt eadem numero reddenda, ſed ſpecie, & valore, vt eſt pecunia, de qua eſt ſermo in caſu noſtro, ad rem, quæ functionem non admittit, vt eſt equus, quem commodatum accepi, aut depoſitum: in quo caſu, ſi rem illam iuſtè poſſidebat meus creditor, non eſt mihi licitum abſque eius conſenſu, vel niſi adſit Iudicis auctoritas, rem illam ſecundo creditori ſoluere, ſicut non licet mihi ſpoliare proximum iuſtum rei poſſeſſorem; imo peccatum erit non reddere primo, & immediato creditori, vt docet *Petrus Nau. & Sayrus poſt Medinam locis citatis*.

Et ſpecialiter dicitur de re depoſita; quod non paruum eſt diſcrimen inter rem depoſitam, & reliqua debita realia eiuſdem
10 rationis: quia tanta fidelitas † ſeruanda eſt in depoſito, vt ex tacita conditione nec compenſationem admittat, iuxta *cap. bona fides, de depoſito*, & *Rebellum de oblig. iuſtitiæ, par.*1. *lib.*2. *q.*18. *ac Azorium* 3. *par. inſtitut. moral. lib.*7. *cap.*8. *quæſt.*3. *de depoſito*, & communem: ſed in reliquis debitis realibus eiuſdem rationis licita eſt compenſatio, vt ſunt ea, de quibus agitur in caſu: ad quam compenſationem talis ſolutio reducitur.

Ad ſecundum negatur illatio: aliud enim eſt loqui de acceptione rei alienæ inuito domino, ſiue palam, & per vim eo ſciente, quod eſt rapina; ſiue clam eo ignorante, quod eſt furtum: & aliud eſt loqui de reſtitutione rei alienæ iniuſtè acceptæ. Primum numquam licet, quia per talem ſurreptionem iniuriam pa-
11 titur dominus. At ſecundum, ſcilicet reſtituere † creditori ſui creditoris, non eſt illicitum, præſertim quando non eſt eadem numero reddenda, etiamſi ſit accepta per furtum: quia in hac reſtitutione ſeu ſolutione nemini fit iniuria, aut damnum infertur, vt oſtenſum eſt.

Ad ter-

Ad tertium reſpondetur, quod cum dominus in caſu non poſſit eſſe rationabiliter inuitus, cum liberetur à debito, quo tenetur, nulla fit illi iniuria, neque vis. Et cum dicitur non eſſe priuatæ perſonæ, quempiam ad iuſtitiam conſeruandam cogere:
12 Reſpondetur, quod cum hæc † reſtitutio fiat occultè domino ignorante, non eſt ibi verè coactio, quæ pertinet ad iudicem.

Ad quartum concedimus eum, qui ab aliquo pecuniam accipit, obligari ad reſtituendum ei, à quo accepit: ſed dicitur ſicut
13 ad primum, quòd ſoluere † creditori debitoris, æquipollenter eſt dare debitori; quarè in caſu fit reſtitutio vero domino, & ſi non immediatè, mediatè tamen: ſoluit enim debitum illius, & liberat illum ab obligatione.

SVMMARIVM.

1 *Qui iure iurando promittit, aut vouet ſe facturum id, ad quod ſub pæna mortalis culpæ tenetur, vt non fornicari; & non implet, peccat non ſolum, quia fornicatur; ſed etiam quia transgreditur iuramentum, aut votum, & tenetur confiteri peccatum cum hac circumſtantia.*

2 *Votum proprie loquendo dicitur eſſe de meliori bono ex D. Thoma 22. q. 88. ar. 2. id eſt circa materiam conſiliorum. Quod verum eſt: quia tale votum non ſolum ex parte formæ (quia ſcilicet eſt vera promiſſio &c.) ſed etiam ex parte materiæ eſt propriè votum, num. 5.*

3 *Res alioqui vi præcepti debita in votum cadere poteſt, quatenus denuo nos ipſos obſtringimus obligationis nexu, vt eam faciamus.*

4 *Ea quæ cadunt ſub præcepto, poſſunt eſſe materia voti, non in quantum ſunt neceſſaria; ſed in quantum liberè, & voluntariè fiunt.*

6 *Votum, quod cadit ſupra materiam præceptam, eſt propriè votum, cum ſit vera, & propria promiſſio: materia tamen illius non eſt propria voti, ſed communis illi, & præcepto.*

7 *Proprium aliquando dicitur, quod non eſt multorum commune, ſed vni ſolum conuenit.*

8 *Vouens rem præceptam vult eam maiori vinculo religare, vt ſic firmius perſoluat, quod Deus præcipit, quaſi duplici obligatione aſtrictus.*

9 *Circumſtantiam neceſſario confitendam ex obliuione omiſſam poteſt pænitens confiteri peccato non confeſſo.*

10 *Nulla lex reperitur, quæ probet peccatum cum circumſtantia eidem confeſſario eſſe aperiendum, niſi quando vtrumque memoriæ occurrit, dum alterum prima vice confitetur.*

11 *Peccatum verè in genere rei vnum eſt; ſed in genere morum multiplex dici poteſt ob multas deformitates.*

12 *Peccata ſunt confitenda in ſpecie, vt eorum agnoſcatur grauitas, & ſtatus peccatoris.*

13 *Cum pænitens confitetur peccatum mortale, non recordatus circumſtantiam illius, aperit Confeſſario grauitatem peccati ex parte obiecti, & prout ex obiecto eſt Dei offenſiuum. Cum verò poſtea confitetur in genere actum peccati, & circumſtantiam in ſpecie, aperit grauitatem ipſius actus, & ſtatum ſuum quantum ad illam malitiam circumſtantiæ: & ſic totam eius malitiam.*

14 *Peccatum aliquod mortale biſariam conſiderari poteſt, vel quantum ad omnem ſuam deformitatem, & malitiam quam habet tum ex parte obiecti, tum ex parte circumſtantiæ: vel quatenus ſolum ex obiecto eſt Dei offenſiuum. Primo modo non eſt ſufficienter confeſſum in prima confeſſione: ſed bene ſecundo modo.*

16 *Species luxuriæ plures inueniuntur, quam ſex illæ vulgatæ, & tamen ſufficit luxuriæ peccata ſic exprimere, vt ad illas ſex ſpecies deſcendatur.*

CASVS L.

VALERIVS iurauit, vel vouit ſe non blaſphematurum, neque fornicaturum; paucis poſt diebus blaſphemauit, ac fornicatus eſt; & poſt hæc pænitentia ductus, acceſſit ad proprium ſacerdotē, confeſſuſq. eſt illi blaſphemiam,

niam, & fornicationem; ſed non expreſſit circumſtantiam illá, ſcilicet, quod blaſphemauerit, atque fornicatus fuerit contra iuramentum, aut votum, quia ſibi in mentem non venerat. *Quæritur, an ſatis ſit Valerio dicere in ſecunda confeſſione, accuſo me, quod ter licitum, ac ſanctum iuramentum, vel votum fuerim tranſgreſſus; an opus ſit, vt iterum confiteatur ſe ter blaſphemando, & fornicando licitum iuramentum violaſſe, vel votum.*

Duo tanguntur in præſenti caſu, quorum alterum eſt, quod præſupponitur: alterum vero, quod quæritur. Siquidem præſup-
1 ponitur, quod qui iureiurando promittit, † aut vouet, ſe facturum id, ad quod ſub pæna mortalis culpæ tenetur, vt non fornicari, non blaſphemare, non furari, per huiuſmodi iuramentum, aut votum ita obligatur, vt ſi non impleat illa, non ſolum peccet, quia fornicatur, vel blaſphemat, ſed etiam quia transgreditur iuramentum, aut votum. Quo fit, vt huiuſmodi peccatum cum hac circumſtantia confiteri teneatur, neque ſine ea culpam confeſſario aperire ſufficiat. vt bene annotauit *S. Antoninus* 2.*par.tit.* 11.*cap.* 2.§.1. *& Caiet.* 22.*q.*88.*ar.*2. *& Nau. in Man. cap.*12 *n.*25.*&* 34. licet oppoſitum præcipuè de voto, ſed malè, teneat *Io. Tabienſis ver. votũ* 1.§.2. relatus à *Nau.l.c.*& ab *Azor.par.*1. *Inſt.mor.lib.*11.*cap.*13.*q.*1.& *Gerſon Pariſ.Cancell.*2.*par.ar.*25. relatus ab *Aragone* 22.*q.*88.*ar.*2. his forte moti argumentis.

Tum quia in omnibus rebus materia, & forma debent proportionari: votum autem eſt opus conſilij. Ergo & materia illius debet eſſe in conſilio: atque ex conſequenti ea, quæ cadunt ſub præcepto, non poſſunt eſſe materia voti.

Et confirmari poteſt ex dictis *D.Thom. in hoc ar.* 2. vbi ait *in*
2 *calce corporis quæſt.* quod votum † propriè loquendo dicitur eſſe de meliori bono: appellat autem melius bonum, ſeu maius, opus virtutis non neceſſarium ad ſalutem, & non cadens ſub præcepto, qualia ſunt opera conſiliorum. Non itaque eſt verè, & propriè votum de rebus præceptis.

Tum

Tum quia quicumque vouet opus, quod ex præcepto diuino, aut naturali facere tenetur, videtur Deo iniuriam irrogare: nam talis videtur maiorem vim ſuæ tribuere voluntati, quam legi Diuinæ: in quo grauis iniuria Deo irrogatur. igitur tale votum non eſt validum, nec obligatorium.

His tamen facilè eſt reſpondere. Neque enim negari poteſt,
3 quin res † alioqui imperata in votum cadere poſſit, quatenus denuo nos ipſos obligationis nexu obſtringimus vt eam faciamus. Nam Iacob vouit Domino, ſe eum vt Deum veneraturum.

Ad primum itaque reſpondetur, negando vltimam conſequentiam, ſcilicet, quæ cadunt ſub præcepto non poſſe eſſe ma-
4 teriam voti: quia cum ea † quæ cadunt ſub præcepto, non ſint abſolutè neceſſaria, ſed ex fine, poſſunt eſſe materia voti, non in quantum ſunt neceſſaria, ſed in quantum liberè, & voluntariè fiunt: nam neceſſitas finis, vel legis non tollit voluntarium, ſed tantum neceſſitas abſolutè. Et ſic poteſt dici, quod iſta materia voti cadat ſub conſilio, quamuis ſit præcepta, in quantum pendet ex noſtra voluntate, & ad illam obligari poſſumus maiori vinculo religionis. & ſic omnia proportionantur.

Ad confirmationem ex dictis *D.Thom.* reſpondetur quod dicit votum propriè eſſe de meliori bono, ideſt circa materiam conſi-
5 liorum: quia tale votum † non ſolum ex parte formæ, ſed etiam ex parte materiæ eſt proprie votum: cum materia illa ſit propria
6 voti, & nulla ratione cadat ſub præcepto: at votum, † quod cadit ſupra materiam præceptam, quamuis ſit verè, & propriè votum; cum ſit vera, & propria promiſſio diſtinctam habens obligationem ab ea, quæ naſcitur ex præcepto, & de rebus Deo gratis, & quæ pendent ex noſtra voluntate, quantum ad executionem; materia tamen illius non eſt propria voti, ſed communis illi,
7 & præcepto: nam proprium † aliquando vocamus, quod non eſt multorum commune, ſed quod vni ſolum conuenit. Accipitur itaque ibi à *D.Thom.* propriè (vt ait *Caiet.*) non vt diſtinguitur contra tranſumptiuè, ſeu abuſiuè, vel impropriè, ſed vt diſtinguimur contra communem, ſeu non ex parte eſſentiæ voti, ſed ex parte materiæ voti.

Ad

Ad ſecundum reſpondetur, negando antecedens. Et ad pro-
8 bationem dicitur, quod vouens rem præceptam † id non facit, quia plus tribuat ſuæ voluntati, quam legi diuinæ, ſed quia vult eam maiori vinculo religare, vt ſic firmius, quod Deus præcipit, perſoluat, quaſi duplici obligatione aſtrictus. Et propter hoc dicebat *D.P.Aug.* & refertur in *cap.ſunt quædam*, 17.*q*.1. *Sunt quædam, quæ etiam non vouentes debemus: quædam etiam, quæ niſi vouerimus, non debemus.*

Hoc igitur ſuppoſito, quod circumſtantia violati iuramenti, aut voti in caſu noſtro ſit neceſſario confitenda, quæritur an Valerius, qui ex obliuione eam reticuit, quando confeſſus eſt peccata blaſphemiæ, & fornicationis, teneatur iterum confiteri peccata cum illa circumſtantia; an verò ſufficiat circumſtantiam ſolum confiteri, non explicatis denuo peccatis.

Partem negantem, quod non ſufficiat ſola circumſtantia ſine peccato confiteri, tenet *Sylueſter ver.confeſſio* 1.*q*.10.*ſub finem*, vbi ait, quod ſi circumſtantia feſti eſſet neceſſario confitenda, non ſufficeret dicere, toties peccaui diebus feſtis, verbi gratia, decies, vel centies; ſed oporteret addere, talia decem, vel centum peccata in feſtis admiſi. Ratio eius eſt. Quia circumſtantia neceſſario confitenda aggrauat infinitè, ac dat ſpeciem peccato: mutat enim peccatum de vna in aliam ſpeciem, ſecundum omnes. ergo illud peccatum ſine tali circumſtantia non eſt diſtinctum quantum ad ſuam ſpeciem, & ex conſequenti non eſt ſufficienter confeſſum omiſſa tali circumſtantia, cum non ſit confeſſum in ſua ſpecie ſpecialiſſima, etiam ſi circumſtantia illa per ſe poſtea patefiat.

Et confirmatur, quia ſtatus peccatoris pænitentis confeſſario innoteſcere debet: ſed niſi aperiatur circumſtantia omiſſa ſimul cum peccato, non innoteſcet. confiteri itaque debet in ſecunda confeſſione peccatum vna cum circumſtantia omiſſa.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum affirmatiuè,
9 videlicet, ſufficere † Valerio confiteri in ſecunda confeſſione ſolam circunſtantiam iuramenti, vel voti fracti prius ex obliuione omiſſam, ſine confeſſione peccati blaſphemiæ, & fornicationis

prius

prius legitimè confeſſorum. Hæc eſt ſententia *Angeli ver. Interrogationes*, §.6. *Nauar. cap. conſideret de pænitentia, diſt.* 5. *n.* 105. *& in Man. cap.* 6. *n.* 20. *Sayri in ſumma de pænitentia*, *cap.* 11. *num.* 4. cui fauere videtur *Caiet. in ſummula ver. confeſſionis condit.* 7. *& tom.* 1. *opuſc. tract.* 5. *quæſt.* 3. *de confeſſ.* & probatur his rationibus.

10 Tum quia nulla lex reperitur, † quæ probet peccatum cum circumſtantia eidem confeſſario eſſe aperiendum, niſi quando vtrumque memoriæ occurrit, dum alterum prima vice confitetur: atqui dum prima vice Valerius confeſſus eſt blaſphemię, & fornicationis peccata, non venit ſibi in mentem circumſtantia violati iuramenti, aut voti. ergo in ſecunda confeſſione ſatisfacit legi de confitendis peccatis, aperiendo ſolam circumſtantiam tranſgreſſionis iuramenti, aut voti.

11 Secundo, quia quamuis peccatum, † quod verè in genere rei vnum eſt, in genere morum propter multas deformitates multiplex dici poſſit, vt in caſu propoſito, fornicatio poſſit dici peccatum duplex, ob duplicem tranſgreſſionem, præcepti ſcilicet, & iuramenti: tamen per hunc modum confitendi, quo primum ipſe actus peccati fornicationis, deinde circumſtantia eiuſdem actus, fractio ſcilicet iuramenti, patefit, illi duplicitati videtur ſatisfactum: nam ſunt aperta omnia, quæ oportebat aperiri, cum ſit apertum peccatum, & aperta circumſtantia. Ergo Valerius in ſecunda confeſſione ſolam circumſtantiam patefaciens, legi de confitendis peccatis ſatisfacit.

12 Tum demum, quia ideo peccata † confitenda ſunt in ſpecie, vt eorum agnoſcatur grauitas, & ſtatus peccatoris, ſecundum

13 omnes. Sed cum primo † Valerius confeſſus eſt peccata blaſphemiæ, & fornicationis, non recordatus circumſtantiam illorum, aperuit confeſſario grauitatem peccatorum & ſtatum ſuum quo ad malitiam, quam habent peccata ex parte obiecti, & prout ex obiecto ſunt Dei offenſiua; quando verò poſtea in genere manifeſtauit actus peccatorum, & circumſtantiam in ſpecie, patefecit grauitatem ipſorum actuum, & ſtatum ſuum, quantum ad illam malitiam circumſtantiæ. Ergo patefecit confeſſario totam

illorum

illorum peccatorum malitiam: & ita quo ad malitiam circumſtantiæ iuramenti fracti, aut voti, ſatisfaciet ſic confitendo: Feci pater quædam in ſe mala, quæ iam fui confeſſus, ter contra iuramentum, vel votum, quod confiteri antea fui oblitus. Et hoc ſufficit, ſiue poſtea eidem confeſſario, ſiue alteri confiteatur. imò ſufficit dicere, ter iuramentum licitum, aut votum ſum tranſgreſſus, quod oblitus antea non fui confeſſus. *Nau. de pænitentia cap.cit.n.*111.

Neque obſtant huic ſententiæ quæ fuerunt allata in principio pro parte negante. Nam ad rationem *Sylu.* conceſſo antecedente, quod circumſtantia neceſſario confitenda grauet infinitè, & det ſpeciem peccato: ad conſequentiam in qua dicitur, cum peccatum illud ſine tali circumſtantia non ſit diſtinctum quantum ad ſuam ſpeciem, non eſt ſufficienter confeſſum: reſpondetur,
14 illud peccatum blaſphemiæ, vel fornicationis bifariam † conſiderari poſſe, vel quantum ad omnem ſuam deformitatem, & malitiam, quam habet ex parte obiecti, & ex parte circumſtantiæ, ſeu vt tranſgeſſio præcepti, & voti, aut iuramenti. & ſic non eſt ſufficienter confeſſum in prima confeſſione ob obliuionem circumſtantiæ. Vel quatenus ſolum ex obiecto eſt Dei offenſiuum: & ſic negatur, quod non ſit legitime & ſufficienter confeſſum, alioqui bis teneretur pænitens confiteri vnum, & idem peccatum propter eundem reſpectum, quod eſt contra receptam ſententiam. Et quoad malitiam circumſtantiæ ex obliuione omiſſæ, ſatisfit poſtea in ſecunda confeſſione, in qua manifeſtatur actus peccati in genere, & circumſtantia illa in ſpecie, nempe tranſgreſſio iuramenti, aut voti: & ita agnoſcitur penitus à confeſſario tota illorum peccatorum malitia, imo & ſtatus peccatoris.

Dici etiam poteſt, falſum eſſe, quod in caſu noſtro non manifeſtetur ſpecies ſpecialiſſima peccati, cum iſta ſit violatio iuramenti, vel voti.

15 Quamuis etiam negari poſſet, † eſſe omnino neceſſarium deſcendere in confeſſione ad ſpecies ſpecialiſsimas, licet vtile ſit, & ſanctum; quando illæ vt plurimum non diſcernuntur, imo vix à doctis aliquando intelliguntur: præſertim ſi parum referat, an huius

huius, vel illius generis, vel ſpeciei ſint, quo ad iudicium à confeſſario de pænitente proferendum, vt docent *Caiet.& Nau.l.c.*.

Imo niſi hoc dicamus, vix vllus iuuenis inuenietur, qui multa peccata commiſerit, & ea legitimè confiteatur. Quis enim inuidiæ, gloriæ vanæ, ſuperbiæ peccata in ſpecie ſpecialiſſima confi-
16 teatur? quin & ſpecies luxuriæ† nonne plures inueniuntur, quam ſint illæ ſex vulgatæ ſpecies; & rurſus illarum aliæ? vt *Martinus in q.2.de luxuria* demonſtrat, & *Thom. à Vio tract.22.quæſt.*154. & tamen ſecundum omnes ſufficit luxuriæ peccata ſic exprimere, vt ad illas ſex ſpecies deſcendatur, vt adnotat *Nau. loc. cit. de pænitentia, num.*114.

Ad confirmationem negatur minor propoſitio, quòd hoc modo aperiendo peccatum in ſecunda confeſſione, confitendo ſcilicet ſolum circumſtantiam iuramenti violati, prius per obliuionem omiſſam, non innoteſcat confeſſario ſtatus peccatoris, ideſt **Valerij** pænitentis. Contrarium enim ſupra oſtenſum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Vſura duobus modis mentalis dici poteſt, ſcilicet pure mentalis, & mentalis non pure; & quæ vtraque.*

2 *Vſura mentalis non pure, in quo diſtinguitur ab alijs peccatis mortalibus.*

3 *Vſura mentalis non pure tribus modis accidere poteſt, primo ex parte mutuantis, & mutuatarij: ſecundo ex parte mutuatarij tantum: tertio ex parte ſolius mutuantis.*

4 *Vſurarius mentalis, qui, quod vltra ſortem ei dat mutuatarius beneuolè, non ratione beneuolentiæ, ſed ratione mutui acceptat, an teneatur ad reſtitutionem illius lucri accepti, aliqui partem negantem probant. Sed probabilior eſt affirmans n.9.*

5 *L.inter omnes, §. recte ff. de furtis, in qua aſſeritur, quòd contrectans, & accipiens rem alienam, credendo inuitum eſſe dominum, committit furtum, ſed furti non eſt obligatus, ſi dominus erat volens. verus intellectus habetur n.13.*

6 *Reſtituere, eſt alterum in ius ſuum ſtatuere.*

7 *Donatio*

Digitized by Google

7 *Donatio eſt datio irredibilis.*

8 *Cap. ſicut Epiſcopum, 1. quæſt. 2. vbi ait D. Greg. quòd eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione proceſſit. Explicatur germanus ſenſus n. 16.*

10 *Cum intentio concedentis, & recipientis diſcordant, res data non efficitur recipientis.*

11 *Donatio non perficitur, niſi acceptetur à donatario, & n. 14.*

12 *Ad vinculum reſtituendi ſufficit acceptio iniuſta.*

15 *Cum mutuator non acceptat lucrum, vt ſibi datum liberaliter, & gratis, mutuatarius non donat voluntariè.*

CASVS LI.

ANTONIVS mutuo tradidit Berardo ſcuta ducenta: hic poſtea dat Antonio mutuatori aliquid vltra ſortem gratis, & liberaliter, credens illum nihil lucri ex mutuo velle habere; ſed Antonius id accipit animo, & intentione vſuraria, nimirum ratione mutui. *Quæritur, an Antonius vſurarius mentalis ad reſtitutionem accepti teneatur.*

Pro intelligentia præſentis caſus obſeruandum eſt primo, duo-
1 bus modis contingere, † vt vſura dicatur mentalis, vel quia eſt pure mentalis; vel quia eſt mentalis, non tamen purè mentalis. Vſura purè mentalis eſt, quæ ſolum dicit inſtitutum, & propoſitum recipiendi aliquid vltra ſortem ratione mutui; in ea tamen neque interuenit pactum, neque recipitur lucrum aliquod, ſed ſolum capitale: imo aliquando neque interuenit mutuum, ſed habuit quis illam tantum intentionem, & animum: ſicut in alijs peccatis dicitur fornicatio mentalis, homicidium mentale, ſolus animus efficiendi illa, nullo opere ſubſequuto. Huiuſmodi vſura mentalis eſt quidem peccatum mortale; quia ſola intentio peccandi ſufficit ad peccatum: ad nullam tamen obligat reſtitutionem,

nem, cum nihil lucri per talem vſuram ſit acceptum: & de ea hic non loquimur. Vſura verò mentalis non pure, de qua nunc ſermonem habemus, eſt, qua re vera non ſolum habetur intentio, & animus recipiendi aliquid vltra ſortem ex mutuo, & vi illius mutui, verum etiam actu confertur mutuum, & recipitur aliquod lucrum, nullo tamen interueniente pacto neque explicito, neque implicito, & tacito. Dicitur hæc mentalis, quia animus ille, & ſpes lucri vſurarij nullo modo exprimitur, ſed ſola mente concipitur; non tamen eſt pure mentalis, cum exterius detur mutuum,
2 & recipiatur lucrum vſurarium. † in quo diſtinguitur ab alijs peccatis mortalibus: nam alia mentalia ſolum dicunt interiorem animum ſine vllo actu externo illum comitante: in vſura vero mentali internum illum animi affectum aliquis actus exterior comitatur, ſed abſque vllo pacto. Quo fit, vt pactum tacitum, vel expreſſum quodcumque illud ſit, habet ſe in vſura ſicut actus exterior in alijs delictis: etenim ſicut in alijs peccatis, vbi nullus exterior actus comitatur animi affectum, culpa mentalis eſſe dicitur: ita vſura, vbi nullum interuenit pactum, mentalis eſt; vbi verò pactum aliquod intercedit, realis.

3 Aduertendum eſt ſecundo, hanc mentalem vſuram † tribus modis accidere poſſe. Primo ex parte vtriuſque, cum mutuantis videlicet, & mutuatarij corrupta eſt intentio: vt quando mutuatarius dat aliquid vltra ſortem ratione mutui, credens mutuatorem ſub ea ſpe mutuaſſe; aut dat, ne habeatur ingratus, & alia vice, cum mutuo indiguerit, denegetur ſibi: & mutuator accipit, vt datum ratione mutui. Et tunc omnes conueniunt eſſe obligationem reſtituendi, quia datum, & acceptum eſt lucrum vltra ſortem ratione mutui; & conſequenter nec liberè, nec voluntariè eſt datum, quarè non tranſlatum eſt dominium dati vltra ſortem in mutuatorem: habet itaque alienum inuito domino rationabiliter; quod eſt iniquum.

Secundo ex parte tantum mutuatarij, vt quando mutuatarius dat ratione mutui, vt diximus in præcedenti modo; ſed mutuator recipit bona fide, putans ſibi dari gratis, & liberaliter, ſicut gratis ipſe mutuauit. Et tunc mutuator, quandocumque nouerit

eſſe

eſſe ſibi datum ratione mutui, tenetur rem acceptam reſtituere, ſi extat: ſi autem conſumpta ſit bona fide, ad nullam tenetur reſtitutionem niſi inde factus fuerit ditior. Ratio eſt, quia cum non teneatur reſtituere ratione acceptionis iniquæ: accepit enim bona fide, quæ ſufficiebat, vt licitè acciperet, ſed tantum ratione rei acceptæ; qui ſic tenetur reſtituere, non obligatur, niſi res illa apud ipſum maneat, vel ratione illius ſit factus in aliquo ditior.

Tertio modo poteſt hæc vſura mentalis contingere ex parte ſolius mutuantis, qui corruptam habens intentionem, accipit aliquid vltra ſortem tamquam debitum ex mutuo; ſed alter non largitur niſi gratis ex liberalitate, vt in caſu noſtro propoſito, in quo Berardus mutuatarius dat aliquid vltra ſortem gratis, & liberaliter Antonio mutuatori, credens illum nihil lucri ex mutuo velle habere, vt bonum Chriſtianum decet; ſed Antonius accipit animo, & intentione vſuraria, videlicet ratione mutui.

In quo caſu in primis nulla eſt dubitatio de peccato prauæ intentionis: Neque etiam inter Doctores de hoc ambigitur, quin quamdiu mutuator habeat conſcientiam alterum ratione mutui dediſſe, teneatur ad reſtitutionem ratione errantis conſcientiæ pro eo, quod putat ſe retinere alienum, nempe datum ex vi mutui, lucrumque vſurarium. Sed tota difficultas eſt, an dum
4 † conſtiterit Antonio mutuatori, Berardum dediſſe beneuolè, non tamen ratione beneuolentiæ, ſed ratione mutui acceptet datum, teneatur ad reſtitutionem lucri accepti.

Pro parte negante, quam amplectuntur, & tutari conantur *Gabr.4.ſent.diſt.15.q.11.dub.penult. D.Anton.2.par.tit.1.cap.7. §.37.& tit.2.cap.5.§.penult. Sylu. verbo vſura 6.quæſt.3. Caiet. tom.2. opuſc. tract.8.q.3.de vſura, Sotus lib.6.de iuſt.& iure q.1. ar.4.verſic. Reſtat autem de vſura mentali, Salon 22.q.78.ar.3. controu.10. Couarru. regula peccatum, par.2. in princ.num.4. & nonnulli alij.*

5 Facit primo: quia contrectans, † & accipiens rem alienam credendo inuitum eſſe dominum, committit furtum, ſed furti non eſt obligatus, ſi dominus erat volens, vt habetur *l. Inter omnes, §. recte, ff. de furtis*. Ergo in caſu propoſito, cum Berardus mutuatarius

tarius det liberaliter, & ſimpliciter volens, licet Antonius peccet ob prauam intentionem, non tamen tenetur reſtituere.

Secundo facit, quia ſi Antonius teneretur acceptum reſtituere, vel teneretur reſtituere Berardo, qui dedit; vel pauperibus. Non primum, quia reſtitutio neceſſaria eſt, vel vt damnum paſſo ſatisfiat, & hoc in commutationibus inuoluntarijs; vel vt illi, qui minus habet, quam debet habere, reddatur quod eſt ſibi debitum, & hoc in commutationibus voluntarijs, quod nomen
6 ipſum reſtitutionis manifeſtat: eſt enim reſtituere,† alterum in ius ſuum ſtatuere. Sed in caſu propoſito Berardus, qui dedit, nec eſt damnum paſſus: quia nullus patitur iniuſtum volens; nec minus habet, quam ſibi debeatur; quoniam hoc quod dedit, non inuitus, ſed liberè a ſe abdicauit; neque eſt ab eo ablatum, ſed
7 ipſe ſponte donauit: donatio autem † eſt datio irredibilis. ergo non ſibi facienda eſt reſtitutio. Neque facienda eſt pauperibus; quia quando apparet verus Dominus rei alienæ, quæ reſtituenda eſt, reſtitutio non eſt facienda pauperibus, ſed vero Domino, vel hæredibus illius, præter quam in duobus euentibus, communi Doctorum conſenſu *in 4. ſent. diſt.* 15. quando ſcilicet aliquid acceptum eſt à ſimoniaco, vel aſſaſſino; lucrum vſurarium non pertinet ad ſimoniam, neque ad crimen aſſaſſini. ergo quamdiu reſtituendum erit, reſtitutio illius, non eſt facienda pauperibus, ſed vero domino, vel hæredibus illius.

Demum facit *cap. ſicut Epiſcopum* 1. *q.* 2. vbi ait *D. Greg. Eius*
8 *oblatio* † *nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione proceſſit*. Cum igitur nullo pacto, nulla inſinuatione præcedente petierit, ſequitur licitum illi eſſe taliter oblatum recipere abſque obligatione illud reſtituendi.

9 His tamen non obſtantibus mihi probabilior videtur ſententia oppoſita, quæ affirmat, Antonium vſurarium mentalem ad reſtitutionem teneri taliter recepti. Ita docet communiter Canoniſtæ, *Innoc. Hoſtienſis, Abbas Panor. Ioan. Andreæ, cap. conſuluit, de vſuris, & idem Ioan. Andr. in Mercurialibus, reg. peccatum, in fine, de reg. iuris in 6. Gloſſa cap. Mandato de ſimonia.* & plures alij Iuriſperiti relati à *Salone* 22. *q.* 78. *ar.* 3. *controu.* 10. *concluſ.* 3.

& ab

& ab *Azorio 3.par. inſtit.moral.lib.5.cap.16.q.1.* & ex Theologis *Palud. in 3.ſent.diſt.37.q.2.ar.2 conc.5.Adrianus in 4.ſent. in tract. de vſuris, Scotus in 4.ſent.diſt.15.q.2.ar.2.littera I. & Almain. ibidem q.2.art.peculiari de vſuris, Ioan.Medina C. de rebus per vſuram acquiſitis, q.4.ad 2.* à qua ſententia non omnino recedit *Caiet.22.q.78.ar.1. in reſponſione ad 4.* vbi agit de ſpe mutuantis, neque *Azor.loc.cit.* quamquè *Innocentius* tutiorem etiam aſſeuerat, recte *Couar.loc.cit.*

Et probatur, tum ex *l. ſi ego, 1. ff. ſi certum petatur*, vbi apertè dicitur, quòd ſi volui tibi rem donare, & tu credebas eam tibi mutuo dari, non efficitur tua ante conſumptionem: quia hoc

10 caſu † intentio concedentis, & recipientis diſcordant. Idem autem accidit in caſu noſtro, diſcordant enim intentio Berardi mutuatarij dantis ex beneuolentia, & intentio Antonij mutuantis recipientis ratione mutui, & tamquam debitum.

Tum ex *cap.conſuluit de vſuris*, vbi dicitur, patere ex Euangelio Lucæ, quod homines ſine omni conuentione pro intentione lucri quam habent, in lege iudicandi ſunt male agere, & ad ea quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animarum iudicio efficaciter ſunt inducendi: vbi fit ſolum mentio de hoc, ſcilicet qualiter ſint accepta: & ita obligatio reſtituendi oritur ex lucro taliter accepto, ſcilicet ratione mutui.

11 Tum quia donatio † non perficitur, niſi acceptetur à donatario: cum igitur Antonius mutuator non ratione donationis illud datum à Berardo mutuatario accipiat, & retineat, ſed propter mutuum, quaſi ſibi debitum, non videtur donatione acceptare, ratione cuius ſolum erat ſibi licitū lucrum illud recipere, & retinere; & conſequenter tenetur illud ipſi donanti reſtituere, niſi mutet talem deprauatam intentionem, incipiendo ſcilicet lucrum ratione donationis retinere; eo quod donatio perfecta non eſt, quando per donatarium non acceptatur.

12 Tum denique, quia ad vinculum reſtituendi † ſufficit, quod teneatur aliquis ratione acceptionis iniuſtæ, quamuis non teneretur ratione rei acceptæ: at in propoſito caſu acceptio ipſa Antonij mutuatoris eſt iniuſta, quia contra legem accipit. tenetur

igitur acceptum reſtituere, vt vſurarium, aliter non diceretur illud recipiens vſurarius mentalis.

Eſto ergo, quod lucrum illud verè donatum ſit à Berardo mutuatario, Antonius autem mutuator non tamquam tale recipiat, ſed tamquam debitum ob mutuum factum, tenebitur Antonius ad vnum de duobus, vel ad mutandam talem deprauatam intentionem, incipiendo ſcilicet lucrum ratione donationis retinere, & erit à reſtitutione immunis. Vel ad taliter acceptum non pauperibus (vt aliqui dicunt, quorum ſententiæ videtur adhærere *Caiet. 22. q. & ar. cit.)* ſed mutuatario reſtituendum, ob tertiam rationem præcipuè ſupra poſitam.

Neque obſtant argumenta pro parte negante allata. Nam ad primum, reſpondet *Panorm. in d. cap. conſuluit*, quòd etiam in iſto caſu tenetur reſtituere in foro animæ; quæ reſponſio quamuis non placeat *Syluestro loc. cit.* non tamen eam impugnat.

Dicendum ſecundo, & eſt declaratio primæ reſponſionis, quòd
13 lex præſumit † talem contrectatorem non habere voluntatem diſſidentem, ac diſcordantem cum voluntate domini, dum ſibi conſtiterit illum fuiſſe volentem: at antequam ſibi conſtet, tenetur reſtituere ratione errantis conſcientiæ: ſed in caſu noſtro dans, & recipiens animo, & voluntate diſſident, & proinde recipiens non acquirit dati dominium.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd Antonius tenetur reſtituere non pauperibus, ſed Berardo, qui dedit illud vltra ſortem: quia
14 donatio non valet, † niſi acceptata à donatario: donatarius vero in caſu recipit intentione ſolum vſuraria, vt lucrum ex mutuo,
15 nec acceptat, vt datum ſibi liberaliter, & gratis; & eo ipſo, † quo Antonius non accipit, vt datum gratis, Berardus non donat voluntariè; & ſic negatur, quod patiatur iniuſtum volens, & non minus habeat, quam ſibi debeatur, cum non donet voluntariè, nec donatio, & abdicatio ſit completa ſine acceptatione donatarij.

Ad vltimum ſumptum ex *cap. ſicut Epiſcopum*, dicendum, quod
16 ibi Gregorius loquitur † de clerico ordinato dante aliquid poſt ordinationem gratis, & de accipientibus ex beneuolentia, & non ex con-

ex corrupta cupiditate, ideſt propter ſpirituale prius miniſtratum. Sed in caſu noſtro Antonius non eo modo recipit oblatum, quo offertur, ſcilicet non ratione gratuitæ, & liberalis donationis, ſed ratione mutuationis: & ideo peccat, & ad reſtitutionem accepti tenetur.

SVMMARIVM.

1 *Fama non poteſt reſtitui ſine infamia reſtituentis, limita vt num.11.*

2 *Non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Regula hæc eſt intelligenda vt n.12.*

3 *Non poteſt conferri pretium boni pecuniarij cum pretio famæ, quæ eſt bonum ineſtimabile. Verum eſt ex ſua ſpecie, ſed non in aliquo indiuiduo, n.13.*

4 *Qui non poteſt reſtituere pecuniam iniquè acceptam alia pecunia, non tenetur illam reſtituere in orationibus.*

5 *Vir diues, & illuſtris infamans plebeum non tenetur dictum ſuum reuocare, ſed poteſt illius famam pecunia, vel alia via compenſare, & n.15.*

6 *Qui decem aureos furto abſtulit, non tenetur eos reſtituere cum iactura centum.*

7 *Reſtitutio fit ad conſtituendam æqualitatem.*

8 *Fama illuſtris viri longe præſtat famæ plebei.*

9 *Fama æſtimari poteſt pecunia, cum ſit bonum temporale.*

10 *Damnum illatum in corpore, vel membris, quando non poteſt reſici in eodem genere, reficiendum eſt in pecuniis.*

14 *In actibus moralibus diſſoluitur ſpecies ratione paruitatis materiæ, vt id quod ex ſua ſpecie erat mortale, ratione paruitatis materiæ ſolum contingat eſſe veniale.*

16 *Infamia quid ſit.*

CASVS LII.

BONIFACIVS vir magnus, diues, ac ſummæ exiſtimationis famam Marini priuati hominis, ac plebei iniuſtè læſit: impoſuit enim ei falſum crimen. Et quoniam cum famæ propriæ detrimento quilibet famam alterius iniquè denigratam regulariter reparare tenetur: *Quæritur, an Bonifacius cum iactura ſuæ famæ, & opinionis famam Marino reſtituere teneatur; vel ſatis ſit in alijs bonis illam recompenſare.*

Quoniam communi omnium Doctorum ſententia, qui alterius famam lædit, falſo aliquod crimen ei imponendo, reficere illam regulariter debet cum propriæ famæ detrimento, retractando ſcilicet dictum ſuum, aſſerendo ſe eſſe mentitum, vel ſaltem ſe mendacium protuliſſe; quærimus nunc, an regula hæc vllam patiatur exceptionem, ita vt in aliquo caſu quis non teneatur ſic famam reſtituere, ſed vel in pecunia, vel alia via compenſare poſſit, præſertim ſi infamator ſit vir illuſtris, & prærpotens, & infamatus homo ignobilis, ac infimæ claſſis, vt ſupponimus in caſu noſtro.

De qua re ſunt duæ opiniones extremæ, nos verò mediam tenebimus. Prima aſſerit in nullo caſu poſſe aliquem deobligari à reſtitutione famæ in eodem genere, neque pecunia, neque alia via poſſe illam compenſare. quod probat. 1

Tum quia famæ & pecuniæ reſtitutio in hoc differunt, quod pecunia aliena poteſt reſtitui ſine detrimento propriæ: nam qui accipit decem ſcuta aliena, quamdiu illa retinet, habet ſemper apud ſe illa aliena, & quando illa reſtituit, non ſua, ſed altera, quæ habebat reſtituit: quo fit, vt non patiatur detrimentum in
1 ſua pecunia: at fama † non poteſt reſtitui ſine infamia reſtituentis.

tis. Ergo quamuis infamator alterius vir grauiſſimus ſit, & infamatus plebeus, tenebitur nihilominus vir ille grauiſſimus cum detrimento ſuæ opinionis famam alteri reſtituere: quia huiuſmodi reſtitutio ſic exigit ex ſuo genere.

Tum quia eſt regula certiſſima, & generalis, *1.q.6.can.ſi res,*
2 & *reg. 4. de regulis iuris in 6.* Non dimitti † peccatum niſi reſtituatur ablatum: atqui vir hic illuſtris Bonifacius nudauit Marinum plebeum ſua fama. ergo non dimittitur ei peccatum, niſi reſtituat illi famam ablatam. Dare autem ei aliquam pecuniam non eſt reſtituere famam: non itaque ſatis eſt viro illuſtri pro reſtitutione famæ dare infamato pecuniam, aut quid ſimile.

Hæc opinio tribuitur *Nau. in Man. cap.18.n.50. & cap.17. n.90.* vbi dicit, quòd cum altioris ordinis ſint bona famæ, quam
3 pecuniaria, non poteſt † conferri pretium boni pecuniarij cum pretio famæ, quæ ſua natura eſt bonum inæſtimabile, ſicut ſalus & vita, & ſuperat bonum pecuniarium; cuius opinionis fundamentum apparet *Nauarrum* mutuatum fuiſſe à *Caietano 22. quæſt.62.ar.2.*

Alia ſententia omnino oppoſita eſt *Syluestri verbo detractio, q.4. caſu 2. & M. Victoriæ*, quam ferunt probaſſe Salmanticæ, nec non *Petri Nau.lib.2.de reſtitut.cap.4.n.415.& 439.* aſſerentium, quòd ſi quis famam ablatam in eodem genere reſtituere non poteſt, aut non debet, vt in caſu noſtro, non tenetur compenſare illam in pecunia, niſi forte damna aliqua ſint ſubſequuta.

Vnde hi Doctores non obligant virum illuſtrem, aut Prælatum ad reſtituendam famam plebeo, retractando ſeipſos, & cum iactura ſuæ bonæ opinionis: & in hac parte eis aſſentimur. Volunt tamen non teneri ad ſatisfaciendum in pecunia, aut alia via, quando non poteſt, aut non debet fieri reſtitutio famæ in eodem genere, adducti his fortaſſe rationibus.

4 Tum quia, qui non poteſt † reſtituere pecuniam iniquè acceptam alia pecunia, non tenetur illam reſtituere in orationibus, aut in alio genere, iuxta communem opinionem. ergo ſimiliter qui non poteſt, aut non eſt obligatus reſtituere famam in eodem genere, non tenebitur in alio, veluti in pecunia.

Conſequentia deducitur: quia ſi reſtitutio quando non poteſt fieri in eodem genere boni, poſſet in alio; certè qui non poſſet reſtituere pecuniam in pecunia, teneretur reſtituere illam in honore, vel obſequijs, aut orationibus: quod nullus vnquam docuit.

Tum quia ſi reſtitutio famæ iniquè ablatæ poſſet fieri in pecunia, tunc alienæ coniugis corruptor, cum per tale adulterium eius viro in honore, & fama noceat, teneretur ſatisfacere honori illius in pecunijs: at nihil tale eſt in caſu, nec periti confeſſarij præceperunt vnquam alicui tale genus ſatisfactionis. ergo infamator non valens reſtituere famam in eodem genere, non tenetur compenſare eam in pecunia.

His duabus opinionibus extremis relictis, reſpondeo ad caſum
5 propoſitum, Bonifacium virum magnum diuitē, † & egregiæ exiſtimationis non teneri cum tanta ſuæ famæ iactura, aſſerendo ſcilicet ſe eſſe mentitum, aut falſum dixiſſe, Marini priuati hominis famam læſam reſarcire; ſed ſatis eſſe, ſi in pecunia, vel alijs bonis illam recompenſet.

Hæc reſponſio duas habet partes: quarum prima eſt, quòd non tenetur Bonifacius alterius famam reficere cum ſuæ propriæ detrimento. Altera verò, quòd poteſt illam pecunia, vel alia via compenſare.

6 Prima pars probatur: quia ille † qui decem aureos furto abſtulit, nec eos poteſt reſtituere ſine iactura centum, non tenetur talem reſtitutionem facere cum tanto impendio, vt omnes Doctores concedunt, ſed poteſt illos decem dare pauperibus, aut ſolutionem differre, aut aliam viam indagare ſoluendi. ergo à fortiori nec Bonifacius vir illuſtris, qui diffamauit Marinum plebeum, tenebitur cum propria infamia famam Marino reſarcire; cum maius interuallum ſit inter famam talis viri, & famam plebei, quam inter decem, & mille aureos.

7 Et confirmatur: quia reſtitutio fit † ad conſtituendam æqualitatem: at Bonifacium virum illuſtrem, & ſummæ exiſtimationis cadere à ſua bona opinione, vt reſtituat famam plebeo, non eſſet æqualitas, ſed inæqualitas maxima; cum Bonifacij bona exiſti-

matio

8 matio † longè præſſet famæ plebei. ergo non tenetur reficere
huius famam cum tam graui iactura ſuæ, aſſerendo ſe eſſe menti-
tum, aut falſum dixiſſe.

Secunda pars, ſcilicet quod poteſt Bonifacius illam Marini fa-
mam pecunia, vel alia via recompenſare, probatur.

Primo, quia pecunia eſt menſura rerum temporalium, quæ
9 † etiam fama æſtimari poteſt, cum numeretur in bonis tempora-
libus: & tanta poteſt eſſe quantitas pecuniarum, vt æquetur ali-
cuius famæ, præſertim hominis plebei. ergo pecunia compenſare
poterit Bonifacius famam Marini ablatam, cum in caſu non te-
neatur, aut debeat reficere in eodem genere.
10 Secundo, quia quando† damnum illatum in corpore, aut mem-
bris nón poteſt refici in eodem genere, reficiendum eſt in pecu-
nijs ad arbitrium boni viri, quamuis vita, & membrum corporis
res pretioſior ſit, quam pecunia, ex communi Doctorum ſenten-
tia, quam tenet *D. Thom. 22. q. 61. ar. 2. ad. 1. Salon, & Aragon.*
cum alijs relatis ibi ab *Aragone*: ergo multo fortius damnum illa-
tum in fama, quando in eodem genere famæ non poteſt, aut non
debet reſtitui. Patet conſequentia; quia fama cum non numeretur
in bonis naturalibus, ſed temporalibus, maiorem affinitatem ha-
bet cum diuitijs, quam habeat cum ipſius vita, ſalus, aut integri-
tas membrorum.

Et confirmatur auctoritate *D. Thom. 22. q. 62. ar. 2. ad* 2. di-
centis, quod ſi infamator non poteſt famam reſtituere (ſcilicet
in proprio genere iuſta aliqua de cauſa, vt in caſu noſtro) debet
ei aliter recompenſare (videlicet in alio genere bonorum) prout
in alijs dictum eſt. Hæc autem via eſt, quam dixerat in ſolutione
ad primum, loquens de reſtitutione membri abſciſſi, videlicet vel
in pecunia, vel in honore aliquo, conſiderata cōditione vtriuſque
perſonæ ad arbitrium boni viri. Hæc eſt etiam ſententia com-
munis Doctorum, *Aragonis loc. cit. D. Thom. Salonis ibidem con-
trouerſia* 13. *&* 14. *Soti lib. 4. de iuſt. & iure q. 6. ar. 3. ad 4. poſt
explicationem quarti modi infamandi dub. 2. Cordubæ in ſuo quæ-
ſtionario lib. 1. q. 31. dicto 1. & q. 33. ar. 2. Ludouici Lopez par. 1.
Inſtructorij conſcientiæ cap. 116. conc. 1. Emanuel Rodriquez par. 2.*

ſummæ,

ſumma, cap.45.conc.2.& 3. Sayri lib. 11. clauis regiæ cap. 3.n.24. Toleti lib.5. Inſtruct. ſacerd.cap.70.n.1.

Neque ſunt audiendi, qui ſequuti *Nau.in Man.cap.17.n.90.* S. Thom. verba interpretantur pro compenſatione damnorum temporalium, quæ ob talem famæ iacturam obuenerunt: quia explicatio hæc, præterquam quòd eſt contra omnes D.Thom. interpretes, verbis eiuſdem apertè repugnat, vt patet legenti textum, loquitur enim ibi de infamatore, qui non valet famam reſtituere.

Neque huic noſtræ reſolutioni officiunt argumenta in oppoſitum adducta. Nam ad primum primæ opinionis, in quo tangitur diſcrimen inter reſtitutionem famæ, & pecuniæ: Con-
11 cedimus famam ablatam † non poſſe reſtitui in ſuo genere ſine detrimento famæ reſtituentis: negantes tamen, quod in caſu noſtro Bonifacius teneatur eam reſtituere in ſuo genere: quoniam hoc non poſſet eſſe ſine iactura ſuæ egregiæ exiſtimationis, quæ longè præſtat famæ Marini: minus autem bonum ex iuſtitia non eſt reſtituendum cum iactura maioris, & multum excedentis.

Ad ſecundum reſpondetur, regulam illam eſſe intelligendam,
12 quando † reſtitutio rei ablatæ commodè, ac ſine inæqualitate fieri poteſt: quod in hoc caſu non habet locum; eſſet enim inæqualitas exponere pro fama plebei bonam opinionem viri illuſtris, vt conſtat.

Ad motiuum *Nauarri* dicentis, non poſſe conferri pretium boni pecuniarij cum pretio famæ, cum fama ſit altioris ordinis, & natura ſua bonum inæſtimabile: Reſpondetur, quòd etſi fama de ſe, & ex ſuo genere, ſeu ſpecie aſſeritur eſſe bonum inæſtima-
13 bile, hoc non impedit, quin † ratione paruitatis materiæ, ideſt, non tantæ famæ poſſit æſtimari pretio aliquo modo; neque enim fama conſiſtit in indiuiſibili. Nam ſicut furtum, licet ex ſua natura, ſeu ſpecie peccatum mortale ſit: tamen in indiuiduo ratione paruitatis materiæ poteſt fieri veniale, quod in genere moris differt à mortali: quia ſecundum Doctores, in actibus moralibus
14 † diſſoluitur ſpecies ratione paruitatis materiæ: vt id quod ex ſua ſpecie

ſpecie erat mortale, ratione paruitatis materiæ ſolum contingat eſſe veniale. Ita fama licet ex ſua ſpecie alias ſit inæſtimabilis, tamen ratione paruitatis in indiuiduo ſoluitur eius ſpecies, vt docet *Lopez par.1.cap.116.poſt.5.concluſion. fundamento 2.*

Ad argumenta pro opinione Syluestri, & aliorum. Ad primum reſpondetur, negatione conſequentiæ: non enim eſt ſimile de reſtitutione pecuniæ in orationibus, & famæ in pecunia: quia cum reſtitutio fiat ad damnum recompenſandum, damnum in pecunia illatum non reficitur aliqua ex parte honore, vel oratio-
15 nibus: at damnum illatum † in fama, cum ſit temporale, & pretio æſtimabile, quando in eodem genere refici non poteſt, refici poteſt in pecunijs.

Ad ſecundum negatur illatio: quia per adulterium non infamatur vir adulteræ criminis illius omnino ignari; ſed potius adul-
16 ter ipſe, ac adultera manent infames: quia infamia † eſt ſiniſtra opinio, quæ de aliquo habetur ob ſua crimina. Quod ſi opinione mundi vir adulteræ contemnatur, huius opinionibus mundi nulla habetur ratio in his, quæ pertinent ad conſcientiam.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium ratum nondum conſummatum, per ſequentem alterius coniugis profeſſionem in approbata Religione validè factam, dirimitur, & n.6.*

2 *Dirimitur verò non ſolo iure humano, cum matrimonium iure diuino obliget, ſed auctoritate Chriſti Domini diſpenſantis, diuinoque priuilegio, quod per Apoſtolos Eccleſia accepit.*

3 *In matrimonio rato eſt tacita conditio, niſi alter coniugum velit tranſire ad Religionem.*

4 *Ingreſſus, & profeſſio Religionis eſt quædam mors ſpiritualis, qua aliquis ſeculo moriens viuit Deo.*

5 *Per votum ſolemne emiſſum in Religione Equitum S. Ioannis diſſoluitur matrimonium ratum, & non conſummatum, ac coniugi relictæ fas eſt alteri nubere, & n.11.*

7 *Equitum Melitenſium Religio eſt vera Religio, & n.8.*

9 *Qui*

6 *Qui emittunt tria vota ſubſtantialia ſub aliqua regula à Sede Apoſtolica approbata, ſunt verè, & propriè religioſi, ſiue regulares, & huiuſmodi ſunt Equites Melitenſes.*

10 *Forma profeſſionis Equitum S. Ioannis, ſeu Melitenſium.*

12 *Sicuti vinculum matrimonij mors corporalis ſoluit, ita etiam mors ſpiritualis per profeſſionem in Religione.*

13 *Vitium, quod eſt in Religione non reformata, non eſt vitium ipſius Religionis, ſed Religioſi diſcoli.*

14 *Equites D. Ioannis ex priuilegio ſummorum Pontificum habent, vt non comprehendantur ſub iure aliorum Religioſorum quantum ad odia, & rigores.*

15 *Voto Religionis ſatisfacit, ſi quis fiat Eques Melitenſis.*

CASVS LIII.

CLAVDIVS matrimonium contraxit cum Dominica, ſed ante conſummationem Sacramenti ingreſſus eſt Religionē Equitum D. Ioannis, ſeu Melitenſium, & in ea poſt annum votum ſolemne emiſit. Cumque votum Religionis ſolemne, matrimonium ratum dirimat: *Quæritur, an in tali caſu Dominica poſſit alteri nubere.*

1 Matrimonium ratum † nondum conſummatum, per ſolemnem alterius coniugum profeſſionem in approbata Religione validè factam dirimi, & communis eſt omnium Doctorum ſententia, & definitum de fide nunc in *Concilio Trident. ſeſſ.* 24. *can.* 6. & olim ab *Alex.* III. *cap. Verum, & cap. ex publico,* & ab *Innoc.* III. *cap. ex parte* 2. *de conueſione coniugatorum*; quod verum eſſe decernunt, etiamſi alter coniux repugnet: derelicto tamen fas eſſe ad ſecundas nunptias tranſire, ſi religioſus ſimiliter fieri nolit. Quo fit vt damnata ſit tamquam hæretica aſſertio *Eraſmi in annotationibus ſuper cap. 7. primæ ad Corinth.* dicentis iniquum eſſe per inſtitutum humanum, mutatumque pallium matrimonij vinculum

Digitized by Google

2 culum diſſolui. Nec † enim ſolo iure humano ſoluitur, vt falſo putat *Eraſmus*, putauitque *Michael Medina lib. 5. de cælibatu cap. 87. & Gloſſa in cap. vnico, de voto, in 6.* cum quibuſdam in dictum caput, *Ex publico*: Cum matrimonium iure diuino obliget; Eccleſia autem iuris diuini vincula non ſoluat, etſi interdum declaret ex cauſa deficere, & ceſſare; vel diuini iuris auctoritate fulta diſpenſet: ſed ſoluitur vinculum matrimonij tantum rati per votum ſolemne Religionis auctoritate Chriſti Domini, diſpenſantis, diuinoque priuilegio, quod per Apoſtolos Eccleſia accepit perpetuo vſu, & exemplo Sanctorum confirmatum retinet, vt tenent *Scotus 4. ſent. d. 31. q. 1. Abul. 1. Reg. cap. 8. q. 89. & 103. & 113. Sot. 4. ſent. diſt. 27. q. 1. ar. 4. conc. 1. Petrus à Ledeſma, de matrimonio, q. 61. ar. 2. Rebellus par. 2. de obligat. iuſt. lib. 3. de matrimonij impedimento, quæſt. 4. ſect. 2.* cum multis alijs ab eodem ibi citatis.

Cuius placiti Chriſti, & diſpenſationis congruentiæ, & rationes aſſignantur: Tum ne impediatur maius bonum per legem matrimonij, ideſt votum ſolemne Religionis.

3 Tum quòd in matrimonio rato † eſt tacita conditio, niſi alter coniugum velit tranſire ad meliorem frugem, hoc eſt ad Religionem aſcendere.

Tum quia vinculum matrimonij rati eſt aliquo modo ſpirituale, quoniam cauſatur per conſenſum animorum: ingreſſus autem,
4 & † profeſſio Religionis eſt quædam mors ſpiritualis, qua aliquis ſeculo moriens viuit Deo: maximè igitur congruum eſt, vt per talem profeſsionem matrimonium ratum, & non conſumatum diſſoluatur: ſicut conſumatum per carnalem copulam, ſoluitur per mortem corporalem, ſeu carnalem.

Sed deſcendendo ad peculiarem aliquam Religionem, vt ad Religionem militum Hieroſolimitanorum S. Ioannis Baptiſtæ, an matrimonium ratum non conſumatum dirimatur per votum ſolemne, quod vouent hi religioſi Equites dicti Ordinis militaris, res eſt controuerſa inter Doctores. Nam *Sotus 4. ſent. diſt. 27. q. 2. ar. 4. columna antepenultima, & 7. de iuſt. & iure q. 5. ar. 3. circa finem, Franciſcus Sarmento, de reditibus Eccleſiaſticis lib. 4. q. 1.*

n. 13.

n.13. & Graſſius lib.3. conſil.tit. de Regularibus conſ.11. Quibus fauere videtur *Panorm. in Rubrica de Regularibus, & Sylu.verbo Religio, 1. q. 1. verſ. Tertium Hoſpitalarij*, ſuſtinent partem negantem,his fortè perſuaſi rationibus; Tum quia Equites iſti permanent in ſeculo,& viuunt ſecundũ leges ſeculi,& non tranſeunt ad meliorem ſtatum. igitur per tale votum non diſſoluitur matrimonium; cum non ſint verè Religioſi; nam Religioſus verè, & propriè ſeculo moriens Deo viuit.

Tum quia quamuis hactenus non ſit diſpenſatum cum his Equitibus, vt nuptias celebrare poſsint, tamen certè ſalua eorum Religione diſpenſari poſſet: quod non poſſet, ſi eſſet vera,& legitima Religio,vt ait *Sotus loc.cit. de iuſt.& iure:* nam continentia ſimpliciter eſt eſſentialiter annexa veræ Religioni. ſi igitur non eſt legitima Religio, conſequens eſt per profeſsionem in eã factam non ſolui matrimonium ratum nondum conſummatum, cum verba accipienda ſint in propria ſignificatione, ſi non dirimitur. ergo Dominica non poteſt in caſu alteri nubere.

Tum demum: Quia ſi eſſent Religioſi propriè, comprehenderentur ſub decreto *Concil.Trid. ſeſſ.25. de Regular.* vbi decernitur, vt in quacumque Religione tam virorum, quam mulierum profeſsio non fiat ante annum 16. expletum,nec ad eam admittatur, qui minori tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit: & tamen *Sacra congregatio Romæ* declarauit, Concilium de militaribus Religionibus non loqui: nam profeſsionem emittunt iuxta Regulæ præſcriptum, hoc eſt ſtatim atque tertium decimum annum exceſſerint, & ante integrum probationis annum expletum, & non iuxta *Concilij Trid.* decretum. Ergo dictus militaris ordo non eſt verè Religio, & conſequenter per profeſsionem in ea emiſſam à Claudio non diſſoluitur matrimonium ratum, & non conſumatum; & eſt argumentum *Graſſij loc.cit.*

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum præſentem affirmatiuè, nempe, quod per votum ſolemne † emiſſum à Claudio in Religione Equitum S. Ioannis diſſoluitur matrimonium ante contractum cum Dominica per verba de præſenti, & non conſuma-

conſumatum: vnde fas eſt huic alteri nubere.

Ita ſentiunt *Gloſſa* celebris, & recepta *in d. cap. ex publico, de conuerſione coniugatorum, Nauar. lib. 3. conſ. de regul. conſ. 12. & de conuerſione coniugatorum, conſ. 2. eodem libro, Arag. in 22. q. 88. ar 11. Cordubenſis in ſumma q. 148. Petrus à Ledeſma de ſacr. matrimonij q. 61. ar. 2. Azor. 1. par. inſt. moral. lib. 13. cap. 15. q. 4. Rebellus par. 2. de obligat. iuſt. lib. 3. q. 4. Barboſa,* & alij recentiores, quos diligenter citat, & ſequitur *Thom. Sanchez lib. 2. de matrimonio, diſput. 18. num. 8.*

Et probatur prima pars, in qua conſiſtit tota difficultas, ex cuius demonſtratione deducitur euidenter ſecunda, videlicet, quòd Dominica poſſit alteri nubere.

Tum ex definitione *Concil. Tridentini ſeſſ.* 24. in doctrina *de ſacramento matrimonij can.* 6. in qua dicitur, *Si quis dixerit ma-*
6 *trimonium ratum † non conſumatum per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius coniugum non dirimi, anathema ſit.* Vbi Concil. loquitur generaliter de quacumque Religione, & de cuiuſcumq. Religionis profeſſione ſolemni, abſque vlla exceptione: conſtat
7 autem Religionem † prædictam Equitum S. Ioannis, in qua profeſſionem emiſit Claudius, eſſe veram Religionem, vt colligitur ex fundatione, & ſtatutis eius approbatis à ſummis Pontificibus. ergo per tale votum ſolemne emiſſum à Claudio, hoc eſt per profeſſionem factam in ea Religione, dirimitur Sacramentum matrimonij ratum, non conſumatum.

8 Confirmatur, quia Ordo horum Equitum † S. Ioannis Baptiſtæ ex *declaratione ſacræ Congregationis* 329. Religio appellatur, & Equites ij, & Religioſi, & profeſſi ſunt ex *declaratione* 389. *eiuſdem Congregationis*, vt teſtatur *Rebellus loc. cit.*

Tum quia omnes illi, & ſoli dicuntur verè, & propriè Religio-
9 ſi, ſiue Regulares, qui emittunt † tria vota ſubſtantialia, caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ in manibus Superioris, vel locum eius tenentis, & ſub aliqua Regula à Sede Apoſtolica approbata, iuxta ſententiam *D. Thom. & aliorum Theologorum in 4. ſent. diſt. 38. & 22. q. 188. ar. 7.* & *Canoniſtarum in rubrica de Regularibus:* conſtat autem præfatos Equites emittere præfata tria ſubſtantialia

ſtantialia vota in manibus ſui Superioris ſub Regula à Sede Apoſtolica approbata , laudata , & ad ſidera priuilegijs merito exaltata . ergo per profeſſionem Claudij in hac Religione diſſoluitur matrimonium ratum, & non conſumatum .

Tum quia expreſſe in ſtatutis , & cæremonijs profitendi prædictorum Religioſorum militum , & Religioſorum Clericorum habetur vna forma , & vnus modus profitendi , quæ ſatis eſt , vt
10 refert *Graſſius loc. cit.* † *Ego F.N. voueo , & promitto Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini Genitrici Dei, & S. Io. Baptiſtæ me obſeruaturum perpetuo Deo iuuante veram obedientiam cuilibet Superiori, qui mihi à Deo, & ab ipſo ordine dabitur; item me victurum abſque proprio , & caſtitatem ſeruaturum.* Et conſtat per profeſsionem Religioſorum , qui profitentur quo ad chorum diſſolui matrimonium ratum, non conſumatum; quod fatentur etiam aduerſarij , vt Sotus ipſe, & alij eius ſectatores . ergo etiam diſſoluitur per profeſsionem eorum , qui eam profitentur quo ad militiam armatam, vt fecit Claudius in caſu noſtro.

Tum demum: quia ſpecialiter in ſtatutis , & cæremonijs prædictæ Religionis cauetur expreſsè , teſte *Nau. loc. cit.* vltimo , eos qui contraxerunt matrimonium , & non conſumauerunt illud, poſſe intrare, & profiteri prædictam Religionem : quod non eſſet, niſi per profeſsionem in ea factam diſſolueretur matrimonium ratum , & non conſumatum . itaque per talem profeſsionem Claudij fuit illud diſſolutum .

Secunda pars , ſcilicet , quòd Dominica poteſt votum ſolemne emiſſum à Claudio in religione Equitum S. Ioannis , poſsit alteri nubere : Probatur, tum per *cap. ex parte 2. de conuerſione coniugatorum* , vbi Innoc. III. decernit, quod ſicut licitum eſt alteri coniugum reliquo inconſulto ad Religionem tranſire, ſcilicet
11 ante matrimonium conſumatum : † ita legitimè poterit alter alteri ſe copulare, videlicet poſt profeſsionem emiſſam .

Tum ratione , quia nullus poteſt alterum obligare ad ea , quæ ſunt perfectionis, vt eſt continentia. Dominica igitur non arctatur ad continentiam ob ingreſſum Caudij viri in Religionem , & profeſsionem in ea, & ſic poteſt nubere .

12 Confir-

Digitized by Google

12 Confirmatur:quia ſicut † mors corporalis viri vinculum matrimonij ſoluit, ita etiam mors ſpiritualis per profeſſionem in Religione. ergo ſicut poſt mortem corporalem viri mulier poteſt nubere cui voluerit; ita etiam poſt profeſsionem in Religione validè emiſſam. Hæc eſt ſententia communis Doctorum omnium, *D.Thom. in additione ad 3.par.q.61.ar.3.* vbi *Petrus Ledeſma, & Soti in 4.ſent. diſt.27.q.1.ar.4.conc.3.* & aliorum.

Neque obſtant argumenta *Soti*,& aliorum. Nam ad primum reſpondetur, quod iſti Equites tranſeunt ad meliorem ſtatum per illam profeſsionem, & ſunt mortui ſeculo: quòd ſi ipſi viuunt ſecundum leges ſeculi, ſibi imputent, non Religioni: quoniam
13 vitium,† quod eſt in Religione non reformata, non eſt vitium ipſius Religionis, ſed Religioſi diſcoli.

Ad ſecundum dicendum eſt, conſultè fortaſſe concedi poſſe talem diſpenſationem cum his Equitibus, vt vxores ducant propter vitium relaxationis, & remiſsionis, quod eſt in perſonis huius ordinis: veruntamen id fieret tollendo illorum antiquam Religionem, & inſtituendo aliam; at ea, quæ modo eſt, quamuis ſit relaxata, continet tamen tria vota ſolemnia Religioni legitimæ neceſſaria, & eſſentialia.

Ad vltimum reſpondetur, quod Sacra Congregatio non dicit, quod non ſint propriè Religioſi, præſertim ſi loquamur de illis militibus, qui caſtitatem ſimpliciter vouent, vt ſunt Equites D.Ioannis: ſed quod in hoc decreto non loquitur de eis: quia
14 ex priuilegio † ſummorum Pontificum habent, vt non comprehendantur ſub iure aliorum Religioſorum quantum ad odia, & rigores: ſic excipiuntur, ne teneantur tribuere Seminario in *Conc.Trident.ſeſſ.23.cap.18.* & in *conſtitut. Clem. VIII. de largitione munerum*, quam edidit contra Regulares cuiuſuis Congregationis, Societatis, & inſtituti, excipiuntur Religioſi militiam exercentes. Sed ex his non ſequitur, quod iſti Milites S.Ioannis, qui tria vota ſubſtantialia emittunt, non ſint propriè Religioſi, & quòd eorum ordo non ſit vera Religio.

15 Ex his infertur, quòd ſi quis † faciat votum Religionis, optimè ſatisfaciet voto, ſi Religionem præfatam Equitum D.Ioannis

ingrediatur, quæ caſtitatem ſimpliciter ex Regula, & paupertatem, & obedientiam ſeruat, niſi aliud cum vouerit expreſſerit. Sic affirmant *Aragonius, & Azorius, loc.cit.*

Hæc ſint dicta, ſalua ſemper meliori ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Non licet alteri conſulere, quod non poteſt benefacere. Limita vt n.11. Non licere abſolutè conſulere, ſed bene in caſu.*

2 *Refertur opinio Azorij atque* Caietani. *Sed reijcitur vtraque num. 12. & 13.*

3 *Conſulens ei, qui paratus eſt alicui tertio maius damnum inferre, vt minus eidem inferat, à reſtitutione, & peccato deobligatur.*

4 *Conſulens, vt fiat minus malum vni ad vitandum maius ab altero, tenetur ad reſtitutionem.*

5 *Conſulere minus damnum ad euitandum maius, non eſt conſulere abſolutè damnum, ſed comparationem illam, qua dicitur, potius eſſe faciendum minus malum, quàm maius, & num.7.*

6 *Conſulere minus malum in caſu, non tam eſt conſulere malum, quàm auocare à malo maiori.*

8 *Duplex cauſa, ſimpliciter cauſa, & conditionalis: prima eſt effectrix, non ſecunda.*

9 *Minus malum reſpectu maioris mali eſt bonum, quamuis abſolutè, & ſimpliciter ſit malum.*

10 *Conſulere minus malum non eſt idem ac facere, ſi conſulat conditionaliter; eſſe tamen idem, ſi conſuleret abſolutè.*

14 *Loth filias ſtuprandas offerens peccauit; excuſatur tamen à Sanctis à tanto, ſed non à toto.*

CA-

CASVS LIV.

DIOMEDI parato furari centum aureos cuidam ciui, cum nullis precibus Cæſarius ab hoc magno furto diuertere eum poſſit, conſulit, vt non tantum damnum ciui illi inferat, ſed contentus ſit ſolum quinquaginta furari. *Quæritur, an Cæſarius conſulens ad restitutionem minoris damni teneatur.*

In præſenti caſu, in quo quæritur, an Cæſarius conſulens Diomedi parato furari centum, vt contentus ſit ſolum ſurripere quinquaginta, teneatur ad reſtitutionem huius minoris damni ciui illati, quamuis de culpa nulla fiat mentio, num ſcilicet tale conſilium ſit peccatum, nec ne, ſed tantum de obligatione reſtituendi: habent tamen iſtæ duæ difficultates tantam inter ſe analogiam, & affinitatem, vt vna ſine altera plenè explicari nequaquam valeat. Quarè ſimul examinabimus, an qui conſulit minus damnum ad euitandum maius, ſeu minus malum ad auocandum à peiore, peccet, teneaturque reſtituere illud minus, quod conſuluit. Et loquimur quando res ad eas anguſtias redacta eſt, vt tentatis omnibus vijs ad ſuadendum malefactori, ne damnum inferat, nihil proficimus, & ſolum ſuperſtet hæc via, conſulere minus vel damnum, vel malum. Quæ quæſtio ſatis difficilis eſt, nec deſunt pro vtraque parte argumenta.

Pro parte affirmante, quòd Cæſarius teneatur ad reſtitutionem minoris damni, facit primo: quia Cæſarius ſuo conſilio verè influit, & mouet Diomedem ad illud damnum minus. ergo tenetur ad reſtitutionem illius minoris damni ſubſequuti; eſt enim cauſa efficax illius; & omnis, qui eſt cauſa exſicax alicuius damni, tenetur de damno illo.

Facit ſecundo, quia conſulere minus damnum quocumque fine, eſt inducere ad illud: inducens autem aliquem ad damnum

proximi, agit contra iuſtitiam commutatiuam, quæ reſpicit æqualitatem. igitur tenetur reſtituere, & ſatisfacere damnum paſſo; & ita Cæſarius inducens Diomedem ad damnum Ciuis, licet minus, tenebitur ad reſtitutionem illius.

Quod verò peccet dando tale conſilium, tenent expreſsè *Gabriel in 4. ſent. diſt. 15. q. 11. ar. 3. dub. 14. Caiet. 22. q. 78. ar. 4.* qui ſibi eſt contrarius in *ſummula verbo, Tyrannis, Conradus, de contractibus q. 26. coroll. 1. Couarru. in Epito. de ſponſalibus, 1. par. cap. 4. n. 9. circa finem, Syluest. verb. matrimoniũ, 7. q. 5. §. Nonum, Ioſeph Angles in ſuis floribus Theologicis in 4. ſent. par. 2. q. quis reſtituere teneatur, ar. 1. diffic. 8. & Azorius 2. par. inſtitut. moral. lib. 12. cap. 16. q. 8.* quæ opinio his rationibus fulcitur.

Tum quia non ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona, ex ſententia *D. Pauli ad Rom. 3.* euitare autem maius malum, quædam ſpecies boni eſt, vt *5. Ethic. cap. 1.* auctor eſt *Ariſtoteles*: & conſulere minus malum, idem eſt ac facere: cum conſulens ſit cauſa illius rei quam conſulit. ergo non licet conſulere minus malum, ſeu damnum ad euitandum maius, ſiue peius.

Tum quia ſi Cęſario fas eſſet tale conſilium Diomedi præbere, non eſſet nefas ſibi ipſi idem aſſumere. quare liceret ſibi facere minus malum, vt peius caueret. quod eſt abſurdum.

Tum quia conſenſus in peccatum alterius, etiamſi habeatur propter bonum finem, peccatum eſt, vt conſtat: ſed qui conſulit alteri minus malum, conſentit in peccatum, quod ille committet exercendo illud minus malum: quia is qui conſulit, aut vult illud fieri ab eo, cui præbet conſilium, aut ſecus: ſi primum, conſentit ergo in peccatum alterius: ſi ſecus, non ergo verè conſulebat, ſed ſimulatoriè: hic autem agimus de eo, qui verè, & ex animo conſulit minus malum ad vitandum maius. ergo peccat.

1 Tum demum, quia nunquam licet † alteri conſulere, ipſumque inducere, vt aliquid faciat, quod ipſe non poteſt benè facere: at Diomedes paratus furari centum non poteſt abſque peccato ſurripere quinquaginta: cum hoc, quod eſt minus malum, ſit intrinſecè, & ſua natura malum. ergo Cæſarius non poteſt Diomedi illud minus furtum conſulere, & ad illud eum inducere.

Et ita

Et ita ſecundum iſtam opinionem non eſt licitum parato ad adulterium dicere, ne adulteretur, ſed fornicetur; neque parato ad occidendum alium conſulere ne occidat, ſed percutiat, vel pugnis, vel fuſte, vel alapa cædat, vel ſpoliet: quia nihil horum poteſt benè fieri. Vnde iſti Doctores (vt *Ioſeph Angles, & Azo-*
2 *rius*) diſtinguunt † de duplici minori malo, quod conſulimus ad euitandum maius: quia vel illud minus malum eſt intrinſecè malum; vel non eſt intrinſece malum, ſed res eſt ſua natura indifferens. Si primum, tunc parato ad faciendum maius malum, dicunt iſti, non eſt licitum illud minus conſulere, vt abſtineat à maiori malo, de quo procedunt exempla modo adhibita. Si autem minus malum, eſt res ſua natura indifferens, quam ipſe paratus ad faciendum maius malum poteſt benè facere, licitum eſt nobis conſulere illud, quod eſt minus, quamuis ſciamus eum non niſi malè facturum. verbi gratia ſi aliquis velit me occidere, licet mihi illi dicere, accipe pecunias, ne me occidas: nam cum dico, accipe pecunias, rem dico, quæ non eſt intrinſecè mala, & quam ipſe poteſt bene facere, ſi velit, nimirum capere pecunias animo reſtituendi eas, & vt ſuæ neceſsitati ſubueniat. Et ita *Hierem* 41. dixerunt decem illi viri Iſraeli, *Noli occidere nos, quia habemus theſauros in agro, frumenti, olei, & mellis*. Item ſi quis velit alium occidere, qui in latrones incidit, licitum eſt mihi dicere, ecce pecunias habet, cape eas, ratione ſuperius allata.

Caiet. vero 22.*q.*78.*ar.*4. vt ad hanc difficultatem reſpondeat, præmittit; aliud eſſe offerre alicui materiam, in qua exerceat minus malum, & aliud conſulere minus malum: nam primum eſt licitum gratia maioris vitandi mali, exemplo Loth, qui offerens filias ſuas virgines ciuibus Sodomitis ad auocandum eos à maiori peccato, ideſt à vitio nefando, dixit eis, *Gen.* 19. *Nolite quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ non dum cognouerunt virum; adducam eas ad vos, & abutimini eis, ſicut vobis placuerit*. Secundum eſt malum, & ſic dicit non eſſe licitum conſulere, & inducere ad minus malũ, pro maiori vitando.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitum negatiuè: Cæſarium, qui Diomedi parato † maius damnum
3

inferre, nempe furari centum, conſuluit, vt minus eidem inferret, vt ſcilicet tantum quinquaginta ſurriperet, non teneri ad reſtitutionem illius minoris damni, nec peccaſſe.

Hæc eſt communior Doctorum ſententia, *Adriani in 4. ſent. in materia de reſtitutione in principio*, §. *ſecundo dubitatur*, & *quodl.* 1. *ar.* 3. *in reſponſione ad octauum*, *Io. Medinæ C. de rebus reſtituendis*, *q.* 7. *Soti de iuſt. & iure lib.* 4. *q.* 7. *ar.* 3. *& lib.* 6. *q.* 1. *ar.* 5. *Petri Nauarri lib.* 3. *de reſtitutione*, *cap.* 4. *n.* 29. *Rebell. de oblig. iuſt. par.* 1. *lib.* 2. *q.* 14. *ſect.* 4. *concluſ.* 3. *Petri Aragonis* 22. *q.* 62. *ar.* 7. (vbi *Michael Salon controu.* 7.) *& q.* 78. *ar.* 4. *& ibidem Salonis controu.* 1. *Gregorij de Valent. tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 10. *puncto* 7. *& diſp.* 5. *q.* 21. *puncto* 4. *Caiet. in ſummula ver. Tyranis*, *Angeli ver. vſura* 2. §. 2. *Ludouici Lopez par.* 2. *Inſtructorij conſcientiæ cap.* 84. *Sayri lib.* 10 *clauis regiæ*, *tract.* 2. *cap.* 8. *n.* 3. & ex Iuriſperitis *Innocentij*, *& Panorm. in cap. ſuper eo, de vſuris*, *& Nauarr. in Man. cap.* 14. *n.* 40. *& cap.* 17. *n.* 163. *& aliorum*.

Sed antequam hanc ſententiam ſuis rationibus comprobemus, adnotare oportet, quod licentia hæc conſulendi minus damnum, ſeu malum ad cauendum peius, non datur niſi reſpectu eiuſdem tertij, quando ſcilicet vtrumque damnum eſt circa eandem perſonam, vt exponitur in caſu noſtro, in quo Diomedi volenti furari ciui centum Cæſarius conſulit ne furetur, niſi medietatem, nempe quinquaginta; quia tunc illi ciui conſilium hoc eſt vtile; rem enim eius ſeruat citra vllius alterius iniuriam: non tamen
4 id liceret circa diuerſas perſonas: nam ſi vt vites † damnum Petri, aut eius necem, conſulis, vt damnum minus detur Paulo, aut fuſte cædatur, citra dubium ad reſtitutionem teneris, & letaliter peccas: quia vt liberes Petrum à damno, non habes ius lædendi Paulum: imo Paulus habet ius, ne quis conſulat damnum ipſius ad euitandum damnum alterius. ita docent *Sotus*, *Lopez*, *Salon*, *& Sayrus locis ſupra citatis*.

Probatur nunc prima pars noſtræ reſponſionis, ſcilicet quòd Cæſarius ſic conſulens non teneatur ad reſtitutionem. Quia qui tenetur reſtituere, aut tenetur ratione rei acceptæ, aut ratione iniquæ acceptionis. In hoc caſu non tenetur Cæſarius conſiliator

liator ratione rei acceptæ, quia ſupponimus eum nihil ex furto Diomedis accepiſſe: nec ratione iniquæ acceptionis: quia non conſuluit proprie iniquam actionem, cum conatus ſit, vt ille in nullo noceret, conſulueritque illud minus damnum, non vt damnum, ſed vt medium tunc ſolum occurrens ad vitandum illud maius: qua ratione hoc minus habet certè rationem boni. ergo nec etiam tenetur reſtituere ratione iniquæ actionis.

5 Et confirmatur, quia conſulere † minus damnum ad euitandum maius, non eſt abſolutè conſulere damnum, ſed comparationem illam, qua dicitur potius eſſe faciendum minus malum, quam maius, quæ habet rationem boni, & eligibilis, iuxta illam regulam topicam, & axioma Theologorum, & Canoniſtarum, *Ex duobus malis minus eſt eligendum*; & habetur *Can. duo mala*, & *Can. Nerui*, *diſt.* 13. neque intentio conſulentis tunc fertur in damnum, quod minus eſt; ſed in hoc, quod eſt maius impedire. Quarè non ſolum non eſt nocuum tale Cæſarij conſilium ciui, ſed eſt commodum & vtile. igitur conſulens ad nullam prorſus reſtitutionem tenetur. Hoc affirmat etiam *Azor. loc. cit. quæſt.* 8. *ver. tertio*.

Quod verò non peccet, ſed rem licitam agat, quod eſt alterum membrum allatæ reſponſionis, ſic oſtenditur.

Tum quia ſi Cæſarius ita conſulens peccaret, vel peccaret in animam Diomedis agentis ob ſcandalum, ſeu cooperationem in eius peccatum; vel peccaret in proximum ob damnum ei illatum. Non primum: quia cum Diomedes paratus ſit malum maius com-
6 mittere, conſulere ei minus malum, ſeu damnum, † non tam eſt conſulere malum, quam auocare illum à malo maiori, ne illud committat, ſed vt potius ſuæ ſatisfaciat cupiditati, illud minus malum, ſeu damnum committendo; vnde tantum abeſt, vt ſic conſulens ruinæ eius ſpirituali cooperetur, vt potius cooperator ſit ne anima eius ita ruat, ac grauiter peccet. Nec ſecundum, ideſt non peccat in proximum, nempe in ciuem; quia vt iam demonſtratum eſt, conſulendo minus damnum, rem ciuis vtiliter gerit, nec rationabiliter poteſt eſſe inuiſus: imò potius beneficij loco habere debet, quod cauſa fuerit quominus tam graue damnum paſſus ſit.

Tum quia conſilium Cæſarij habet bonum obiectum & finem: non igitur eſt illicitum, neque malum. Conſequentia patet, & antecedens probatur: & quidem de fine nullum eſt dubium, cum ſit vitare, & impedire per illud conſilium maius damnum, ſeu malum, puta furtum nocentius, vel homicidium, ſi conſilium detur parato occidere, vt potius fuſte percutiat. Sed de obiecto idem
7 probatur: nam obiectum illius conſilij non eſt abſolutè, † fac hoc malum; ſed hoc conditionale: Scilicet, ſi illud maius malum conſtituiſti facere, potius fac hoc minus: hoc autem obiectum, quia rationi conſonum eſt, bonum eſt. Demum fulcitur hæc ſententia auctoritatibus Sanctorum Patrum, tum *D. Auguſtini*, qui *lib. 2. de adulterinis coniugijs cap.* 15. & refertur 33 *q. 2. can. ſi quid verius*, de viro adulteræ loquens, ſic ait; *ſi facturus eſt, quod non licet* (puta vxorem occidere, vel dimittere) *iam faciat adulterium; & non faciat homicidium.* Vbi apertè *D. Auguſtinus* conſulit minus malum ad euitandum maius.

Tum *D. Chriſoſtomi hom. 27. ad populum Antiochenum*, vbi admonet, conſulendum eſſe illi, qui ſolitus eſt iurare per Deum, vt iuret per caput ſuum, ne iuret per Deum: quia minus malum eſt iurare per caput, quam per Deum.

Neque obſtant argumenta in oppoſitum allata: Nam ad primum contra primam partem noſtræ reſponſionis, quo probatur Cæſarium ſic conſulentem teneri ad reſtitutionem minoris damni, negatur, quod Cæſarius ſic conſulens influat, & moueat Diomedem propriè, & formaliter ad malum, & quòd ſit cauſa efficax illius minoris damni: quia non conſulit illud minus damnum ab-
8 ſolutè, ſed conditionaliter. Nam duplex eſt cauſa, † vna abſolutè, & ſimpliciter cauſa; altera conditionalis: prima eſt effectrix, & iſta eſt cauſa mali; poſterior verò non: vnde hæc conſequentia non valet, eſt cauſa conditionalis mali. ergo eſt cauſa mali: quoniam à cauſa ſimpliciter à cauſa ſecundum quid; & è contra à cauſa ſecundum quid, ad ſimpliciter, nulla eſt argumentatio.

Ad ſecundum negatur maior abſolutè: quia conſulere minus damnum parato ad faciendum maius, non eſt inducere illum ad malum, imo ad bonum: intentio enim conſulentis tunc non fertur in

tur in damnum, quod minus eſt; ſed in hoc, quod eſt maius impedire, ad quod vtitur hoc medio, cum nullum aliud ſufficiat,
9 ſuadere minus: quod † reſpectu maioris mali eſt bonum, quamuis
abſolutè & ſimpliciter ſit malum: quare Cæſarius in caſu non induxit Diomedem, vt inferret damnum; quia hoc apud ſe habebat conſtitutiſſimum, ſed vt minus damnum inferret.

Ad alia, quibus probatur, quòd talis conſiliarius peccet. Ad primum, conceſſa maiori propoſitione, negatur, quòd conſulere
10 minus malum, † idem ſit ac facere: quia verum eſſet, ſi conſu-
leret abſolutè, non ſi conſulat conditionaliter, vt in caſu.

Ad ſecundum negatur illatio: non enim ſequitur, mihi non licet ſumere ſimile conſilium, igitur non licet mihi alteri dare: nam cum mihi facultas non ſuppetat dimouendi illum ab vtroq. malo, iuſtum eſt eum à grauiori diuertere conſulendo minus: ſed ego non poſſum facere minus malum, vt euitem maius: quia ſemper eſt in mea poteſtate duobus delictis oblatis vtrumq. cauere.

Ad tertium etiam negatur conſulentem minus malum ad vitandum maius conſentire in peccatum aliquod, ſed in hoc conditionale, ſi illud maius malum conſtituiſti facere, potius fac hoc minus. Fertur itaque conſenſus non in minus malum, vt malum, ſed vt minus nocumentum, vbi maius erat inferendum. Et ad probationem, cum dicitur, qui conſulit, aut vult illud minus malum fieri, vel non ab eo, cui conſilium præbet: Dico abſolutè non velle, ſed conditionaliter, ſi maius eſt faciendum, vt illud hac via impediat.

Ad vltimum: Cum dicitur in maiori, non licere alteri conſulere, ſeu aliũ inducere, vt aliquid faciat, quod ipſe non poteſt benè
11 facere, vt furari quinquaginta. Reſpondetur † verum eſſe abſo-
lutè, & ſimpliciter: quia tunc is qui conſulit, cooperatur: & quod non licet operari, nec cooperari; licere tamen, quando illo opere ſecundum ſe illicito vitatur aliud magis illicitum: quia tunc opus illud non conſulitur, vt illicitum, & malum, ſed tamquam auerſio à maiori malo. quo fit vt illud minus malum in caſu ex circumſtantia finis ſit bonum. Vel vt alij dicunt, materialiter quidem ſit malum, formaliter verò in conſulente ſit bonum.

Poteſt

Poteſt etiam reſponderi ſicut ad ſecundum: & quoad alia exempla allata ab *Azorio loc. cit.* falſum eſt illa non eſſe licita.

12 † Neque diſtinctio illa de minori malo intrinſecè malo,& indifferenti habet locum in caſu noſtro, in quo vtrumque licet ad vitandum maius conſulere.

13 Tandem ad fundamentum Caietani, dicimus illud eſſe † figmentum parum ad mores referens, ſcilicet concedere fas eſſe proponere materiam minoris mali ad euitandum maius,& tamen negare licentiam conſulendi, cum moraliter idem omnino ſint. quare & ſanctus Loth non ſolum expoſuit filias ſuas nefandis Sodomitis, quo cauerent hoſpitum abuſum, ſed ait, *Abutimini eis:* & dicere, quod illud fuit ſolum permiſſio, non eſt verbis textus conſonum, quibus apparet fuiſſe pluſquam conſilium.

An verò huiuſmodi conſilium Loth fuerit licitum, vel illicitum; ſeu Loth in facto ſuo peccauerit, nec ne?

Dico, quod ſi conſideretur factum ex natura ſua, nullo modo poteſt excuſari: quia licet iure naturali teneretur hoſpites ſuos ab iniuria liberare, quam ciues Sodomitæ inferre eis moliebantur; potiori tamen iure,& vinculo tenebatur ad filiarum ſuarũ pudicitiam cuſtodiendam: vnde nulla ratione licebat abſque peccato filias ſtuprandas offerre. Quamuis ergo in eo,quod conſulit minus malum ad euitandum maius, non peccauerit; in eo tamen,
14 † quod cum detrimento filiarum fecit, peccauit. Si verò dixiſſet hominibus illis, in ciuitate ſunt multæ fœminæ, abutimini illis, non peccaſſet; nullam determinatè proponendo. quomodo intelligenda eſt auctoritas *D. Aug. lib. 2. de coniugijs adulterinis ſupra citata*, vbi loquitur reſpectu eiuſdem viri, quod illi magis expediat, occidere,an mechari. Excuſari tamen Loth poteſt à tanto, licet non à toto, vt à ſanctis Patribus excuſatur; vel propter nimiam animi perturbationem, quæ mentem eius præueniens locum ad deliberandum ſufficienter non reliquit: quomodo excuſatur à *D. Auguſtino in gloſſa illius loci Gen.* 19. & refertur *diſt.* 14. *can. quod ait.* vel propter nimium zelum ſeruandæ hoſpitalitatis, vt à *Beatis Chryſoſtomo & Ambroſio* excuſatur. Commendatur verò à *B. Petro*, appellaturque iuſtus, non quod filias ſuas proſti-

tueret,

tueret, cum in eo deliquerit; ſed quia moribus erat honeſtiſſimus, cum inter ciues adeo ſceleſtos agens nulla ratione fuerit vel in minimo contaminatus. De qua re videndus eſt *Salon*, *&* *Lopez loc. cit.* & *Abulenſis ſuper Geneſim cap.* 19.

SVMMARIVM.

1 *Opera moralia ſunt in triplici differentia, alia ſunt viua, alia mortua, alia mortificata.*

2 *Gratia eſt vita animæ: dat homini eſſe ſupernaturale, n.* 5.

3 *Legata pia à teſtatore relicta pro ſalute animæ ſuæ conſiderari poſſunt bifariam, videlicet in virtute operis operantis, & in virtute operis operati.*

4 *Legata pia nihil proſunt animæ teſtatoris quo ad meritum æternæ gloriæ, aut quoad ſatisfactionem pænarum, ſi ordinauit ea in ſtatu peccati mortalis.*

6 *A natura nobis inſitum eſt, vt amici opera nobis placeant, inimici vero diſpliceant.*

7 *Opus aliquod eſt Deo acceptum, quia perſona, à qua procedit, eſt ipſi accepta.*

8 *Beneficentia eſt effectus beneuolentiæ.*

9 *Nihil prodeſt homini ieiunare, & orare, niſi mens ab iniquitate reuocetur.*

10 *Opus ſatisfactorium oportet eſſe Deo acceptum.*

11 *Nulla fit remiſſio nec culpæ, nec pænæ, niſi in virtute paſſionis Chriſti, quæ non applicatur ei, qui eſt in peccato mortali.*

12 *Satisfactio opus charitatis eſt: vnde opera extra charitatem facta non proſunt nec ad gratiam, nec ad gloriam, neque ad ſolutionem temporalis pænæ, n.* 13.

14 *Pænitentia, ſiue ſatisfactio iniuncta in confeſſione ad quid valeat adimpleta in peccato mortali, & n.* 15.

16 *Pæna temporalis per ſe nunquam redit in æternam; ſed bene per accidens ratione ſtatus.*

17 *Damnatus pro venialibus perpetuo punietur.*

18 *In inferno nulla eſt redemptio.*

19 *Conſu-*

19 *Conſulendum quid ei, qui in peccato mortali teſtamentum fecit ad pias cauſas.*

CASVS LV.

EVGENIVS, qui à multis annis concubinam detinet, & in peccato mortali perſiſtit, in infirmitatem grauem incidens, teſtamentum facit, multaque legata pia pro ſalute animæ ſuæ relinquit: poſtea de peccatis ſuis dolens, & de illis in confeſſione ſacramentali ſe accuſans beneficium abſolutionis recipit, animamque agit in Dei gratia. *Quæritur, an legata iſta proſint animæ teſtatoris quo ad meritum æternæ gloriæ, & ad ſatisfactionem pænarum, quas in Purgatorio eſt ſolutura.*

Pro intelligentia huius caſus adnotandum eſt primo, Moralia opera eſſe † in triplici differentia. Alia enim ſunt viua, vt quæ ex gratia, & charitate dimanant. Alia verò mortua apud Deum, vt cuncta quæ fiunt in peccato mortali: nam vita animæ † ſola gratia, & charitas eſt. quare quæ ex illo fonte non manant, licet eſſe poſſint moraliter bona; nullius tamen meriti ſunt apud Deum; de ſola enim fide charitate informata dixit Chriſtus *Io. 4. Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Alia denique ſunt opera, quæ viua quidem prodierunt, ſed tamen per peccatum ſunt mortificata: lethale enim crimen antecedentia hominis merita non extinguit, ſed quaſi ſopita, atque obruta reddit; vnde eadem merita per pænitentiam, & gratiam reuiuiſcunt, inſtar arborum frugiferarum, quæ hyeme quidem non intereunt, neque areſcunt, ſed veluti langueſcunt, & vere nouo reuiuiſcere incipiunt, ac floreſcere.

1

2

3 Obſeruandum eſt ſecundo, Legata pia † à teſtatore relicta pro ſalute animæ ſuæ, bifariam conſiderari poſſe. Vel quantum ad opus operantis, ideſt teſtatoris ea ordinantis: vel quantum ad

opus

opus vt aiunt, operatum. Primo modo conſiderata, ſi teſtator, cum ea ordinat exiſtit in gratia,ſunt meritoria præmij eſſentialis, quod eſt augmentum gratiæ, & gloriæ ob bonitatem actus ordinationis ex gratia procedentis, ſiue poſtmodum opus ordinatum fiat, hoc eſt ſuffragia, quæ iuſſit fieri, ſiue nunquam, iuxta ſententiam *D.Thom. 4.ſent. diſt.45.q.5.ar.2.in ſolutione vltimi argumenti, & Soti eadem diſt. q.2. ar.* 4.Et quoniam opus meritorium eſt etiam aliquo modo ſatisfactorium, ſi ratione illius affectus, & iuſſionis meretur teſtator, vt quatuor ei gradus pænarum remittantur,nunquam illos in purgatorio patietur, vt docet *idem Sotus loc. cit.* At ſi teſtator non fuit in gratia (vt contingit in caſu noſtro) dum illa ſuffragia fieri ordinauit, nihil meretur per ſuam ordinationem,ſiue poſtea recuperet charitatem,ſiue non. Conſiderata verò eadem legata pia ſecundo modo, ſcilicet quantum ad opus operatum, hoc eſt quantum ad ſuffragia poſt mortem agenda, ſi illa fiant, & ordinata fuerint à teſtatore exiſtente in gratia, liberatur anima eius à pæna purgatorij, correſpondente ſuffragio ex opere operato: quæ pænæ remiſſio dicitur à Theologis accidentale præmium. Verum ſi ordinata fuerint à teſtatore exiſtente in peccato mortali,licet fiant, nihil animæ eius proſunt, etiamſi ſit in charitate pro illo tempore, quo ſua legata executioni mandantur,per ſe loquendo; per accidens tamen vtilitatem aliquam afferre valent, quatenus pauperes boni,vel ſancti receptis eleemoſinis excitantur ad orandum pro anima illa, pro qua eis eleemoſinæ fuerunt elargitæ. Hic tamen non loquimur de celebratione Miſſarum, vel exequijs mortuorum, alijſque bonis, quæ ab Eccleſiæ miniſtris fiunt, ex quibus ſemper multa manat vtilitas. Demum ſi ſuffragia poſt mortem impendenda negligantur, nullum penitus effectum teſtator, qui illa fieri iuſſit, conſequitur ex opere operato: quia neglecto ſuffragio nullum eſt opus operatum: & ita teſtator fruſtratur ſuffragiorum efficacia quantum ad præmium aliquod accidentale, quod eſt pænæ alleuatio, & de purgatorio celerior in cælum tranſmigratio. Vide *Richardum 4.ſenten. diſt. 45. & Gabriel. in canone Miſſæ, lect.58.*

His

His declaratis reſpondeo ad caſum propoſitum negatiuè: Le-
4 gata iſta † relicta in teſtamento ab Eugenio exiſtente in peccato mortali, nihil ei prodeſſe quantum ad meritum æternæ gloriæ, neque quantum ad ſatisfactionem pœnarum, quas in purgatorio eſt ſoluturus.

Probatur hæc reſponſio quantum ad primam partem, ſcilicet quòd legata iſta ſic ordinata non ei proſint quoad meritum glo-
5 riæ æternæ. Tum quia gratia Dei eſt, † quæ dat homini eſſe ſupernaturale, & gratuitum, ſine quo nullus poteſt præſtare opera Deo grata, atque adeo digna æterna mercede; quoniam qualis vnuſquiſque eſt, talia præſtat opera, & iuxta illud axioma Philoſophorum, ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad operari: atqui Eugenius cum ordinat teſtamentũ, eſt in peccato priuatus diuina gratia. ergo ordinatio illa non eſt Deo grata, nec æterna mercede digna: Cum omne bonum meritũ noſtrum non in nobis faciat niſi gratia, vt ait *D. Auguſt. epiſtola* 105. *ad Sixtum presbyterum.*

6 Tum quia à natura nobis inſitum eſt, † vt amici opera nobis placeant, inimici verò diſpliceant: hinc nulla Dauidis obſequia Sauli erant grata. Cum igitur is, qui gratia ornatus eſt, & charitate, Dei ſit amicus; ille verò qui peccati ſeruus eſt, vt eſt Eugenius in caſu, cum ordinat legata pia, ſit Dei hoſtis, & inimicus, nam *cap.* 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius:* non mirum ſi illius opera Deo placeant, acceptenturque vt præmio cæleſti digna; huius vero tanquam tali remuneratione indigna reſpuantur, & pro nihilo putentur.

7 Tum quia ratio quare aliquod opus † apud Deum ſit alicuius pretij, & acceptum ad vitam æternam eſt, quia perſona, à qua procedit, eſt ipſi accepta, iuxta illud *Gen.* 2. *reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius:* Eugenius autem dum ordinat talia ſuffragia pro ſalute animæ ſuæ, non eſt Deo acceptus, imo ei infeſtus, ac inimicus, cum ſit in ſtatu peccati mortalis. Igitur neque ſuffragia ab eo ſic ordinata poſſunt eſſe Deo grata, & accepta ad vitam æternam.

8 Accedit, quia beneficientia † eſt effectus beneuolentiæ, vt auctor eſt *D. Thom.* 2 2. *quaeſt.* 31. ei autem qui in peccato eſt, vt

exiſtit

exiſtit Eugenius, Deus non bene vult reſpectu gratiæ, & gloriæ, ſed ſolum quo ad bona naturalia, imò vt eſt in *Pſal.* 118. *Peccatores odio habet.* Opera igitur ab eo facta in tali ſtatu nihil ei proſunt ad beatitudinem promerendam.

Et confirmatur ex *cah. nihil prodeſt. de conſecr. diſt.* 5. vbi Pius
9 Papa dicit aperte, quòd *Nihil prodeſt † homini ieiunare, & orare, & alia religionis bona agere, niſi mens ab iniquitate reuocetur.*

Neque poteſt dici, quod per pænitentiam ſubſequentem illud Eugenij opus mortuum viuificatum fuerit.

Quia ſola illa opera per pænitentiam, & charitatem ſubſequentem reuiuiſcunt, quæ quidem viua prodierunt, & per peccatum mortale mortificata ſunt: atqui opus illud Eugenij nunquam fuit viuum, & cum tranſierit, & iterum idem numero redire, & à principio vitæ, ſcilicet à charitate procedere non poſſit, ſequitur impoſſibile eſſe, vt per pænitentiam ſequentem factum fuerit viuum.

Sed non opus eſt pluribus hanc veritatem demonſtrare, cum de ea inter catholicos nulla ſit dubitatio: opera enim ſine charitate facta vacua eſſe ab omni merito gratiæ, & gloriæ, neque vnquam quod ad meritum viuificari, fides eſt certiſſima: non tamen caret difficultate, an ſint ſatisfactoria.

Nihilominus tamen neque talia opera mortua eſſe ſatisfactoria, eſt ſententia communis, *D. Thom.* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 1. *ar.* 3. *quæſtiunc.* 2. *Alexandri de Ales* 4. *par. q.* 24. *memb.* 4. *ar.* 1. *D. Bonau. diſt. illa* 15. 1. *parte, art.* 1. *q.* 3. *Richar. ar.* 1. *q.* 5. *Palud. q.* 1. *ar.* 3. *Maior. in* 4. *q.* 11. *ar.* 2. *Caietani tom.* 1. *opuſc. tract.* 6. *q.* 2. *Adriani in* 4. *q.* 1. *de ſatisfactione, & quodlib. vltimo, Soti in* 4. *diſt.* 19. *q.* 1. *ar.* 4. *conc.* 2. *Petri de Soto lect. vltima de ſatisfactione, Vaſquez tomo* 4. *diſputat. in* 3. *par. D. Thomæ, q.* 94. *ar.* 1. *dub.* 4. *Sylu. ver. ſatisfactio* §. 7. *Beiæ* 1. *par. reſponſionum ad caſus, caſu* 57. & probatur.

10 Tum quia quodcumque opus eſt ſatisfactorium† oportet vt ſit Deo acceptum; quoniam cum non poſſimus Deo ſatisfacere ſecundum æquiualentiam, ſatisfacimus ſecundum acceptationem illius: ſed opus extra charitatem exiſtentis, vt eſt opus Eugenij, cum

cum ordinat legata pia, non eſt Deo acceptum, vt patet: ergo non eſt ſatisfactoriũ pro pœna temporali ſoluenda in purgatorio.

11 Tum quia nulla fit remiſſio nec culpæ, nec pœnæ, † niſi in virtute paſſionis Chriſti: nam ipſe fuit vniuerſalis redemptor, qui nos & à culpa, & à pœna quantum ad ſufficientia liberauit: Sed paſſio Chriſti ei, qui eſt in peccato morali, vt eſt Eugenius cum teſtamentum facit,& ſuffragia pro ſalute animæ ſuæ ordinat,non applicatur, cum ſit membrum aridum, & non coniunctum Chriſto per charitatem. igitur talia legata pia nihil proſunt Eugenio ad remiſſionem pœnæ temporalis in purgatorio ſoluendæ.

Confirmatur auctoritatibus ſacræ Scripturæ tum veteris, tum noui teſtamenti: Nam *Prou.* 10. habetur, *Vniuerſa delicta operit charitas: per ſatisfactionem verò operiuntur debita*. ſequitur

12 itaque vt effectus † charitatis ſatisfactio ſit: vnde *cap.* 15. ſubditur, *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota iuſtorum placabilia*. Et *Eccleſiaſtici* 34. *Dona impiorum non probat Altiſſimus*.

Ad eandem rem pertinet ſententia *D.Pauli* 1. *Cor.* 13. dicentis, *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodeſt*. igitur opus moraliter bonum in peccato mortali factum non eſt ſatisfactorium.

Neque ſatisfacit reſponſio, ſi dicatur, opera extra charitatem facta nihil prodeſſe ad gratiam, & gloriam, prodeſſe tamen ad ſolutionem temporalis pœnæ, iuxta opinionem *Scoti* 4. *ſenten. diſt.* 15. *q.* 1. *ar.* 4. & *Gabr. diſt.* 16. *q.* 2. *ar.* 3. *dub.* 3.

13 Nam ſi talia opera prodeſſent † ſaltem ad ſolutionem pœnæ temporalis, aliquid, imò multum prodeſſent, cuius oppoſitum dicit Apoſtolus.

Neque obſtat, ſi contra arguatur, Si opera extra charitatem facta non eſſent ſatisfactoria, tunc pœnitentia in peccato mortali adimpleta non valeret ad dimiſſionem pœnæ temporalis debitæ peccatis dimiſſis, neque eſſet impletiua precepti ſacerdotis iniungentis illam, atque adeo iterum eſſet eadem imponenda; quod Eccleſiæ vſus non ſeruat.

Quia reſponderi poteſt dupliciter. Primo cum *Caiet. loc. cit.* diſtin-

diſtinguendo. Si enim eiuſmodi pænitentia in peccato exhibita,
14 fuit in ſacramento virtute clauium impoſita, † tunc adueniente charitate viuificatur, ſeu valere incipit: quia eſt opus Sacramentale, & Sacramentum recedente fictione ſortitur effectum. Secus autem ſi non eſt impoſita in Sacramento; quia tunc non eſt eadem ratio. Quæ reſponſio eſt etiam ad mentem *Petri de Soto lect. vlt. de ſatiſfactione*, *Victoriæ in ſum. Sacrament. n.* 203. *Nauar. de pænit. diſt. 6. cap. qui vult n.* 48. *& Suarez tom.* 4. *diſput. in* 3. *par. D. Thom. diſp.* 38. *ſect.* 8. *aſſertione* 3.

Secundo reſponderi poteſt cum Soto, concedendo huiuſmodi ſatisfactiones vniuerſaliter nunquam viuificari, vt videtur ſentire *D. Thom.* 3. *par. q.* 89. *ar. vlt.* cui *Adrianus in* 4. *in materia de confeſſione* adhæret. Quòd ſi pænitentia eſt iniuncta in confeſſione, licet per eius impletionem nihil prorſus pænæ purgatorij
15 remittatur, † ſatiſfit tamen præcepto Sacerdotis, quemadmodum alia præcepta, etiam diuina poſſunt impleri in peccato quantum ad eorum ſubſtantiam. Quare qui ſic implet, non peccat ſaltem mortaliter: quo circa non tenetur confiteri, quod in peccato pænitentiam impleuerit. Non tamen excuſabitur omnino à veniali culpa propter iacturam, quam fecit tanti boni, nempe quòd ſi in gratia illam impleuiſſet, obtineret veniam pænæ in purgatorio luendæ.

Neque etiam obſtat, ſi arguatur, Quòd viatores non ſunt deterioris conditionis, quam qui ſunt in inferno damnati in hoc, quod eſt à debito pænæ liberari; cum in hac vita ſit locus miſericordiæ, & in futura iuſtitiæ, & rigoris: damnati autem in inferno pænam temporalem, in quam fuerat æterna commutata, ſuſtinentes, ſatisfaciunt Deo pro dimiſsis, ita vt maneant liberi ab illo debito: quia alioqui damnati punirentur æternaliter pro peccatis ſemel dimiſsis quo ad culpam: ac per hoc dimiſſa peccata redirent ſimpliciter: quia redirent quoad pænam æternam; & vlterius ita æternaliter punirentur pro peccatis dimiſsis, ſicut & pro non dimiſsis. quæ ſunt abſurda.

Quoniam reſpondetur, ad probationem minoris propoſitionis,
16 quòd etiam per ſe † pæna temporalis nunquam redeat in æter-

nam, per accidens tamen ratione ſtatus; quia exiſtens in inferno manet inimicus Dei, pænam illam nunquam perſoluit pro peccatis dimiſsis: nam pæna illa temporalis amicè ſoluenda eſt, vt ſit ſatisfactoria. & quia nunquam amicè ſoluitur in inferno, ideo fit æterna per accidens. Vnde nec propterea redeunt ſimpliciter peccata dimiſſa, nec æquè punitur damnatus pro peccato dimiſſo, & non dimiſſo: ſi enim redirent ſimpliciter, deberetur per ſe pæna æterna, ſicut peccato non dimiſſo. In propoſito autem æternitas pænæ inuenitur per accidens ob defectum acceptabilitatis: quia ſcilicet ſolutio pænæ nunquam eſt acceptabilis, quia nunquam ſoluitur amicè: ita reſpondet Caietanus, & Sotus locis ci-
17 tatis. Eadem ratione accidentaria pro venialibus † perpetuo damnatus punietur. Nam ſi in inferno vlla poſſet fieri remiſsio pænæ, ſequeretur quòd aliqua ibi poſſet eſſe redemptio: quod eſt abſurdum; cum Eccleſia ſimpliciter, & vniuerſaliter canat nul-
18 lam † poſſe eſſe in inferno redemptionem: quia nequaquam ibi locum habet virtus redemptionis Christi.

19 Quare conſulendum eſt ei, † qui teſtamentum fecit in peccato mortali, vt quum probabiliter ſe exiſtimat in ſtatu gratiæ, qui vt plurimum videtur eſſe poſt confeſsionem, & communionem, teſtamentum antea factum cum omnibus in eo contentis ratificet, & innouet per nouum actum voluntatis, atque offerat Deo ad gratiam eius per remiſsionē peccatorū promerendam: quia tunc ex iſto actu nouo recentique conſenſu in gratia elicito ſortietur efficaciā, acceptabuntur ſcilicet à Deo legata illa pia relicta, ac ſi de nouo per teſtatorem fuiſſent ordinata, proderuntque tum ad augmentum gratiæ, tum ad pænarum remiſsionem, iuxta mentem omnium, & præſertim *Gabrielis, Nauarr. & Beiæ locis ſupra citatis.*

SVMMARIVM.

1 *De peccatis non factis, ſed perpetrandis confeſſis, an ſub ſigillo confeſſionis contineantur, opinio* Alex. *Alenſis.*

2 *Peccatum perpetrandum, ſeu propoſitum tum iterandi, tum de nouo*

nouo committendi peccatum ſub ſigillo confeſſionis clauditur.

3 *Sub ſigillo continetur quodcumque peccatum, quod verè aliquis confitetur ſacramentaliter, nempe animo manifeſtandi ſtatum propriæ conſcientiæ.*

4 *Propoſitum peccandi, licet ſit poſtea in re committendum, iam tamen eſt in voluntate commiſſum.*

5 *In pænitentiali iudicio explicanda ſunt peccata commiſſa, vt materia abſolutionis, & propoſitum peccati, vt impedimentum illius, & num. 9.*

6 *Peccat mortaliter, qui occidit vxorem in adulterio deprehenſam, vel tirannum manifeſtum auctoritate priuata.*

7 *Propoſitum peccandi, peruertendi ſcilicet confeſſarium, & inducendi illum ad idem genus peccati, non clauditur ſub ſigillo ſecreti. Nec etiam animus illudendi confeſſarium, aut irridendi confeſſionis iudicium.*

8 *Peccatum committendum habet annexum propoſitum voluntatis præſens.*

10 *Sicut Deus celat peccata remiſſa, ita & ſacerdos confeſſa, ſed non tantum remiſſa.*

CASVS LVI.

FABIVS habet propoſitum interimendi hominem, cum quo graues gerit inimicitias, illudque in confeſſione Sacerdoti aperit, ſed non declinat ab eo: & cum certum ſit apud omnes ſigillum confeſſionis obligare ad vniuerſa peccata mortalia facta, & confeſſa cælanda: *Quæritur, an hoc peccatum non factum, ſed perpetrandum ſub ſigillo confeſſionis cadat.*

In hac quæſtione, quæ in præſenti caſu excitatur de peccatis non factis, ſed perpetrandis, in quorum propoſito pænitens perſtat, & illud in confeſſione manifeſtat, vtrum ſub confeſſionis

ſigillo contineantur, hoc eſt ſub debito, & obligatione, ne in quouis caſu reuelentur; an in omni euentu reuelari poſſint, in quo ſecretum purè naturale detegi, & aperiri valet; res fuit anceps antiquitus inter Doctores. Nam *Alex. de Ales 4. par. q. 78.*
1 *mem. 2. ar. 2.* duo aſſerit; † primum, quòd ſi peccatum futurum manet in propoſito pænitentis, poſtquam commiſit ſimile peccatum, & non vult ab eo genere peccati abſtinere, clauditur ſub ſigillo confeſſionis; & intelligit non tantum peccatum commiſſum eſſe ſub ſigillo, ſed etiam propoſitum committendi, propter connexionem, quam habet cum peccato commiſſo, quod verè clauditur ſub ſigillo. Secundo docet, non eſſe ſub ſigillo confeſſionis propoſitum peccandi in futurum, quando pænitens nullum huiuſmodi commiſit peccatum, in cuius propoſito iterum peccandi maneat: vt ſi aliquis confiteretur propoſitum occidendi hominem, vel fornicandi cum muliere, cum qua non dum fornicatus eſt. Cuius ſententiam ſequuntur *Angelus in ſumma ver. confeſſio vltimo, num. 7. Sylueſter ver. confeſſio, 3. q. 5. Adrianus in 4. q. vlt. de confeſſione, §. his præmiſſis, Hoſtienſis, Ioan. Andreas, Panorm. & Ancharanus in cap. omnis vtriuſque ſexus, de pænitentijs, & remiſſionibus, & Decius in cap. cum non ab homine, de iudicijs.* Referri etiam ſolent alij Iuriſtæ.

Pro qua facit primo: quia confeſſioni, quæ potius repugnat Sacramento, quam ſit ſecundum illius naturam, non debetur ſigillum ſecreti confeſsionis: huiuſmodi eſt confeſsio Fabij, in qua explicat propoſitum peccandi, nempe homicidij perpetrandi; quia verè non confitetur peccatum, vt eſt futurum; quoniam confeſsio non eſt de futuris, ſed de commiſsis; neque confitetur propoſitum illius; quia propoſitum perpetrandi peccatum opponitur confeſsioni, nam eſt ſignum impænitentis. ergo iſti confeſſioni non debetur ſigillum ſecreti confeſsionis. quamuis debeatur ſecretum ſimpliciter, vnde non ſit manifeſtandum niſi graui de cauſa, quæ ſecretum naturale cogit detegere.

Secundo facit, quia ſecretum ſigilli Sacerdotis eſt ad imitationem ſecreti Dei: ſed peccata impænitentis Deus non cælat, nec habet pro oblitis, ſane quæ in die iræ reuelabit ad vindictam, iuxta

iuxta illud *Nahum, 3. Reuelabo pudenda tua in facie tua, &c.* ergo nec ea tenetur ſub ſigillo ſeruare Sacerdos.

Tertio facit, quia ad illa tantum ſe extendit ſigillum confeſsionis, ad quæ ſe extendit miniſterium confeſſoris actu, vel potentia: ſed ad propoſitum firmum peccandi, vt eſt propoſitum Fabij, nullo modo ſe extendit miniſterium confeſſoris: nam cum huiuſmodi mali propoſiti Fabium non pæniteat, non eo modo confitetur, qui ad abſolutionem proſit, *cap. quod quidam, de pænit. & remiſſ.* ergo ad illud non ſe extendit ſigillum. igitur non eſt, cur eius confeſsio cælanda ſit.

Quibus non obſtantibus ad caſum propoſitum affirmatiuè reſpondetur cum communi ſententia Theologorum *4. ſent. diſt. 21. D. Thom. q. 3. ar. 1. quæſtiunc. 1. ad primum argumentum, D. Bonau. ar. 2. q. 1. in 2. par. diſtinctionis, Ricardi ar. 9. q. 2. Gabr. q. 1. ar. 2. concl. 3. & ar. 3. dub. 1. Scoti, & Petri de Palude eadem diſt. Soti diſt. 18. q. 4. ar. 5. in ſolutione 2. argum. & de tegendo ſecreto mem. 3. q. 4. dub. 1. Io. Medinæ C. de confeſſione q. 47. Caiet. tom. 1. Opuſc. tract. 21. q. 1. Petri de Soto lect. 11. de confeſſione. Nauar. cap. Sacerdos, de pænitentia, diſt. 6. à n. 116. Vaſquez tom. 4. diſputationum in 3. par. D. Thom. q. 93. ar. 4. dub. 3.* videlicet,
2 Fabij peccatum perpetrandum, † ſeu propoſitum firmum interimendi hominem in confeſsione decretum ſub ſigillo confeſsionis cadere. Vnde contra Alexandrum infertur, vtrumque propoſitum & iterandi, & de nouo committendi peccatum, ſub ſacro claudi ſigillo: & probatur his rationibus.

3 Tum quia quodcumque peccatum, † quòd verè aliquis confitetur ſacramentaliter, ſub ſigillo confeſsionis continetur: huiuſmodi autem eſt propoſitum peccandi Fabij, nempe interimendi hominem: quamuis enim qui habet propoſitum peccandi, non videatur confiteri illud cum ſpe veniæ, & abſolutionis; tamen ea confeſsione exponit confeſſario impedimentũ abſolutionis, quod ita pertinet ad confeſſarium cognoſcere, ſicut & peccata commiſſa, quæ debet abſoluere, vt optimè aduertit Caietanus loco citato: ergo tale propoſitum interimendi hominem in confeſsione à Fabio detectum, clauditur ſub ſigillo.

Tum quia omne peccatum commiſſum,& confeſſum huius perſonæ,nempe Fabij cadit ſub ſigillo confeſsionis.Hoc patet,& concedunt etiam aduerſarij ; diximus enim ſupra de mente Alexandri , peccatum commiſſum verè claudi ſub ſigillo . igitur & homicidium à Fabio committendum : quia non poteſt manifeſtari homicidium ab eo committendum ſine reuelatione peccati iam commiſsi,ſcilicet voluntatis,qua deliberauit ſe homicidium com-
4 miſſurum : nam etſi † tale homicidium eſt poſtea in re committendum, iam tamen eſt in voluntate commiſſum . cadit igitur ſub ſigillo confeſsionis ; cælandumque eſt ſicut & reliqua peccata commiſſa, & præterita .

Tum quia licet Fabius confiteatur abſque debita diſpoſitione, tamen eius confeſsio verè eſt confeſsio , ſicut baptiſmus ſine diſpoſitione debita ſuſceptus; non quia illa confeſsio ſit Sacramentum, ſicut baptiſmus ita, vt diximus, ſuſceptus ; ſed quia eſt confeſsio Sacramentalis , quamuis qui confitetur, emendationem non proponat ; quandoquidem per ſolam mutationem propoſiti abſque alia confeſsione eſſet ille abſoluendus . aut eſt manifeſta-
5 tio delicti in pænitentiali iudicio, † in quo & peccata commiſſa, vt materia abſolutionis , & propoſitum peccati explicandum eſt, non vt materia abſolutionis, ſed vt impedimentum ipſius ; cuius cognitio ita ad Sacerdotem pertinet, ſicut ipſorum peccatorum, quæ abſoluenda ſunt: Et hoc in quantum ille Iudex eſt in hoc foro. Omne autem peccatum detectum in con feſsione,quæ eſt verè confeſsio , clauditur ſub ſigillo ſiue præſens , ſiue futurum ſit, ſiue qui confitetur,verè pæniteat,ſiue non . Nam in *cap.quod quidam* citato *de pænit. & remiſſ.* præcipitur eius confeſsionem admitti, qui non poteſt abſtinere , & ſalutaribus monitis illi conſilia adhiberi : ergo & illius , qui contritus accedit , qualis eſt Fabius .

Tum poſtremo, quia ſi quis contritus confiteretur alia peccata, & poſtmodum conſuleret Sacerdotem , an eſſet peccatum id, quod inuincibiliter putat non eſſe peccatum, puta occidere vxo-
6 rem † deprehenſam in adulterio , vel Tyrannum manifeſtum , quem putat ſibi licere priuata auctoritate interficere ; & audiens

eſſe

eſſe peccatum, nihilominus nolit à propoſito deſiſtere, & ideo abſque abſolutione recedat: profectò totum illud cadit ſub ſigillo. ergo & propoſitum Fabij hominem interimendi.

Et confirmatur ex verbis Concilij, *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pænit. & remiſſionibus*, in quo dicitur, *qui peccatum in pænitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, &c.* vbi vniuerſaliter omne peccatum cælari præcipitur, nullo excepto.

Hæc tamen ſententia iuxta *Dominicum Sotum, & Vaſquez locis citatis*, limitanda eſt, vt ſcilicet propoſitum illud tantum contineatur ſub ſigillo, quando confeſsio illius eſt ex voluntate ma-
7 nifeſtandi ſtatum propriæ conſcientiæ: ſi tamen quis † ad confeſſionem propoſitum adferret peruertendi confeſſarium, & inducendi illum ad idem genus peccati, vt ad homicidium, vel hæreſim, vel conſpirationem, vel in aliud malum attrahendi, tunc non eſt ille cenſendus intentionem habere confitendi, & ideo non illi debetur ſigillum ſecreti. Et idem dicendum eſſe ſentit *Vaſquez*, quoties quis accederet animo illudendi confeſſarium, vt conſtare poſſet ex modo confitendi; aut irridendi confeſsionis iudicium.

Ex his facile eſt diluere argumenta in principio allata. Nam ad primum reſpondetur, negando minorem, ſcilicet confeſsionem Fabij repugnare confeſsioni. Et cum dicitur, quod confeſsio
8 non eſt de futuris peccatis, dico, quod peccatum † Fabij committendum habet annexum propoſitum voluntatis præſens, ita vt non poſsit explicari committendum ſine reuelatione commiſſi, videlicet voluntatis, qua deliberauit committere; & ideo illi debetur ſigillum ſecreti. Et cum dicitur, propoſitum committendi homicidium opponitur confeſsioni; quia eſt ſignum impæ-
9 nitentis, negatur; quia licet illud propoſitum peccandi † non pertineat ad confeſsionis Sacramentum, vt materia abſolutionis, pertinet tamen vt impedimentum illius: & hoc ſufficit, vt ſit confeſsio Sacramentalis. Nam vt ſcitè inquit Caietanus, pænitens in quantum pænitens non ſolum confitetur ea, quorum pænitens eſt, ſed impedimenta veræ pænitentiæ: & non ſolum quod proponitur vt abſoluendum, ſed quod apponitur vt impedimentum

abſolutionis: & ideo debet ſub ſigillo confeſsionis claudi.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ſimilitudo valet ſolum quan-
10 tum ad hoc, quod ſicut Deus cælat † peccata remiſſa, ita & Sacerdos peccata confeſſa; commiſſa quidem, vt materiam abſolutionis; committenda vt impedimenta ipſius. ſed non ſolum remiſſa cælat Sacerdos; nam etiam in confeſſione informi, in qua non confertur gratia, tenetur peccata detecta ſub ſigillo claudere.

Ad tertium reſpondetur, cum *Caiet.* negando minorē propoſitionem: quia ad miniſterium confeſſoris pertinet non ſolum abſoluere, ſed impedimenta abſolutionis cognoſcere, inter quæ continetur propoſitum Fabij committendi homicidium.

Hæc ſint dicta ſalua ſemper meliori ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Dominium transferri poteſt duobus tantum modis, nempe aut domini voluntate, aut legis auctoritate. Voluntate adhuc dupliciter, vel per contractum mutuum, vel per donationem.*

2 *Dominij translatio quomodo differat à dominij acquiſitione.*

3 *Translationis dominij diffinitio.*

4 *Lex poteſt transferre dominium rei inuito domino, vel in pænam alicuius criminis ab ipſo commiſſi, vel in vtilitatem ipſius Reipublicæ.*

5 *Translatio dominij voluntaria, quæ fit per contractum mutuum, abſque verbis, aut ſignis exterioribus, quibus contrahentes certi fiant de mutuo conſenſu voluntatis, fieri nequit; vt emptio, & venditio, & matrimonialis contractus.*

6 *Simplex dominij translatio, qualis eſt donatio, nullam ab altera parte obligationem expoſtulat.*

7 *Actus purè interni non ſubijciuntur iudicio humano.*

8 *Sicut vnuſquiſque ſua voluntate eſt dominus rei, ita ſola voluntate dominium rei ab ſe abdicare poteſt. imo & acquirere, num. 20. ex l. 1. & 2. ff. pro derelicto. at non transferre in alterum, num. 21.*

9 *Promiſſio interna firmata iuramento in mente, ſecundum omnes obligat.*

obligat. Limita vt num.23. non ex vi promiſſionis, ſed ex vi iuramenti ob reuerentiam diuini nominis in teſtimonium adducti.

10 *Iuramentum promiſſorium non obligat niſi in virtute præcedentis promiſſionis. Intellige, vt n.24.*

11 *Qui non adimplet promiſſionem, peccat & infideliter agit, quia animum mutat. hoc* D.*Thom. pronunciatum intelligitur, vt n.27. videlicet de promiſſione externa, & de mutatione animi alteri ſignificati.*

12 D*onatione alicui facta ſolum actu voluntatis interiori, & mentali non transfertur rei dominium in illum, neque oritur obligatio in conſcientia ſeruandi donationem, imo poteſt libere reuocari.*

13 *Quamdiu non eſt qui donationem accipiat, non eſt perfecta donatio, nec translatio dominij.*

14 *Nullus poteſt transferre dominium rerum ſuarum in alterum ipſo non conſentiente.*

15 D*ominium eſt ius in rem, quod actus interior neque dat, neque tollit.*

16 *Homo non ſe obligat alteri homini, niſi more hominum, hoc eſt, niſi internum mentis conſenſum verbis, aut ſignis declarent.*

17 *Obligatio includit in ſui ratione ordinem ad alterum, qui non poteſt eſſe inter homines per ſolum conceptum interiorem.*

18 *Qui alteri ſola mente aliquid donat, non tenetur in conſcientia id ei declarare.*

19 V*oluntate non poteſt quis obligari, niſi ei qui voluntatis eſt cognitor, ideſt niſi* Deo.

22 V*erba externa, & voces vim habent ab interno conceptu: ſed ſolus conceptus non poteſt obligationem inducere abſque verbis: quia vterque actus interior, & exterior eſt neceſſarius: ſunt enim verè inſtrumenta, & media, ſine quibus homo alteri non poteſt obligari.*

25 *Mendacium quid ſit.*

26 D*onatio, vel promiſſio interior eſt quædam mentalis loquutio apud ſe, ſed non eſt loquutio ad ad alterum: & ideo ſi mutetur, non eſt verè fractio fidei.*

CA-

Digitized by Google

CASVS LVII.

DEBET Gregorius inops, & pauper aureos quinquaginta Fulgentio: hic conſiderans illum non habere, vnde alieno ære ſe liberet, dicit apud ſe interius; bonum eſt remittere debitum Gregorio pauperi; Et ex tunc debitori pecunias creditas condonat. Poſtea aliquantò ſententiam mutat, ac remiſſionem debiti Gregorio factam reuocat, cum nullis verbis, aut ſignis illam explicauerit. *Quæritur, an teneatur Fulgentius in conſcientia a debitore nihil accipere, ac condonationi ſtare.*

Ad intellectum huius difficultatis, quæ pertinet ad translationem dominij, cum remittere alicui debitum idem ſit, ac eidem pecunias creditas condonare: operæ pretiũ eſt prænoſcere, duo-
1 bus tantum modis † dominium transferri poſſe, nempe aut Domini voluntate, aut legis auctoritate. Dico duobus modis tantum; quoniam loquor non de acquiſitione quacumque dominij,
2 ſed peculiariter de translatione: differunt † enim plurimum hæc duo, translatio dominij, & acquiſitio dominij: nam acquiſitio dominij non requirit mutationem domini: in rebus enim quæ nullius adhuc ſunt, acquirit dominium iure gentium, qui primum illas occupat, ſine vlla mutatione alicuius Domini; translatio vero dominij exigit mutationem domini: namque definitur,
3 † tranmiſſio rei ab eo, qui legitimè ipſam poſſidet, in alterum, qui proinde illius incipit eſſe dominus. Hæc ergo non fit, niſi aut voluntate legitimi domini, aut lege in ipſum poteſtatem haben-
4 tis: poteſt enim lex † transferre dominium rei inuito domino, vel in pænam alicuius criminis ab ipſo commiſſi; vel in vtilitatem ipſius Reipublicæ.

In caſu igitur præſenti quæritur de voluntaria dominij translatione,

5 tione,quæ aduc duplex eſt: alia ſcilicet,quæ fit † per contractum mutuum, & reciprocum, quo, vt ait Iuriſconſultus *l. Labeo, 2. ff. de verborum ſignific. vltro citroque naſcitur obligatio:* Et de hac nemini dubium, quin abſque verbis, aut ſignis exterioribus,quibus contrahentes certi fiant de mutuo conſenſu voluntatis, fieri non poſſit: quandoquidem illic non eſt ſimplex datio,ſed mutua obligatio, ſcilicet do, vt des, vt patet in emptione,& venditione, & ſimilibus, & præcipue in contractu matrimoniali, cuius ideo conſenſus nullus eſt,niſi exterius explicetur: nec de hoc eſt præ-
6 ſens difficultas. Alia vero eſt ſimplex†dominij translatio,qualis eſt donatio,quæ nullam ab altera parte obligationem expoſtulat. Et de hac quærimus in præſenti caſu, an ſolus actus interior voluntatis, quo Fulgentius creditor dicit intra ſe, creditam pecuniam Gregorio debitori condono,ſufficiens ſit ad transferendum dominium illius pecuniæ creditæ à Fulgentio in Gregorium, ita vt in conſcientia à debitore non poſſit amplius Fulgentius illam exigere, aut oblatam accipere: An verò poſſit reuocare hunc actum interiorem donationis, ſeu remiſſionis huiuſmodi debiti, quotieſcumque ſibi placuerit, antequam fiat acceptatio, & reddatur chirographum,vel inſtrumentum debiti.Et ſermo ſolum eſt in foro animæ, vt dixi; quia palam eſt neminem cogi poſſe à Iudice in foro exteriori ad talis actus interioris adimpletionem, quoaduſque foris verbis aut ſignis fuerit explicatus. Ratio eſt
7 manifeſta, quia actus † purè interni non ſubijciuntur iudicio humano, ſed ſoli diuino, vt communi conſenſu tradunt Doctores.

Partem igitur affirmantem,videlicet talem donationem interiorem obligare Fulgentium donantem,& promiſſionem promittentem in foro conſcientiæ ſtando in iure naturæ, *Sotus 4. de iuſt. & iure, q. 5. ar. 1. ad 1. & lib. 7. q. 2. ar. 1. ad 1. Aragon. 22. q. 62. in materia de dominio, & q. 88. ar. 3. & Lopez par. 2. inſtructorij conſcientiæ cap.* 30. aiunt eſſe probabilem, & *Martinus Ledeſmius* probabiliorem, ac ſecuriorem eſſe docet *in 4. par. 2. q. 18. ar. 1. dub.* 13. his argumentis adducti.

8 Tum quia ſicut † vnuſquiſque ſua voluntate eſt dominus rei, ita etiam ſola voluntate dominium rei à ſe abdicare poteſt, vt

patet

Digitized by Google

patet *l.* 1. *&* 2. *ff. pro derelicto*. igitur Fulgentius,qui ſua volun-
tate efficaci Gregorio inopi quinquaginta aureos creditos con-
donat, per illam ſolam ſine vllo externo ſermone illorum domi-
nium à ſe abdicat, & in Gregorium tranſmittit, & conſequenter
in conſcientia non poteſt amplius aureos illos ab eo accipere.

Tum quia voces non obligãt niſi ex vi conceptus interni,cuius
ſunt ſigna: ſed ſi Fulgentius externa voce Gregorio debitori di-
ceret,condono tibi pecuniam creditam, reuera transferret domi-
nium illius pecuniæ in ipſum. ergo multo magis transfert cum
dicit interius, iuxta illud axioma Ariſtotelicum, *Propter quod
vnumquodque tale, & illud magis*.

9 Tum quia donatio, aut promiſſio interna † firmata iuramen-
to in mente,ſecundum omnes obligat. ergo & illa ſola erit obli-
10 gatoria: quandoquidem iuramentum † promiſſorium additum
non obligat, niſi in virtute prioris donationis, aut promiſſionis:
cuius ſignum eſt, quia ſi donatio, ſiue promiſſio illa ex aliqua
cauſa eſſet nulla, nec iuramentum validum erit: iuramentum
enim non inducit nouam obligationem, ſed priorem confirmat.

Tum demum, quia talis interior donatio eſt quædam menta-
lis loquutio, & aſſertio. ergo ſi non adimpletur,non poteſt care-
re mendacio, quod de intrinſeca ratione eſt peccatum.

Et confirmatur ex D.*Thom.* 2 2. *q.* 1 1 0. *ar.* 3. *ad* 5. vbi ait, eum
11 qui non adimplet † promiſſionem peccare, & infideliter agere,
quia mutat animum. ergo pariter peccat, & infideliter agit, qui
donationem internam non adimplet, ſed reuocat, quia mutat
animum.

His non obſtantibus partem negantem probabiliorem, & ve-
12 riorem exiſtimo, videlicet, hac condonatione † pecuniarum
creditarum mentali facta à Fulgentio Gregorio debitori inopi,
nec earum dominium in dictum Gregorium transferri, neque
Fulgentium in conſcientia teneri ad illam ſeruandam, ſed liberè
potuiſſe cælare,& reuocare, & conſequenter dictas pecunias cre-
ditas accipere, atque exigere.

Prima pars huius reſponſionis ſic oſtenditur, ſcilicet hac do-
natione interna non transferri dominium.

Tum

13 Tum quia quamdiu non eſt † qui donationem accipiat, non eſt perfecta donatio, nec translatio dominij: cum dare ſit correlatiuum eius, quod eſt accipere. Sed quando Fulgentius ſolo actu interiori condonat pecuniam creditam Gregorio, nullus eſt qui talem donationem accipiat, ſeu acceptet, quia nec Gregorius, neque vllus alius, qui eam acceptare poſſit; cum ſit ignota, & voluntas, cuius eſt acceptare, non feratur niſi in cognitum. ergo per talem condonationem mentalem non transfertur dominium pecuniarum creditarum in Gregorium.

14 Tum quia nullus poteſt† rerum ſuarum dominium transferre in alterum ipſo inuito, & non conſentiente: ſed quamdiu Fulgentius retinet apud ſe illam condonationem pecuniarum creditarum occultam, Gregorius non conſentit. ergo non transfertur dominium in Gregorium, ſed remanet apud Fulgentium.

15 Tum denique, cum dominium ſit ius in rem, †qui transfert dominium, transfert ius in rem: ſed Fulgentius per talem condonationem pecuniarum creditarum factam Gregorio inopi, non dat ei ius in rem, nempe in eiuſmodi pecunias creditas: quia actus interior neque dat, neque tollit alicuius ius: Nam ſi aliquis Prælatus mente ſua dicat, ego nunc Petro facultatem abſoluendi concedo: aut ego reuoco à Paulo facultatem audiendi confeſsiones, omnium conſenſu per talem actum internum neque Petrus conſtituitur confeſſarius; neque Paulus amittit facultatem audiendi confeſsiones. igitur Fulgentius per talem condonationem mentalem non tranſtulit in Gregorium dominium pecuniarum creditarum.

Secunda pars, nempe quòd Fulgentius non teneatur illam donationem mentalem ſeruare, aut Gregorio manifeſtare, ſed poſsit aut celare, aut reuocare, ſi ſibi placuerit, probatur.

16 Tum quia homo non ſe obligat † alteri homini, niſi more hominum: atqui homines non ſe obligant, & obſtringunt, niſi internum mentis conſenſum verbis, aut ſignis declarent, & exprimant; non enim homines inter ſe viuunt, aut agunt internis tantum conſenſibus, qui ſua natura latent: Fulgentius igitur donatione mentali, niſi verbis, aut ſignis exprimatur, non obligatur

in con-

in conſcientia, nec eam adimplere, aut manifeſtare tenetur.

17 Tum quia obligatio in ſui ratione † includit ordinem ad alterum: nam cum homo non obligetur ſibi ipſi, ſed alteri, non poteſt eſſe obligatio niſi ſaltem inter duos: ſed per ſolum conceptum interiorem homo non ordinatur ad alterum: quoniam cum homo ex anima, & corpore conſtet, non ordinantur homines ad inuicem niſi per ſigna externa, quibus interni animorum conceptus ad inuicem communicantur: proprium enim Angelorum eſt conceptus mentis ordinare per voluntatem ad manifeſtandum aliquid alteri, & ita ad eum loqui, vt docet *D. Thom.* 1.*par. q.* 107. *ar.* 1. ergo per ſolum conceptum interiorem Fulgentius homo non obligatur Gregorio homini, ſed neceſſe eſt id fiat verbis, aut ſignis aliquibus exterioribus: alioquin niſi Gregorius exterius intelligens voluntatem, & donationem Fulgentij, acceptet, quod donatur, non erit modus donandi humanæ naturæ conſentaneus.

Tum quia quamdiu Fulgentius apud ſe retinet interiorem donationem, quam fecit, Gregorius debitor non habet ius ad rem,
18 vt viſum eſt ſupra, neque habet ius exigendi, † vt donans declaret, & indicet voluntatem ſuam: quia tale ius exigendi, & obligatio eſſet fruſtra naturaliter producta: fruſtra enim eſt obligatio, quæ naturaliter compleri non poteſt niſi innoteſcat, & denuntietur ei. ergo Fulgentius nullam facit Gregorio iniuriam aut tacendo, aut reuocando talem donationem: quia vbi non eſt ius, iniuria eſſe non poteſt; & conſequenter non tenetur illam ſeruare, ſeu tali condonationi ſtare.

Hæc videtur eſſe *D. Thom.* ſententia 22.*q.* 88. *ar.* 1. vbi ſic dicit, *Promiſſio, quæ ab homine ſit homini, non poteſt fieri niſi per verba, vel alia quæcumque exteriora ſigna: Deo autem poteſt fieri promiſſio per ſolum interiorem mentis actum, quia vt dicitur* 1.*Reg.* 16. *homines vident quæ apparent, ſed Deus intuetur cor.* Et eadem eſt ratio de donatione. Et *in* 4.*ſent. diſt.* 38. *quæſt.* 1. *ar.* 1.
19 *quæſtiunc.* 1. idem etiam docet his verbis, *Voluntate † non poteſt quis obligari niſi ei, qui voluntatis eſt cognitor, quod ſolius* Dei *eſt.* & paulo poſt: *Obligatio autem homini exterius ſit, & verbo exterius*

rius expreſſo. Huius etiam ſententiæ apertè eſt *Iacobus* Almainus *in 4. ſent. diſt. 15. q. 2. Michael Salon 22. tom. 1. q. 5. de dominio ar. 2. dub. 1. Dominicus Bañes ibidem q. 5. de dominio, Ioſeph* Angles *in floribus 4. ſent. in quæſt. de voto, ar. 2. difficul. 4. Greg. de* Valent. *tom. 3. diſput. 5. q. 10. punct. 3.* Azorius *3. par. inſtit. moral. lib. 11. cap. 15. Rebellus de obligat. iuſt. par. 2. lib. 18. q. 1. n. 3. Sayrus lib. 6. Clauis regiæ cap. 6. n. 22. & lib. 9. cap. 10. n. 4. Beia par. 2. reſponſ. ad caſus, caſu 16. Emanuel Rodriquez par. 2. ſummæ, cap. 27. conc. 4. & Armilla ver. promiſſio*. quam ſententiam etiam *Sotus, Aragon, & Lopez locis ſupra citatis*, quamuis primam putent probabilem, probabiliorem eſſe affirmant. Et demum hanc ſequuntur communiter Iuriſconſulti, qui eam confirmant ex *l. 1. ff. de verbor. obligat.* vbi dicitur, quod animus in mente retentus obligationem non inducit, ſed oportet quod per verba exteriora explicetur: & *in l. Abſenti, ff. de donat.* vbi dicitur, quod abſenti fieri nequeat donatio: quia requiritur vlterius partis acceptatio.

Ad allata verò in contrarium facilè reſpondetur. Ad primum
20 enim dicimus, tametſi aliquis † ſolo animo & voluntate ſuæ rei
dominium à ſe abdicare queat, & deponere, & rurſus acquirere;
21 nequit † tamen ad alterum transferre niſi per verba, & ſigna
externa. Neque obſtat lex allata, quia loquitur de amiſſione, non de translatione dominij, ad quam requiritur acceptatio.

Ad ſecundum reſpondetur quòd licet verba vim habeant ab interno conceptu, & obligent propter conceptum: non tamen
22 inde licet inferre, quod ſolus † conceptus poteſt inducere obligationem; ſed quod actus interior requiritur ad obligationem: quod verum eſt, nam actus interior, & exterior ſunt neceſſarij ad hoc vt donans, vel promittens maneat in conſcientia ligatus: ſicut enim voces ſunt ſigna per ſe conceptuum, ita etiam ſunt ſigna inſtrumentaria, & conditiones ſine quibus non poteſt vnus homo alteri obligari.

Ad tertium reſpondetur, talem donationem ſeu promiſſionem internam non habere vim obligandi ex vi donationis, ſeu promiſ-
23 ſionis, † ſed ex vi iuramenti ob reuerentiam diuini nominis, quod in teſti-

in teſtimonium ſuæ donationis, ſeu promiſſionis adduxit, cum
poſsit rem iuratam adimplere, licitaque ſit: vt patet in promiſ-
ſione iurata dandi centum aureos latroni ipſum occidere volenti.
negatur itaque conſequentia, ſcilicet promiſsio interna confirma-
ta iuramento obligat: ergo & ſe ſola obligat. Et cum dicitur,
quod iuramentum promiſſorium non obligat, niſi virtute præce-
dentis promiſsionis, dico ſenſum eſſe quod non obligat tale iura-
24 mentum, † quando promiſsio ſine diſpendio ſalutis æternæ adim-
pleri non poteſt, vel eſt contra bonos mores, vt dicitur in *cap. non
eſt obligatorium*, *de reg. iuris in 6.* cum hoc tamen ſtat, quod
promiſsio, vel donatio, quæ ex ſe obligationem non inducit, ap-
poſito iuramento ſit obligatoria. Vide *Aragonem loc. cit. ad 3.*

Ad vltimum reſpondetur, conceſſo antecedente negando con-
25 ſequentiam: nam cum mendacium, † vt dicit Magiſter ſentent.
in 3. diſt. 38. ſit falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi;
in caſu iſto non interuenit vox: & ille qui mente donat, quamuis
poſtea non adimpleat donationem, ſed eam reuocet, non facit id
cum intentione fallendi, ſed vtens iure ſuo, quo poteſt proprios
actus, quorum verè eſt Dominus, quando voluerit reuocare, dum-
modo ab altero non ſit facta acceptatio: quare nullo modo po-
teſt dici talem reuocationem aliquod in ſe continere mendacium.

Secundo dici poteſt, quod cum mendacium ſit aliud in ore,
& aliud in corde habere; quando fides non datur per verba ex-
26 terna, ſed interius tantum; cum internus conſenſus, † licet ſit
mentalis loquutio apud ſe, non tamen ſit loquutio ad alterum,
etiamſi mutetur, neque mendacium ibi eſt, neque fidei fractio
verè, & realiter.

Ad confirmationem ex D. *Thom. 22. q. 110. ar. 3. ad 5.* re-
27 ſpondetur *ibi* D. *Thom.* agere † de promiſsione externa, quam
non adimplere eſt quædam infidelitas: & de mutatione animi al-
teri ſignificati. nam animum non dum expreſſum licet mutare
(vt oſtenſum eſt) cum per internum actum nullum ius alteri adhuc
ſit acquiſitum, & conſequenter per talem mutationem nulla fiat
illi iniuria.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio, quæ tribuitur Adriano, de eo qui infamat aliquem diffamatum in vno loco alibi, vbi infamatus non eſt, an peccet mortaliter, abſolutè affirmat.*

2 *Secunda opinio, quæ eſt Caietani, & Emanuelis* Sa*, ſimpliciter negat. Sed media eſt amplectenda.*

3 *Aliquis poteſt eſſe infamatus dupliciter, nimirum de iure, aut de facto, vt quia auctoritate publica fuit de aliquo crimine condemnatus, aut quia factum eſt publicum.*

4 *Qui diffamatum per ſententiam publicam in vno loco de aliquo crimine in alijs locis, vbi diffamatus non eſt, de eodem crimine infamat, non peccat mortaliter, niſi faciat intentione detrahendi.*

5 *Sententia Iudicis legitimè expoliat aliquem ſua fama propter certa delicta, imò fertur, vt infamis habeatur.*

6 *Poſtquam in iudicio quis condemnatus eſt, vt ſit infamis, nullibi famam habet, & n.12.*

7 *Qui crimen publicum in vno loco commiſſum, refert in alio, quo probabiliter, & moraliter cito infamia eſt peruentura, nec peccat mortaliter, nec reſtituere tenetur.*

8 *Neque etiam mortaliter peccat, aut reſtitutioni obnoxius eſt, qui crimen, quod publicum eſt in vna vicinia, vel parte ciuitatis, refert in alia.*

9 *Imò ſi imfamatus non mutauit mores, erit aliquando actus charitatis crimen eius alibi euulgare.*

10 *Promulgare verè delictum eius, qui infamiam contraxit per euidentiam facti, alibi, vbi bene viuendo famam ſuam recuperauerat, peccatum lethale eſt contra charitatem, & contra iuſtitiam.*

11 *Sed num ſit idem, quando quis in iudicio factus eſt infamis, & poſtea bene viuendo alibi bonam habet exiſtimationem? Dicendum non eſſe idem: quoniam infamia iuris non tollitur proprio facto, ſed auctoritate iuris.*

13 *In moralibus, quod parum diſtat, nihil diſtare videtur, & quod eſt in potentia proxima, iam ferè iudicatur in actu.*

14 *Infamatus publice auctoritate Iudicis ius ad ſuam famam amiſit.*

CASVS LVIII.

CVM Hilarius haberet læſam famam apud multos de ciuitate, vel quia delictum ab eo commiſſum eſt publicum; vel quia publicè propter illud fuit punitus, Gaſpar de eodem crimine eum diffamauit detegens illud alijs in locis, vbi infamatus non erat. *Quæritur, an Gaſpar peccauerit mortaliter, obnoxiuſque ſit reſtitutioni.*

1 Quæſtioni huic nonnulli abſolutè reſpondent † affirmatiuè: pro qua ſententia citatur *Adrianus quodl.* 11. *q.* 1. *ar.* 4. *prope finem*, ab *Azorio, Soto, Salone, & alijs, locis infra citandis*, & *Syluester verbo, detractio, q.* 1. *à Petro Nau. lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 4. *n.* 284. ibi enim *Sylueſter* expreſsè docet eſſe peccatum mortale, niſi forte ita crimen eſſet notum, vt ſtatim deuenire deberet in notitiam eorum, quibus narratur.

Ratio horum eſt: Quia in alio loco, in quo Hilarius ignotus erat, habebat famam illæſam, & bonam exiſtimationē. igitur illum ibi infamare, eſt grauiter lædere ipſius exiſtimationem; & veluti reuelare occultum crimen: quod peccatum eſt contra iuſtitiam ad reſtitutionem obligans.

2 Aliqui verò negatiuè † reſpondent, vt *Caietan. tom.* 1. *opuſc. tract.* 31. *reſponſ. quæſt. dub.* 3. & *Emanuel Sà in ſuis aphoriſmis confeſſariorum, ver. infamare, n.* 5. vbi ait, *Infamatum alicubi iuridicè, aut publicè alibi prodere, non eſt peccatum mortale, nec vlla reſtituendi obligatio.* Pro qua ſententia facit, tum quia ſic diffamatus ius ad ſuam famam amiſit; & ideo nulla fit ei iniuria reuelando vbique delictum eius.

Tum quia vna ex pænis, qua Iudices afficiunt delinquentes, eſt,

eſt, vt crimen eorum in omnium notitiam veniat, alijque alijs illud referant: hoc enim fine in ſententia ponitur, vt delictum illud publicè legatur,& vt publico præcone denuncietur,& Iudices expectare ſolent nundinarum dies, in quibus eſt maior hominum incurſus,vt punitio illa pluribus innoteſcat. ergo qui diffamatum in vno loco infamat in alio, conformat ſe iuſtitiæ punitiuæ, nec dicendus eſt peccare.

Inter has extremas opiniones mediam ſententiam probabiliorem cenſeo, & ideo amplectendam; in cuius gratiam tres diſtinctiones† ſunt adnotandæ,quas tangunt *Sotus de iuſt.& iure lib.5. q.10.ar.2. Salon.22.q.73.ar.2. controu.2. Sayrus in claui regia lib.11.cap.6.n.23. & Ludou. Carbo de reſtitutione q.21.*

3 Prima eſt, Bifariam † poſſe quempiam eſſe infamatum alicubi de aliquo crimine; aut iuridicè, & auctoritate publica,vt qui fuit in vrbe virgis cæſus per ſententiam Iudicis latam in cauſa criminali mota ſuper furto, vel ſuper alio graui delicto: aut extra iudicium per publicum factum,vel per rumorem alicuius viciniæ vel loci, vt qui commiſit homicidium in meridie in loco publico, & in præſentia multorum hominum, aut eſt manifeſtus latro, & quid ſimile.

Secunda diſtinctio, qui ſic infamatus eſt, duobus modis ſe habere poteſt; aut enim poſt talem infamiam, iam eſt bonam famam conſequutus: quia mores emendauit, & ſtudiosè, ac honeſtè viuit: aut non dum bonam famam eſt conſequutus, ſed permanet in ſuis vitijs.

Tertia diſtinctio, dupliciter quis delinquere poteſt alterum infamando, ſcilicet aut contra iuſtitiam, aut contra charitatem.

His poſitis diſtinctionibus reſpondeo ad caſum propoſitum per has propoſitiones.

Prima, ſi Hilarius erat infamatus notorie in ciuitate per euidentiam iuris, † hoc eſt per ſententiam Iudicis,non peccauit Gaſpar mortaliter detegendo alibi illius crimen, abſque intentione tamen lædendi, & detrahendi.

4 (margin beside "dentiam iuris")

Secunda,neque etiam lethaliter peccaſſe videtur,ſi erat ſolum infamatus per euidentiam facti, reuelauitque delictum eius in

alijs locis, ad quæ cito probabiliter,notitia illius erat peruentura.

Tertia, at ſi poſt talem infamiam alibi bene viuendo famam ſuam Hilarius recuperauerat,tunc Gaſpar euulgando ibi delictum illius peccauit mortaliter contra charitatem, & contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur.

Dixi in prima propoſitione, *ſi reuelauit abſque intentione detrahendi, & nocendi*; quia ſi cum intentione nocendi, vt ſcilicet mala opinio haberetur de proximo, manifeſtaret delictum eius: clarum eſt quoad ageret contra charitatem.

Prima propoſitio,videlicet, quod Gaſpar non peccauit mortaliter detegendo crimen Hilarij, ſi erat infamatus per ſententiam
5 Iudicis,probatur: quia ſententia in iudicio † expoliauit Hilarium legitimè ſua fama. Sicut enim propter certa delicta damnantur aliqui ad mortem, alij ad exilium, alij priuantur bonis temporalibus, alij membris corporis: ita etiam alij damnantur, vt fama careant, imò ſententia fertur ad hoc, vt infames habeantur. ergo non peccauit Gaſpar mortaliter detegendo alibi Hilarij delictum, ob quod iuridicè famam perdidit.

Quod ſi obijcias, alicubi Hilarius condemnatus retinet ſuam famam. ergo ibi delictum eius euulgare eſt lædere eius famam:
6 Reſpondetur,poſtquam in iudicio † condemnatus eſt, vt ſit infamis, nullibi famam habet: quia ad hoc eſt publica præconis vox, vt eius infamia ad omnium notitiam perueniat, & per accidens eſt, quod non ad omnes peruenerit.

Ita ſentit *Caiet. loco citato*, & ante illum *Ioann. Maior diſt.* 15. *4.ſent. q.* 19. *§.hoc præmiſſo ad finem. Nauar. in Man. cap.* 18. *n.*26. *& lib.*1. *conſ. conſ.*4. *de. temporibus ordinationum. Azorius 3.par. inſtitut. moral. lib.*13. *cap.*6. *dub.*8. *& Ioſeph Angles in floribus 4.ſent. de reſtitutione famæ dub.*4.

Secunda propoſitio, ſcilicet quòd neque etiam peccauit mor-
7 taliter † Gaſpar, ſi Hilarius erat ſolum infamatus per euidentiam facti, reuelauitque delictum alibi, quò cito notitia illius erat probabiliter ventura, oſtenditur ſic: tum quia in moralibus quod parum diſtat, nihil diſtare iudicatur, & quod eſt in potentia proxima, iam ferè iudicatur in actu. vnde delictum in vno loco publicum,

blicum, quod prudenter, & probabiliter iudicatur breui euulgandum in alio, non erit peccatum ibi referre, cum in hoc caſu videatur quaſi publicum in alio, nec exinde aliquod damnum de nouo inferatur.

8 Tum quia, quod publicum eſt in vna vicinia, † vel parte ciuitatis, referre in alia, non eſt peccatum, ſaltem mortale: alioquin nunquam liceret reuelare publica. ergo quod eſt publicum in vno loco, non eſt peccatum referre in alio vicino, in quo ſtatim iudicatur eſſe intelligendum: perinde enim ſe habent duo loci vicini, ſicut duæ partes.

Vnde infertur diffamatum Vrbeueteri diffamare Aquipendij, vel Viterbij; & infamatum Venetijs diffamare Ferrariæ vel Bononiæ, non eſſe peccatum mortale: cum moraliter loquendo impoſſibile ferè ſit, quin ibi ſtatim delictum innoteſcat.

Pari ratione peccatum non eſt, infamatum in media parte vnius Regni, vel Prouinciæ infamare in alia: quæ enim in media parte Regni vel Prouinciæ diuulgantur, facile ad alia loca Regni vel Prouinciæ deriuantur. Ita ſentiunt *Sayrus*, *Salon*, *& Nau. locis ſupra citatis*, & eſt etiam ſententia *D. Thom. in 4. diſt. 19. q. 2. ar. 3. ad 1. & 2. & Sylu. ver. detractio, q. 1. n. 2 verſ. & tertio.*

9 Imò ſi infamatus non mutauit mores, † erit aliquando actus charitatis delictum eius alibi euulgare: Quia in publicis delictis habenda eſt potius ratio eorum, qui poſſunt pati damnum, quam eius, qui poteſt inferre: ſed cum peccator infamatus non mutauit ſuos deprauatos mores, prudenter timetur damnum illaturus. ergo tunc potius eſt conſulendum periculo eorum, quibus poteſt nocere, quam famæ ipſius. Vnde potuit Gaſpar infamatum hic de fure, de aſſaſſino, & ſimilibus delictis Aquipendij, vel Viterbij reuelare, vt illorum locorum vicini ab huiuſmodi ſibi caueant: in quo caſu erit actus charitatis. Vide *Salonem 22. q. 73. ar. 2. controu. 2. conc. 1.*

Tertia propoſitio, videlicet, quòd ſi Hilarius famam recupe-
10 rauerat alibi † benè, & ſtudioſè viuendo, non licuit Gaſpari reuelare ibi eius delictum, per quod famam perdiderat: Probatur, quia ſicut fama proprio facto amittitur, ſic etiam proprio facto

infamia purgatur, & fama amiſſa recuperatur. igitur qui Hilarium in tali caſu infamat, peccat contra charitatem, quia nocet proximo; & contra iuſtitiam, quia aufert ab eo, quod ſuum iam eſt, ſcilicet famam recuperatam poſt purgatam infamiam.

11 Si verò quæras, an idem ſit, † ſi Hilarius factus eſt infamis in iudicio, & poſtea benè viuendo, alibi bonā habet exiſtimationem.

Toletus lib.5. ſuæ ſummæ cap.65. n.2. conc.2. reſpondet eſſe idem: Quia quamuis per Iudicis ſententiam fuerit illi fama antecedens ablata, tamen non ſequens: vnde verè poſſidet bonam famam ſequentem, quam qui aufert, iniuſtè aufert. *Sotus* vero *loco ſup. cit.* aſſerit contra charitatem auferre, ſed non contra iuſtitiam.

Sed pace tantorum virorum verior mihi videtur reſponſio *Azorij loc. cit.* dicentis non eſſe idem: quia infamia iuris non tollitur proprio facto, ſed auctoritate iuris: vnde quouſque Hilarius auctoritate iuris recuperat ſuam famam, ſemper habetur infamis. Et ad motiuum *Toleti*, negatur quod Hilarius in caſu poſsideat famam illæſam ſimpliciter, cum nullibi habeat famam, ſed poſsidet famam fundatam in ignorantia præteritæ condemnationis publicæ, quam cælare de iuſtitia nemo tenetur.

Ad argumentum verò adductum in principio pro opinione Adriani, cum dicitur, In alio loco, in quo Hilarius erat ignotus habebat bonam famam, & bonam exiſtimationem: Reſpondetur, quòd ſi erat infamatus per ſententiam Iudicis, falſum eſt; quia

12 in iudicio condemnatus † nullibi habet famam illæſam, vt oſtenſum eſt; at ſi erat infamatus per euidentiam facti tantum, concedi poteſt de loco remoto: & ſic non eſt contra noſtram reſolutionem, in qua loquuti ſumus de vicino, ad quem probabiliter cito notitia illius delicti, per quod famam perdidit, erat peruentura; vt patet per ſecundam propoſitionem. Et ibi delictum illud reuelare, non eſt detegere crimen occultum, ſed publicum: quia

13 in moralibus, † quod parum diſtat nihil diſtare iudicatur, & quod eſt in potentia proxima, iam ferè iudicatur in actu.

Ad primum pro opinione *Caietani* cum dicitur, ſic diffamatus

14 † ius ad ſuam famam amiſit: Dico verum eſſe ſi infamatus eſt per euiden-

euidentiam iuris, hoc eſt per ſententiam Iudicis: at ſi infamatus eſt per euidentiam facti, ſeu rumorem alicuius viciniæ, negatur, quòd ius ad ſuam famam amiſit, cum ea non ſit priuatus in pœnam per aliquam Iudicis ſententiam. Quare in hoc caſu fit ei iniuria reuelando delictum eius vbique, licet non fiat in primo caſu.

Ad ſecundum reſpondetur, probare primam propoſitionem noſtræ reſponſionis: quicquid *Salon loc. cit. q. 73. ad 2. & Sayrus* ſimiliter *loc. cit. §. dico 3.* & nonnulli alij dicant: quia ſequimur ſententiam *Caietani Maioris, Nauarri, & Azorij loc. cit.* quam probat etiam *Rebellus de obligat. iuſtitiæ lib. 4. q. 4.*

SVMMARIVM.

1 *Spadones qui ſint.*
2 *Spadones, et Eunuchi non ſunt idonei ad matrimoniũ contrahendũ.*
3 *Spadones non ſeminant, vel ſi ſeminant, eorum ſemen non eſt eiuſdem rationis cum ſemine aliorum, cum non ſit prolificum.*
4 *Quomodo intelligatur Vulpianus cum dicit Spadonem contrahere poſſe matrimonium, l. ſi ſerum, §. ſi Spadoni, ff. de iure dotium.*
5 *Sixti V. diploma, quo Eunuchi, & Spadones vtroque teſte carentes declarantur inhabiles ad contrahendum matrimonium.*
6 *Senex impotens ad generandum, dummodo non ſit impotens ad coeundum, valide matrimonium contrahit.*
7 *Senes contrahentes verè poſſunt tradere dominium ſui corporis, & ſe obligare ad actus matrimoniales.*
8 *Homo ita ſenio confectus, & exhauſtus, vt nullo modo ſeminare valeat, non poteſt matrimonium contrahere, & ſi contrahit, matrimonium eſt inualidum.*
9 *Gratiani opinio aſſerentis, quod impotentia perpetua coeundi, ſi ſuperueniat matrimonio ante conſumationem, diſſoluit matrimonium, reijcitur à Doctoribus.*
10 *Matrimonium ratum non poteſt diſſolui quantum ad vinculum, niſi per profeſſionem ſolemnem Religionis.*
11 *Matrimonium fieri non poteſt ſine obligatione reddendi debitum, veruntamen ſine ea conſeruari valet.*

12 *Sicut matrimonium ordinatur ad actum matrimonialem, ita ordinatur ad generandum, ſed non eodem modo.*

13 *Finis matrimonij duplex, ſcilicet vltimus, ac principalis, qui eſt generatio prolis; & proximus, qui eſt vſus matrimonij.*

14 *Solum matrimonium ordinat copulam carnalem, quæ non eſt ſine ſeminatione, in remedium concupiſcentiæ.*

CASVS LIX.

IOSEPH iam ſenio confectus, etſi ad generandum eſt impotens, & videtur Spadoni comparandus, cupit contrahere matrimonium cum Lauinia vidua, quæ eius impedimentum non ignorat. *Quæritur, an ſi contrahat, matrimonium ſit validum.*

In præſenti caſu duo petuntur: vnum eſt, quod obiter tangi-
1 tur, an ſcilicet Spadones, † qui reuera ijdem ſunt ac caſtrati, &
eunuchi, nempe qui vtroque teſticulo carent, ſint apti, vel inepti coniugio. Alterum, quod expreſsè inquiritur eſt, num Ioſeph ſenio confectus, qui eſt impotens ad generandum, ſit etiam impotens ad contrahendum matrimonium.

Quo ad primum: Quia res dubia eſt inter philoſophos, & medicos, poſſint ſpadones, & eunuchi necne rem habere cum fæmima, & ſemen emittere, alijs affirmantibus, alijs verò negantibus; ex hoc fit, vt inter Theologos quæſtio diſputetur, an Spadones ſint idonei ad matrimonium contrahendum. Sunt enim, qui docent, vt refert *Syluester verbo matrimonium* 8. §. 16. & *Sotus* 4. *ſent. diſt.* 34. *q.* 1. *ar.* 2. eos matrimonium contrahere poſſe: quia licet ſemen emittere nequeant, rem tamen cum fæmina habere poſſunt, atque ei ſatisfacere, ſicut mulier ſatisfacit viro, ſiue reſoluat ſemen, ſiue non. Ita cenſet hac ratione perſuaſus *Gloſ. fin. in can. hi qui*, 32. *q.* 7. pro qua opinione facit etiam *Nau. lib.* 4. *conſil. de frig. & maleſ. cap.* 2. Et confirmari poteſt hæc opinio

opinio ex *l. ſi ſerua*, §. *ſi ſpadoni*, *ff. de iure dotium*, vbi ait Vlpianus, quòd ſpado contrahere poteſt, non autem caſtratus.

2 Contraria tamen ſententia eſt vera, † & tenenda, quæ eſt communis Doctorum tum Theologorum, tum Canoniſtarum, *Sylu. ver. matrimonium* 8. *q.* 16. *dicto* 7. *verſic. ſecundum eſt*. *Soti* 4. *ſent. loc. cit. Petri de Ledeſma, de Sacramento matrimonij q.* 58. *ar.* 1. *Additionis ad* 3. *par. D. Thom. dub.* 3. *Io. Baptiſtæ Corrad.* 2. *par. reſp. q.* 327. *Panorm. & Gloſſ. in cap. Nuptiarum,* 27. *q.* 1. *Archid. in cap. His qui,* 32. *q.* 3. & aliorum plurimorum, quos refert *loc. cit. Syrueſter*, & probatur.

Tum quia vbi non eſt ſeminatio, non ſunt coniuges vna caro, & ſic non eſt matrimonium, vt ſcitè ait *Panorm. in cap. quod ſedem, de frigid. & maleſic.* at ſpadones non ſeminant, † quia ſemen, vt volunt aliqui, tranſit per ipſos teſtes; vel ſi ſeminant, eorum ſemen non eſt eiuſdem rationis cum ſemine aliorum, cum non ſit prolificum. igitur ſpadones non poſſunt fieri vna caro cum muliere, & conſequenter non valent contrahere matrimonium.

3

4 Tum quia legem illã † idem ipſe Vlpianus exponit *l. Pomponius ff. de edilitio edicto*, vbi ait, quod tunc ſpado contrahere poteſt, quando vno dumtaxat teſticulo caret. ergo ſpado carens vtroque contrahere non poteſt.

Tum quia quicquid auctores hactenus ſcripſerint, iam hæc quæſtio determinata eſt diplomate Pontificio, quod ad Nuncium ſuum Apoſtolicum in Hiſpania commorantem *Sixtus V. Pont. Max.* anno ſalutis humanæ 1587. die 27. Iunij direxit, ſub his

5 verbis, † *Committimus Fraternitati tuæ, & mandamus, vt coniugia per dictos, & alios quoſcumque eunuchos, & ſpadones vtroque teſte carentes cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum ſiue ignorantibus, ſiue etiam ſcientibus contrahi prohibeas, eoſque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declares*; & infra, *& matrimonia ipſa ſic de facto contracta nulla, irrita, & inualida eſſe decernas*. Ex his patet ſpadones, & eunuchos non poſſe ſe coniungere per verum matrimonium.

Patet etiam ſolutio ad rationem *Gloſſ. fin.* non enim ſpado poteſt habere rem cum muliere, ideſt copulam carnalem, quæ

non

non eſt ſine ſeminatione, ſecundum iura.

Quantum ad ſecundum: Num Ioſeph ſenio confectus, qui eſt impotens ad generandum, ſit etiam impotens ad contrahendum matrimonium? habet aliquam difficultatem: & pro parte affirmante facit

Primo, quia ſicut matrimonium ordinatur ad actum matrimonialem, ita ordinatur ad generationem: imò generatio eſt potiſſimus finis illius: ſed quando non poteſt eſſe actus matrimonialis, non eſt matrimonium. ergo impotentia generandi ſimiliter tollit ipſum matrimonium, ſicut impotentia coeundi: nam ſi reuera eſt impotentia generandi, deſinit finis actus matrimonialis, & ſubinde matrimonium ipſum nullum erit.

Deinde facit: quia ſi aliqua ratione matrimonium eſſet validum in iſto caſu, maximè eſſet, quia ille actus matrimonialis eſt in remedium concupiſcentiæ: hæc autem ratio nulla eſt; nam alias matrimonia ſpadonum valida eſſent: quod eſt falſum, vt ſupra oſtenſum eſt. Et probatur illatio: quoniam ſpadones poſſunt habere actum matrimonialem in remedium concupiſcentiæ.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitum:
6 Quamuis Ioſeph ſenex ſit impotens, † ad generandum, dummodo non ſit impotens ad coeundum, validè cum Lauinia matrimonium contrahere valet. Hæc eſt ſententia *Gloſſ. cap. quod ſedem de frig. & maleſ. Sylu. ver. matrimonium* 8. *q.* 16. *dicto* 3. *Nau. in Man. cap.* 22. *n.* 59. *& lib.* 4. *conſ. de frig. & maleſ. conc.* 2. *n.* 15. *Toleti lib.* 7. *cap.* 16. *n.* 1. *inſtruct. ſacerd. Petri de Ledeſ. de Sacramento matrim. q.* 58. *ar.* 1. *dub.* 5. *Soti* 4. *ſent. diſt.* 34. *q.* 1. *ar.* 2. *Io. Bapt. Corradi par.* 2. *reſp. quæſt.* 329. *Rebelli de oblig. iuſt. par.* 2. *lib.* 3. *q.* 16. *ſect.* 1. *n.* 1. *Azorij* 2. *par. inſtit. mor. lib.* 2. *cap.* 13. *q.* 11. & omnium Doctorum communis.

Et probatur impotentiam generandi non reddere inualidum matrimonium, ex ſacris literis, ex vſu Eccleſiæ, & ratione.

Ex ſacris literis: quia inter Abraham, & Sarram, & inter Zachariam, & Eliſabet parentes Ioannis Baptiſtæ fuit verum matrimonium; & tamen ex Sacra ſcriptura conſtat Sarram fuiſſe ſterilem, & quod non poterat generare: & ſimiliter Eliſabet erat ſterilis,

rilis, vt patet *Lucæ* 2. Ergo impotentia generandi non tollit matrimonium.

Ex vſu Eccleſiæ: quia ſicut conſtat ex traditione vniuerſalis Eccleſiæ, licet ſenes habeant impotentiam generandi, eorum matrimonia ſunt valida, & vt talia ab Eccleſia recipiuntur. ergo impotentia generandi non impedit matrimonium Ioſeph ſenis cum Lauinia.

7 Ratione demum probatur: Quia ſenes contrahentes † verè poſſunt tradere dominium ſui corporis, & ſe obligare ad actus matrimoniales, vt ſupponimus, quamuis non habeant potentiam generandi. ergo ſine potentia generandi, dũmodo adſit potentia coeundi, validè contrahere valet matrimonium Ioſeph cum Lauinia vidua.

Dixi, *dummodo non ſit impotens ad coeundum*. Quia potentia coeundi neceſſaria eſt, & ſufficit ad contrahendum matrimonium: ſine qua non poſſunt coniuges habere copulam carnalem, & effici vna caro, & ſic non poteſt eſſe matrimonium: in caſu autem iſto non habet Ioſeph impotentiam coeundi, ſed ſolum generandi. poteſt igitur contrahere cum Lauinia: cum impotentia generandi non impediat matrimonium, vt oſtenſum eſt.

8 Ex his infertur, quòd ſi Ioſeph eſſet † ita ſenio confectus, & exhauſtus, vt nullo modo ſeminare valeret, non poſſet contrahere matrimonium, & ſi contraheret, matrimonium eſſet inualidum. Ita docet expreſsè *Sotus loc. cit.* & ſimiliter *Syluester*, & pro hac ſententia adducit *Sotus Panorm. cap. quod ſedẽ, de frig. et malef.* & *Syluester Richardum in* 4. quibus ſubſcribit *Petrus de Ledeſma, & Corradus locis ſupra citatis*. Et ratio eſt manifeſta: Quia nullus poteſt ſe obligare ad impoſſibile: impoſſibile autem eſt, quòd talis ſenex habeat copulam carnalem neceſſariam ad matrimonium, & ideo non valet contrahere.

At obicijes, ſi impotentia coeundi tolleret matrimonium, ſequeretur, quod ſi illa impotentia coeundi ſuperueniret ipſi matrimonio, diſſolueret ipſum. conſequens eſt falſum; cum matrimonium ſit omnino indiſſolubile, ſaltem per cauſas naturales. ergo & id, ex quo ſequitur. Deducitur illatio; quia matrimonium

à princi-

à principio non poteſt ſtare cum tali impotentia. ergo neque poſtea poterit conſeruari cum illa.

Ad hanc difficultatem *Gratianus 33. q. 1. cap. 2. circa finem*
9 dicit, quòd impotentia perpetua coeundi † ſi ſuperueniat matrimonio ante conſumationem, diſſoluit matrimonium; vnde ait, *Impoſſibilitas officij ſoluit vinculum coniugij*. Et ad auctoritates ſacræ Scripturæ, quæ aſſerunt, quod matrimonium eſt indiſſolubile, & quod non eſt licitum dimittere vxorem: Reſpondet, quòd coniugium confirmatur carnali officio: poſtquam verò officio confirmatum fuerit, niſi cauſa fornicationis non licet viro vxorem dimittere, vel vxori à viro diſcedere: ſed antequam confirmetur impoſſibilitas officij, ſoluit vinculum coniugij. Iſte enim auctor fundatur in hoc, quòd matrimonium non habet omnimodam eſſentiam, niſi ſit conſumatum.

Verùm quia hæc opinio communiter reijcitur ab vniuerſis Theologis, & Iuriſperitis, qui docent, quòd ſi impotentia coeundi ſuperueniat matrimonio iam contracto, non diſſoluit matrimonium, etiamſi non ſit conſummatum: Quia matrimonium ratum
10 † non poteſt diſſolui quantum ad vinculum, niſi per ſolemnem profeſſionem religionis: & illud matrimonium fuit ratum, & validum, cum tunc nullum eſſet impedimentum: & in *Concil. Trid. ſeſſione 24. can. 5.* denifitur, quòd matrimonium ſemel ratum per nullam moleſtam cohabitationem diſſoluitur. Vnde palam eſt, quod etiamſi impotentia coeundi ſuperueniat matrimonio rato, non diſſoluit ipſum. Ideo ad argumentum aliter reſpondetur, negando ſcilicet illationem: Nam ſæpè aliqua ſunt neceſſaria ad hoc, quòd matrimonium contrahatur, quæ tamen non ſunt neceſſaria, vt conſeruetur.

11 Et in particulari dicendum, quòd matrimonium fieri † non poteſt ſine eo, quod ſequatur obligatio reddendi debitum: & tamen conſeruari poteſt ſine tali obligatione: vt ſi vterque conſenſu mutuo poſt conſumationem matrimonij tranſeat ad Religionem, conſeruatur matrimonium ſine obligatione reddendi debitum: Et in alijs caſibus etiam poteſt conſeruari matrimonium verum ſine obligatione reddendi debitum. Quare obligatio red-

dendi

dendi debitum non ſemper concomittatur matrimonium, vt propria illius paſſio, ſed ſolum à principio.

Nunc reliquum eſt reſpondere ad argumenta, quibus probatum eſt, impotentem ad generandum eſſe impotentem etiam ad contrahendum matrimonium. Ad primum itaque cum dicitur,
12 ſicut matrimonium ordinatur † ad actum matrimonialem, ita ordinatur ad generandum: Reſpondetur verum eſſe, ſed non eodem modo, quia ad actum matrimonialem ordinatur immediatè, ſed ad generationem mediatè, nempe mediante actu matrimoniali, ad quem actum potentia neceſſaria eſt, licet non ad actum generationis. Vnde quamuis in iſto caſu non poſſit eſſe finis vltimus matrimonij, & principalis, ſcilicet generatio prolis, tamen poteſt eſſe alius finis, videlicet remedium concupiſcentiæ, & ſine generatione poteſt eſſe vera traditio corporis, & obligatio ad reddendum debitum.

Eſt igitur hic conſiderandum, quòd cum matrimonium ordi-
13 netur ad duplicem finem, † ſcilicet ad vſum matrimonij; qui eſt finis proximus, & ad prolem, qui eſt finis vltimus: ſicut ignis mediante calefactione introducit formam ignis, & ita immediatè ordinatur ad calefactionem, & mediatè, & vltimatè ad formam ignis: ſi nullo modo poteſt eſſe vſus matrimonij, nullo modo erit validum ipſum matrimonium.

Ad ſecundum, & vltimum, conceſſa maiori, negatur minor propoſitio cum ſuis probationibus: namque ſpadones nec habere poſſunt actum matrimonialem, cum non poſſint validè contrahere, vt iam determinatũ eſt diplomate Pontificio; nec in re-
14 medium concupiſcentiæ, ad quod ordinat † copulam carnalem ſolum matrimonium; quæ copula non eſt ſine ſeminatione. Et dato quod ſpadones ſemen emittant, non tamen eſt eiuſdem rationis cum ſemine aliorum hominum, ſed ex natura ſua maximè ſterile; ſemen verò ſenum eiuſdem rationis eſt cum ſemine aliorum, quamuis ex accidenti non ſit prolificum propter frigiditatem accidentalem.

Hæc ſint dicta, ſalua ſemper meliori ſententia.

SVMMARIVM.

1 Duo *ſunt genera cooperatorum in mutuo, quidam agunt partes vſurarij, alij partes mutuatarij.*

2 *Vſurarius, qui pecuniam quam in depoſito habet, mutuat ad vſuram, duo peccata committit, vnum diſtractionis, & infidelis cuſtodiæ: alterum vſuræ.*

3 *Caietanus duo docet de deponente pecuniam apud vſurarium. Quorum primum communiter recipitur: Secundum verò reijcitur.*

4 *Qui petit mutuum ab eo, quem ſcit ſub vſuris mutuaturum, non cooperatur peccato vſuræ illius, quando ipſe eſt paratus mutuo dare.*

5 *Viator conferens latroni pecunias ad redimendam vexationem ſuam, eſto ſciat latronem abuſurum illis in iniuriam tertij, non peccat, aut cooperatur peccato illius.*

6 Deponens *pecuniam apud vſurarium, qui nullas alias habet, quas fænori det, cooperatur peccato ipſius, & obligatur ad reſtitutionem vſurarum.*

7 *Tribus modis ſecundum D. Thom. poteſt deponi apud vſurarium pecunia.*

8 *Qui deponit pecuniam apud vſurarium, qui alias pecunias habet, cum ea intentione, vt per vſuram copioſius lucretur, committit peccatum iniuſtitiæ, & vſuræ.*

9 *Qui committit gladium furioſo, aut virginem impudico, vel cibum guloſo, peccat grauiter, & tenetur ad recompenſandum damnum.*

10 D*eponens pecuniam apud vſurarium non habentem alias, vnde vſuras exerceat, offert ei materiam peccandi, & occaſionem proximam fænerandi.*

11 *Qui confert alicui inſtrumenta, quibus alteri noceat, eſto iam à ſeipſo ille paratus eſſet ad damnum illud inferendum, cooperatur peccato illius, & tenetur ad ſatisfactionem damni, quod cum illis inſtrumentis intulit.*

12 *Cauſa*

12 *Cauſa inſtrumentaria reducitur ad genus cauſæ efficientis.*
13 *Pecuniæ ſunt inſtrumenta exercentium negotia.*
14 *Diſcrimen inter petentem mutuum ab vſurario, & deponentem pecuniam ſuam apud illum.*
15 *Redimere vexationem ſuam licitum eſt iure naturali.*
16 *Deponere pecuniam apud vſurarium non habentem alias, non eſt non impedire vſuras, ſed cooperari iniquitati vſurarij.*

CASVS LX.

LVDOVICVS deponit mille aureos apud Ioannem vſurarium non habentem alias pecunias pręter illas, bono tamen animo, nimirum, vt apud eum ſecurius cuſtodiantur: verum Ioannes pecunias illas ſub vſuris, & fœnore mutuat. *Quæritur, an Ludouicus cooperetur peccato Ioannis, & ad aliquam reſtitutionem teneatur.*

1 Cum cooperatorum duo ſint genera: † quidam enim agunt partes vſurarij, alij verò partes mutuatarij: conuenit inter Doctores, cooperatores, qui ſe tenent ex parte mutuatarij petentis mutuum, non peccare contra iuſtitiam, ſicut nec mutuatarius; vnde à reſtitutione deobligantur; quia ex conſenſu, & voluntate ipſius mutuatarij cooperantur, & conſequenter nihil faciunt contra eius iuſtitiam: quoniam ſcienti, & volenti non fit iniuria: ita docent *Rebellus de obligat. iuſtitiæ lib. 8. q. 16. ſect. 4. & Azor. 3. par. inſtit. moral. lib. 5. cap. 17. titulo de vſura,* & alij communiter. Sed difficultas eſt de his, qui ſe tenent ex parte vſurarij, & potiſſimum de Ludouico deponente pecunias ſuas apud Ioannem, quem nouit eſſe fœneratorem, an cooperetur peccato illius, & ad aliquam reſtitutionem teneatur.

Ad quam difficultatem vt reſpondeat *Caiet. 22. q. 78. ar. 4. in ſolutione tertij argumenti principalis*, cui ſubſcribit *Petrus Arag.*
2 *ibidem*, conſtituit primum, vſurarium, † qui pecuniam, quam in

depoſito

Digitized by Google

depoſito habet, mutuat ad vſuram, duo peccata committere: vnum diſtractionis, & infidelis cuſtodiæ, alterum vſuræ. Diſtractionis quidem: quia cum Depoſitarius debeat cuſtodire fideliter rem, vel pecuniam apud ſe depoſitam, ita vt in proprios vſus eam non conuertat, vel diſtrahat, ſi exercet vſuras ad propria lucra ex pecunia illa apud ipſum depoſita, infideliter agit, ſicque committit peccatum infidelis cuſtodiæ erga dominum illius pecuniæ. Vſuræ verò, ſiue iniuſtitiæ erga mutuatarium, cui pecunias illas ſub vſuris, & fænore mutuat. Quæ peccata ita inter ſe diſtinguuntur, vt vnum ſine altero poſſit inueniri: qui enim diſtrahit illas pecunias in licitas negociationes, tantum peccat peccato diſtractionis, & non vſuræ.

Secundo docet, in deponente pecuniam apud vſurarium duo
3 etiam conſiderari poſſe. † Primum eſt, quod deponit illam apud diſtractorem: ſecundum, quod deponit eam apud vſurarium aliam pecuniam non habentem, vnde vſuras exerceat. Et quidem ratione primi eſt particeps, inquit, culpæ diſtractionis: quia ſicut committens cibum guloſo, eſt particeps gulæ; & committens virginem luxurioſo, eſt particeps luxuriæ: ſic committens pecunias cuſtodiendas infideli cuſtodi ſciens, & intelligens illum eas diſtracturum, eſt particeps culpæ diſtractionis: offert enim illi materiam infidelis cuſtodiæ, cooperaturque peccato, quod rationabiliter metuere tenetur: quæ tamen infidelis cuſtodia vſurarij, cum non cedat in damnum aliquod deponentis pecuniam apud illum, vt conſtituimus, venialis culpa tantum eſt. At ratione ſecundi, ait idem Caietanus, non eſt particeps culpæ huiuſmodi deponens pecuniam, hoc eſt non cooperatur iniquitati, & iniuſtitiæ, quam committit vſurarius per vſuras; & proinde non tenetur ad aliquam reſtitutionem.

Pro qua ſententia, quam in hoc ſecundo dicto Caietani ſequuntur etiam *Rebellus*, & *Azorius q. 2. locis ſupra citatis*, facit
4 primo: quia qui petit multum † ab eo, quem ſcit ſub vſuris mutuaturum, non cooperatur peccato vſuræ illius, quando ipſe eſt paratus mutuo dare. ergo neque Ludouicus, qui tradit ſuas pecunias cuſtodiendas Ioanni vſurario, cooperatur peccato iniqui-

tatis

tatis Ioannis. Conſequentia deducitur, quia vterque in hoc caſu videtur eodem modo ſe habere: etenim ſi dicas, deponentem pecunias apud vſurarium offerre illi materiam peccandi; materiam etiam peccandi offert, ac proponit ille, qui petit mutuum ab eo. Similiter ſi Ludouicus deponens pecuniam apud Ioannem vſurarium præuidit, ac nouit illum eſſe paratum ad exercendas vſuras ex illa pecunia; præuidit etiam, ac nouit petens mutuum ab vſurario, non aliter eum mutuaturum, quam ſub vſuris. Vnde cum eadem ſit vtriuſque ratio, ſicut petens ab vſurario mutuum nullam committit iniuſtitiam, neque cooperatur vſuræ illius, ita neque deponens apud illum pecuniam ſuam, & conſequenter non tenetur ad aliquam reſtitutionem.

5 Secundo facit, quia quando viator † confert latroni pecunias ad redimendam vexationem ſuam, eſto ſciat latronem abuſurum illis in iniuriam tertij, non peccat, aut cooperatur peccato illius. ergo neque Ludouicus deponens pecuniam apud Ioannem vſurarium, eſto ſciat illum vſurarium eſſe, cooperatur peccato illius iniuſtitiæ, cum id tantum inſtituat, habere pecuniam ſuam apud illum ſecurius cuſtoditam; licet enim vti homine peccatore ad bonum ſuum, ſecundum D.*Thom.* 22. *q.*78. *ar.*4. *ad.*3.

Demum facit: quia quamuis Ludouicus vitare teneatur peccatum Ioannis, & damnum aliorum, quando ſine graui ſuo incommodo poteſt, ad hoc tamen obligatur ſolum ex lege charitatis, & non iuſtitiæ; quia non tenetur ex officio impedire vſuras Ioannis, & ne fæneretur. ergo Ludouicus non cooperatur iniquitati Ioannis vſurarij deponendo pecunias apud eum, nec ad vllam reſtitutionem tenetur.

His tamen rationibus non obſtantibus reſpondeo ad caſum
6 propoſitum affirmatiue, nempe Ludouicum deponentem † pecuniam apud Ioannem vſurarium, qui nullas alias habet, quas fænori det, cooperari peccato illius, & teneri ad reſtituendas omnes vſuras, quas Ioannes à mutuatarijs pecunijs illis extorſit.

Hæc eſt ſententia D.*Thom. loco proximè citato in ſolutione* 3. *argum.* ſi benè eius verba perpendantur, *Michaelis Salonis ibidem controu.* 4. *Soti lib.*6. *de iuſt. & iure q.* 1. *ar.* 5. *ad* 2. *Lopez*

par.1. inſtructorij conſcientiæ cap.30. ver.7. ſequitur, & videtur etiam *Paludani in 4. ſent.* & *D. Antonini 2. par. tit. 1. cap.9. ante* §.1. & probatur Primo ex verbis *D. Thom* dicentis *loc. cit. Si quis committeret pecuniam ſuam vſurario non habenti alias vnde vſuras exerceret, vel hac intentione committeret, vt inde copioſius per vſuram lucraretur, daret materiam peccandi, vnde & ipſe eſſet particeps culpæ. Si autem aliquis vſurario alias habenti, vnde vſuras exerceat, pecuniam ſuam committat, vt ſecurius ſeruetur, non peccat, ſed vtitur homine peccatore ad bonum.* Itaque tribus
7 modis † docet hic D. *Thomas* poſſe pecuniam deponi apud vſurarium. Primo apud eum, qui nullam aliam habet præter eam, quæ illi committitur cuſtodienda, bono tamen animo, eo ſcilicet fine, vt ſecurius ab eo cuſtodiatur. Secundo apud eum, qui alias pecunias habet: eo tamen animo, vt iunctis illis, quæ apud ipſum deponuntur, maiores vſuras exerceat. Tertio apud habentem alias proprias, ſed eo animo, vt illas tantum cuſtodiat; quia apud eum ſecurius iudicantur cuſtodiri, quam apud alios. Qua diſtinctione poſita ait, deponentem pecuniam apud vſurarium primo, & ſecundo modo, dare illi materiam peccandi, & vtrumque participem eſſe culpæ, quam vſurarius committit: deponentem vero apud eundem vſurarium tertio modo, non peccare, ſed vti tantum peccatore ad bonum finem, ſcilicet ad ſuum commodum, & ſecuritatem.

Nunc ſic argumentor: D. Thomas æquales facit in delicto, & eiuſdem culpæ participes deponentem primo modo pecuniam apud vſurarium, & deponentem ſecundo modo: at qui deponit
8 † hoc ſecundo modo, & cum ea intentione, vt per vſuram copioſius lucretur, committit peccatum iniuſtitiæ, & vſuræ contra mutuatarios. ergo & qui deponit illo primo modo, committit ſimiliter peccatum iniuſtitiæ, & vſuræ.

Et confirmatur ex verbis eiuſdem D. *Thomæ*, ait enim vtrumq. eſſe participem culpæ vſurarij: ſed culpa vſurarij ſimpliciter, & formaliter, quomodo loquitur hic *D. Thomas*, eſt iniquitas vſuraria, qua extorquet vſuras à mutuatarijs. ergo deponens pecuniam ſuam apud vſurarium tam primo, quam ſecundo modo, eſt

huius

huius iniquitatis, & iniuſtitiæ particeps, & ex conſequenti ad reſtitutionem lucri vſurarij in ſolidum tenetur.

9 Secundo probatur: Qui committit gladium † furioſo, aut virginem impudico, vel cibum guloſo (quibus exemplis vtitur hic D. Thomas, peccat grauiter), & tenetur ad compenſandum damnum, ſi fuerit aliquod inde ſequutum: vt ſi furioſus ille aliquem occiderit, vel impudicus virginem ſibi commendatam violauerit: cuius nulla ratio alio eſt, niſi quia præbuit materiam peccandi, & occaſionem damnum illud inferendi. Sed Ludouicus deponens pecuniam ſuam apud vſurarium Ioannem, quem nouit paratum ad fænerandum, nec habere alias pecunias, quibus iniquitatem
10 ſuam exerceat, præter eas, quas illi tradit, † offert ei omnino materiam peccandi, & occaſionem proximam fænerandi. ergo ſimiliter peccat, & tenetur ad compenſandas illas vſuras, & damna illa reficienda.

Et confirmatur ex *regula iuris, de iniurijs, & damno dato*, in qua dicitur, *Si culpa tua damnum datum eſt, ſeu alijs irrogantibus damnum opem fortè tuliſti, iure ſuper eo ſatisfacere te oportet*.

11 Denique probatur: quia qui confert alicui inſtrumenta † quibus alteri noceat, eſto iam à ſeipſo ille paratiſsimus eſſet ad damnum illud inferendum, cooperatur peccato illius, & tenetur ad ſatisfactionem damni, quod cum illis inſtrumentis alteri ille in-
12 tulerit: quia cauſa inſtrumentaria † reducitur ad genus cauſæ efficientis, & qui concurrit efficienter ad aliquod peccatum, peccat ſicut & principale agens, habeturque in iure, *l. ſi pignore*, *§. qui ferramenta, ff. de furtis*. Vt ſi quis latroni parato ad ingrediendum domum alicuius clauem præbeat adulterinam, aut ferramenta, quibus fores effodiat, imputabitur illi furtum à latrone illo commiſſum. Sed ſimiliter res ſe habet in caſu noſtro; Ludouicus enim deponens pecuniam apud Ioannem vſurarium paratum non habentem alias proprias, quibus fæneretur, præbet illi
13 inſtrumenta exercendi vſuras: cum pecuniæ † ſint inſtrumenta exercentium negotia cum illis, ſiue iuſta, & honeſta illa ſint, ſiue iniqua, & vſuraria. ergo cooperatur iniquitati vſurarij, & tenetur ad ſatisfactionem vſurarum, quas ille recipiet à mutuatario.

Ad argumenta verò allata pro parte negante, facilè reſpondetur. Ad primum enim, cum dicitur, qui petit mutuum ab eo, quem ſcit ſub vſuris mutuaturum, non peccat, neque cooperatur peccato illius, quando ipſe eſt paratus mutuo dare; ergo neque qui tradit pecuniam ſuam vſurario parato cuſtodiendam,
14 negatur conſequentia. Eſt enim maximum diſcrimen † inter petentem mutuum ab vſurario, & deponentem pecuniam ſuam apud eundem: tum quia petere mutuum tantum, eſt velut conditio ſine qua non exerceret ille vſuras: vnde non concurrit actiuè ad culpam vſurarij; at qui deponit pecuniam apud illum, concurrit actiuè, quia eſt cauſa inſtrumentalis, & effectiua peccati vſurarij, & damni quod infertur mutuatario. Tum etiam, quia petens mutuum ab vſurario nemini facit iniuriam, ſed ipſe potius patitur illam; qui verò deponit pecuniam apud vſurarium, facit iniuriam mutuatarijs, à quibus vſurarius ille vſuras recipiet: qua de cauſa huiuſmodi damnum illi imputatur, cum poſſet, ac deberet vitare illud.

Quod ſi quis obijciat, cooperari vſurarijs ad mutuandum non inducere reſtitutionis laqueum, ſed cooperari ad ſuſcipiendum lucrum: Reſpondetur, quòd ſi ex mutuo ſequitur lucrum, profectò eadem eſt vtriuſque ratio.

Ad ſecundum de viatore conferente pecuniam latroni ad redimendam vexationem ſuam, qui non peccat: Reſpondetur eſſe differentiam non paruam inter viatorem tradentem pecuniam ſuam latroni, & deponentem illam apud vſurarium paratum. quia viator tradit eam, vt redimat vexationem ſuam; redemptio
15 † autem vexationis eſt licita iure naturali; vnde quamuis ſciat pecuniam ſuam in alterius damnum conuertendam, cum debeat potius neceſſitati ſuæ quam alienæ proſpicere, poteſt tuta conſcientia pecunias illas latroni conferre, quicquid ſit de damno alterius. At deponens pecuniam apud vſurarium, etſi deponit illam, vt commodo ſuo conſulat, nempe vt ſecurius cuſtodiatur, hæc tamen commoditas non eſt dicenda neceſſitas, ſeu vexatio, ad quam redimendam liceat offerre vſurario materiam peccandi.

Ad

Ad vltimum reſpondetur concedendo Ludouicum ſolum lege charitatis teneri ad impediendum vſuras Ioannis, ſi ſine ſuo graui incommodo poteſt, & non lege iuſtitiæ, quia non ex officio te-
16 netur. Sed negatur, quod deponere pecuniam † apud eum, vt in caſu, ſit non impedire vſuras, imo eſt cooperari iniquitati vſurariæ eius: non enim ſe habet hic Ludouicus negatiue, ideſt, vt non impediens, ſed poſitiuè, præbendo materiam peccandi, nimirum vt efficiens inſtrumentaliter; & proinde tenetur reficere damna, quæ mutuatarij paſſi ſunt, reſtituere, inquam, vſuras, quas cum illis pecunijs apud ipſum depoſitis Ioannes à mutuatarijs extorſit.

SVMMARIVM.

1 *In miniſtro Sacramenti pænitentiæ neceſſaria eſt iuriſdictio vel ordinaria, vel delegata. Et qui habet ordinariam, qui vero delegatam.*

2 *Parochus ante Concilium Tridentinum poterat committere confeſſionem ſui ſubditi Sacerdoti non approbato ab Ordinario, et nullam habenti iuriſdictionem.*

3 *Parochus nunc non poteſt cuipiam confeſſionem ſuorum ſubditorum committere, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis approbationem obtinuerit, & n.4.*

5 *Parochi vel ſunt eiuſdem diæceſis, ſeu Epiſcopatus, vel diuerſæ diæceſis.*

6 *Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. & can. 9. in curato beneficiato, vt confeſſionem ſecularium audire poſſit, non requirit aliam approbationem, quam parochiale beneficium. Limita vt n.13. reſpectu ſuorum ſubditorum, & eiuſdem diæceſis.*

7 *Habere beneficium parochiale, & approbatum eſſe ab Epiſcopis, ponuntur in Concilio vt duo diuerſa, vnde aliquis ſacerdos cenſetur idoneus ad confeſſiones audiendas. Intellige vt n.16. intra ſcilicet eandem diæceſim.*

8 *Sacerdos habens beneficium parochiale poteſt dare licentiam ſuo parochiano, vt parochum alterius diæceſis in confeſſorem eligat.*

Digitized by Google

Limita vt n.17. ſecluſa ſpeciali prohibitione proprij Ordinarij.

9 *Parochus non poteſt delegare iuriſdictionem ſuam, ſeu licentiam dare, vt ouium ſuarum confeſſiones audiat, & valide abſoluat in Eccleſia ſua parochiali, parocho alterius diæceſis.*

10 *Approbatus in vno Epiſcopatu non eſt vbiq. approbatus, ſeu idoneus.*

11 *In vno Epiſcopatu poteſt requiri maior ſcientia confeſſionis, quam in alio.*

12 *Parochus extra ſuam diæceſim cenſetur perſona priuata, & ſimplex ſacerdos, & n. 15.*

18 *Nec eſt immediate capax delegationis iuriſdictionis, niſi approbetur ab Ordinario loci; ſed in ſua diæceſi ſufficit, quòd ei committatur, & applicetur materia.*

CASVS LXI.

MARTINVS presbyter curam animarum habens in Monteſaliſco, Viterbium profectus, & apud D. Lucium Parochum amicum ſuum diuerſatus, rogatur à Parocho, vt nonnullorum ſuorum parochianorum hoc quadrageſimali tempore confeſſiones velit audire. Quo reſpondente ſe non eſſe expoſitum ab Epiſcopo Viterbienſi: ait ei Parochus, ego do tibi huiuſmodi licentiam. Audit igitur Martinus confeſſiones Viterbij in Eccleſia Parochiali D. Lucij, beneficiumque abſolutionis pænitentibus impendit. *Quæritur, an dictæ confeſſiones ſint validæ, vel iterandæ.* 1

1 Inter alia, quæ in miniſtro Sacramenti pænitentiæ † deſiderantur, nemo ambigit neceſſariam eſſe iuriſdictionem vel ordinariam, vel delegatam, quarum alterutram niſi habeat confeſſarius, nihil facit, eſt enim Sacramentum nullum, perinde ac ſi à laico fieret abſolutio. Vnde in Concilio Florentino miniſter huius

Sacra-

Sacramenti declaratur eſſe ſacerdos habens vel delegatam, vel ordinariam poteſtatem. quod idem teſtatur *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *& can.* 9. Iuriſdictionem ordinariam ille dicitur habere, cui ex proprio officio cura animarum incumbit, & Iudex eſt in foro pænitentiæ, vt eſt proprius ſacerdos, ideſt Romanus Pontifex, qui eſt vniuerſalis totius Eccleſiæ, & Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu, & Parochus in ſua Parochia, vt tradit *Hoſtien. in cap. omnis, de pænit. & remiſſ. Nau. in c. placuit, de pænit. diſt.* 6. *n.* 124. 127. *&* 136. *Sayrus in ſumma Sacramenti pænitentiæ cap.* 19. *Graſſius lib.* 1. *deciſ. aure. cap.* 17. *n.* 2. *& cap.* 13. *n.* 10. *Sotus* 4. *ſent. diſt.* 18. *q.* 4. *ar.* 2. Delegatam verò iuriſdictionem habet is, qui ex commiſſione proprij ſacerdotis abſoluit. Hinc notat *Panorm.*
2 *cap. fin. de offic. Iudicis ordinarij*, quod Parochus † poteſt committere confeſſionem ſui ſubditi alteri Presbytero, nempe Sacerdoti non approbato ab Ordinario, & nullam habenti iuriſdictionem. quod verum erat ante *Conc. Trid.* & eſt ſententia communis, quam tenet etiam *Palud. in* 4. *diſt.* 17. *q.* 4. *n.* 17. *&* 18. vbi *Gabr. q.* 2. *ar.* 3. *dub.* 5. *Adrianus poſt q.* 5. *de confeſſ. dub.* 1. *Caiet. in ſumma ver. abſolutio*, *Sylu. ver. confeſſor* 1. *q.* 5. *Angelus confeſſio* 3. *n.* 4. *D. Anton.* 3. *par tit.* 17. *cap.* 9. *Sot.* 4. *ſent. diſt.* 18. *q.* 4. *ar.* 3. *circa finem. Med. C. de confeſſ. q. de Sacerdote alieno per Parochum eligendo*, *Nau. cap. Placuit, de pænit. diſt.* 6. *n.* 49. *& ſeqq. Suarez tom.* 4. *in* 3. *par. D. Thom. diſp.* 28. *ſect.* 3. & probatur: Quia in delegante erat poteſtas, quia hæc conuenit illi ex vi iuriſdictionis ordinariæ: & hæc non erat ligata, aut impedita, vt ſupponimus; quia ex parte ipſius Parochi nullum erat ius poſitiuum prohibens illi delegationem; & ex altera parte in Sacerdote erat capacitas; & nullum etiam erat ius ſpecialiter requirens in illo alterutram ex dictis conditionibus. Sed hodie, & eſt ius nouum, atque ſingulare, videns ſancta Synodus *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. quòd Parochi plurimi ſuæ conſcientiæ prodigi, ad audientiam confeſſionum ſuorum ſubditorũ admittebant multos inidoneos, & imperitos, idcirco temperauit *cap. omnis, extra, de pænit. & re-*
3 *miſſ.* & decreuit neminem Parochorum † poſſe cuipiam ſuarum ouium confeſſionem committere, niſi talis Sacerdos ſiue ſecularis,

ſiue regularis habeat ſpecialem Eccleſiæ approbationem nouo illo iure præſcriptam, hoc eſt niſi habeat parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem obtineat.

Ex quo decreto duo colligimus. Primum eſt, quemlibet ex his duobus modis deſignandi confeſſorem idoneũ, quos Concilium inſinuat, ſcilicet per beneficium parochiale, vel Epiſcopi approbationem, per ſe ſufficere. Alterum eſt, alterum ex his modis eſſe neceſſarium, neque aliam approbationem ſufficere.

Primum horum non tam fuit à Concilio introductum, quam retentum: ſemper enim illi duo modi approbationis habuerunt in Eccleſia magnam auctoritatem, & ſufficientiſſimi iudicati ſunt. Secundum autem, ſcilicet, quòd alter ex his modis neceſſarius ſit, nouum eſt, & à Concilio introductum, & indicatur illo verbo, *Decernit ſancta Synodus*.

4 Parochi igitur nunc iure nouo† delegare poſſunt iuriſdictionem ſuam tantum vel Sacerdotibus ab Epiſcopis approbatis, vel alijs Parochis. Et quoniam per Parochos poſſumus intelligere Paro-
5 chos † eiuſdem diœceſis, ſeu Epiſcopatus, aut diœceſis diuerſæ; merito in præſenti caſu quærimus, an Parochus Viterbienſis Curato, ſeu Parocho Montisfaliſci poſſit delegare iuriſdictionem ſuam, ſeu licentiam dare, vt oues ſuas Viterbij in Eccleſia ſua parochiali audiat, & validè abſoluat.

Pars affirmans, quam tenent, & defendere conantur *Franciſcus Suarez tom.4. in 3.par. D.Thom.diſp.28.ſect.4.n.18. & ſeq. & Michael Vaſquez in 3.par.ſimiliter* D.T*hom.q.93.ar.3.dub.4.* his rationibus perſuaderi poteſt.

Tum quia *Concil.Trid.* in huiuſmodi beneficiato nullam aliam
6 approbationem † requirit, præterquam quòd parochiale beneficium habeat, vt poſſit confeſſiones ſecularium audire. Et cum loquatur indefinitè de beneficio parochiali, nulla apparet ratio, quare reſtringendum ſit decretum ad beneficium Parochiale eiuſdem diœceſis. Ergo ſi ſufficit habere Parochiale beneficium pro approbatione, poterit Parochus Viterbiẽſis Curato Montisfaliſci habenti tale beneficium dare licentiam audiendi oues ſuas, & com-

&committere ſuam iuriſdictionem in hoc foro pænitentiali.

Tum quia omnis,& ſolus Ordinarius,qui propriam habet animarum curam,ſi non eſt de iure prohibitus,poteſt cuicumque alij Sacerdoti non iure prohibito facultatem ſuam concedere abſoluendi ſuos ſubditos,vt teſtãtur omnes Doctores *in 4.ſent.diſt.*17. & latè *Sotus* probat *diſt.*18. *q.*4. *ar.*3. & tactum eſt ſupra; nec *Concil.Trid.* priuat dictos Ordinarios hoc vſu iuriſdictionis, ſed ſolum ſtatuit, vt confeſſiones non audiantur niſi ab ijs, qui habent Parochiale beneficiũ, aut approbationem ab Epiſcopis. Sed D.Lucius Parochus Viterbienſis eſt Iudex ordinarius ſuorum ſubditorum in foro pænitentiæ, nullum habens impedimentum, vt ſupponimus. igitur poteſt Martino Curatò Montisfaliſci Sacerdoti non impedito,imo iureipſo approbato, cum ſit beneficiatus, facultatem concedere audiendi confeſſiones ſuorum ſubditorum, validæque erunt tales confeſſiones ex commiſſione, & licentia D. Lucij Parochi Viterbienſis, & Iudicis ordinarij in hoc foro pænitentiæ.

7 Tum quia habere beneficium Parochiale,† & approbatum eſſe ab Epiſcopis,ponuntur in Concilio vt duo diuerſa, vnde aliquis Sacerdos cenſetur idoneus ad confeſſiones audiendas.ergo Martinus habens Parochiale beneficium in Montefaliſco,non tantum in ſua diæceſi, ſed etiam in alia, nempe Viterbienſi audire poteſt confeſſiones,iuriſdictione ſibi commiſſa ab eo, qui poteſt, ſcilicet à D.Lucio, quam tamen ipſo iure habet ſolum intra ſuam parochiam. conſequentia patet; quia iam habet vnum modum approbationis, & vnus ſufficit ſine altero.

8 Tum demum, quia Sacerdos habens beneficium † Parochiale poteſt dare licentiam ſuo Parochiano, vt Parochum alterius diæceſis in confeſſorem eligat. igitur poteſt etiam licentiam dare tali Parocho, vt Parochianorum ſuorum confeſſiones audiat: nihil enim referre videtur, quòd vni, vel alteri licentia directè concedatur. antecedens colligitur ex *cap.omnis, de pænit. & remiſſ.* vbi dicitur, *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote*. Et probatur etiam ratione,quoniam talis Curatus

ratus eſt capax cuiuſcumque iuriſdictionis delegatæ in hoc foro; & Parochus habet etiam integrum ſuum ius, delegandi ſcilicet ſuam iuriſdictionem Sacerdoti, illius capaci.

His tamen non obſtantibus probabiliorem, & ſecuriorem exi-
9 ſtimo partem negantem, ſcilicet D. Lucium non poſſe † Martino talem licentiam dare, & confeſſiones factas eſſe inualidas, & reiterandas: quæ eſt ſententia *Io. Gutierrez lib. 1. can. quaſt. cap.* 27. & ſequi eam videtur *Toletus in ſumma lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 6. licet ſuboſcurè loquatur, & *Beia* 1. *par. reſpon. ad caſus, caſu* 16. *& Emanuel Rodriquez in expoſitione Bullæ* §. 5. & probatur hæc ſententia primo ex reſponſione Congregationis Cardinalium, quæ refertur à *D. Suarez loc. cit. ſect.* 4. *n.* 17. *in hæc verba*.

An obtinens Parochiale beneficium vbique cenſendus ſit idoneus abſque alia Epiſcoporum approbatione, ita quòd audire poſſit confeſſiones eorum, qui non habent huiuſmodi priuilegium, ſed Parochorum conſenſum. Congregatio reſpondit, non poſſe. ergo Martinus habens Parochiale beneficium in Monteſaliſco, abſque approbatione Epiſcopi Viterbienſis non eſt cenſendus idoneus per ſolum conſenſum D. Lucij, vt audiat confeſſiones Viterbij, alias cenſendus eſſet idoneus vbique. ergò Viterbij non validè abſoluit.

Secundo, quia *Concil. Trident.* æquiparat beneficium Parochiale approbationi Epiſcopi; nam dicit, quemlibet illorum modorum eſſe per ſe ſufficientem, & alterutrùm eſſe neceſſarium:
10 ſed approbatus † in vno Epiſcopatu non eſt vbique approbatus, ſeu idoneus. ergo nec is, qui beneficium habet Parochiale. Minor propoſitio probatur, tum quia hoc in praxi ab omnibus obſeruari videtur. Tum quia alias ſequeretur, approbatum ab vno Epiſcopo eſſe approbatum pro tota Eccleſia, quantum eſt ex parte approbationis: quod hoc tempore doctioribus hominibus, & prudentioribus non probatur: & videtur abſurdum, quia in vno
11 Epiſcopatu † poteſt requiri maior ſcientia confeſsionis, quam in alio, vt Bononiæ, quam Imolæ, Romæ quam Nepete; & Epiſcopus vnius poteſt eſſe exactior, & diligentior in examinandis confeſſoribus, quam alius.

Tum ex alia reſponſione Congregationis Concilij: refert enim

Emanuel

Emanuel Rodriquez loc.cit. ideſt in *expoſitione Bullæ*,§.5. Patriarcham Archiepiſcopum Valentinum in hoc puncto conſuluiſſe Dominos Cardinales, eoſque ita reſpondiſſe: *Congregatio Concilij reſpondet, approbatũ ab alio quàm ab Epiſc. Valent. in diæceſi Valentina, non cenſeri approbatum ab Ordinario*. quæ verba refert hic auctor ſe vidiſſe, & legiſſe in epiſtola ad prædictum Patriarcham directa.

12 Tertio probatur hæc noſtra reſolutio, quia Curatus † extra ſuam Parochiam, & diæceſim cenſetur perſona priuata; & nihil amplius habere videtur, quam ſimplex Sacerdos. ergo quamuis propter beneficium Parochiale iudicetur idoneus in ſua diæceſi; tamen extrà eam tale beneficium nihil ei ſuffragatur quo ad confeſsiones alienarum ouium audiendas, ſicuti neque alteri Sacerdoti approbato à ſuo Epiſcopo. non itaque validè Martinus Curatus Montisfaliſci confeſsiones audiuit Viterbij ex ſola commiſſione D.Lucij Parochi abſque approbatione Epiſcopi loci.

Quare licet opinio contraria probabilitate non careat, tamen quia res eſt grauis, & ex ea pendere poteſt valor Sacramenti, optimum conſilium eſt ſemper in praxi ſequi ſecuriorem ſententiam, qualis eſt hæc, quam probauimus, & auctoritate Sacræ Congregationis Cardinalium confirmauimus.

Nec argumenta pro contraria opinione allata huic noſtræ reſolutioni officiunt. Nam ad primum cum dicitur, Concilium in huiuſmodi Curato, vt confeſsiones ſecularium audire poſsit, non requirit aliam approbationem, quam Parochiale beneficium: Re-
13 ſpondetur verum eſſe † reſpectu ſuorum ſubditorum, quorum confeſsiones vt audiat, non indiget noua approbatione, imo neque reſpectu eiuſdem diæceſis. quamuis indigeat licentia proprij Sacerdotis tacita, vel expreſſa, vt audiat confeſsiones aliorum
14 Parochianorum. At in alia† diæceſi non cenſetur idoneus ad confeſsiones audiendas abſque alia approbatione Epiſcoporum, vt declarauit *Sacra congregatio Concilij*. Quare negatur, quod decretum illud non loquatur de beneficio Parochiali eiuſdem diæceſis: loquitur enim de habente beneficium, quatenus illud habet, & reſpectu eorum, quorum paſtor eſt, & non indefinitè: hic enim

enim ſenſus eſt formalior, & videtur præferendus. nec enim loquitur de beneficiato reſpectu totius Eccleſiæ.

Ad ſecundum reſpondetur ad minorem propoſitionem, quòd quamuis non ſit impedimentum ex parte D. Lucij Parochi Viterbienſis quoad communicationẽ ſuæ iuriſdictionis in foro pænitentiæ, eſt tamen ex parte Martini Curati Montisfaliſci, qui
15 † cum in diæceſi Viterbienſi ſit tamquam ſimplex Sacerdos, non eſt capax talis delegationis, niſi prius iudicetur idoneus, & obtineat approbationem ab Epiſcopo Viterbienſi; & Concilium loquitur de habente beneficium Parochiale in diæceſi eadem, vbi eſt beneficiatus, & non reſpectu totius Eccleſiæ.

Ad tertium reſpondetur concedendo, quod habere beneficium parochiale, & eſſe approbatum ab Epiſcopis, ponuntur vt duo modi diuerſi, vnde aliquis Sacerdos cenſetur idoneus ad audien-
16 das confeſsiones, † intra tamen eandem diæceſim: quare negatur conſequentia: ad cuius probationem dicitur, quòd licet vnus modus ex his duobus ſufficiat ſine altero in eadem diæceſi, in qua quis habet Parochiale beneficium, non tamen in diuerſa, in qua indiget approbatione Epiſcopi loci.

Ad vltimum in quo dicitur, poteſt Sacerdos habens beneficium Parochiale dare licentiam ſuo Parochiano, vt eligat in confeſſorem Parochum alterius diæceſis, ergo & tali Parocho, &c. Ad-
17 miſſo antecedente † ſecluſa ſpeciali prohibitione proprij Ordinarij (poteſt enim ſuperior Paſtor, maximè ex cauſa rationabili, & ob conuenientem gubernationem ſuæ diæceſis non ſolum prohibere, ſed etiam irritare talem licentiam à ſuo inferiori conceſſam)
18 negatur conſequentia: quia Parochus † extra ſuam diæceſim non eſt immediatè capax delegationis iuriſdictionis, niſi approbetur ab Ordinario loci: at pro audiendis confeſsionibus in ſua Parochia, ſeu diæceſi, ſufficit quod ei committatur, & applicetur materia; quod facit Sacerdos proprius, cum licentiam tribuit ſuis Parochianis, vt confiteantur peccata ſua alij Sacerdoti approbato à ſuo Epiſcopo, vel habenti Parochiale beneficium: quare multum refert, quod vni, vel alteri, nempè Parochiano, vel Parocho alieno, licentia concedatur: quia Sacerdoti beneficiato exi-

to exiſtenti extra ſuã diæceſim non poteſt per ſe Parochus Viterbienſis licentiam concedere, neque exiſtenti in ſua, cum non indigeat; bene tamen Parochiano, qui ſine licentia ſui Sacerdotis non valet alieno confiteri.

SVMMARIVM.

1 *Aliquis habere poteſt impotentiam coeundi reſpectu vnius mulieris, & non reſpectu alterius.*
2 *Impotentia reſpectiua, qua aliquis ineptus eſt ad coeundum cum virgine, aptus tamen ad coeundum cum corrupta, non tollit matrimonium contractum.*
3 *Si quis poſt ſeparationem matrimonij reperitur habilis ad aliam, redire debet ad primum matrimonium.*
4 *Impotentia ſenis reſpectu virginis, & non reſpectu corruptæ, eſt temporalis: tale enim impedimentum ex parte mulieris auferri poteſt (vt dicunt medici) abſque periculo corporis.*
5 *Per artem clauſura virginitatis pandi poteſt.*
6 *Impotentia coeundi perpetua, et non tẽporalis tollit matrimonium.*
7 *Qui eſt habilis ad vnam (& eſt regula* D. *Thomæ) eſt habilis ad omnes: & ita matrimonium cum qualibet tenet.*
8 *Matrimonium reſpicit indiuiduam perſonam, & eſt vinculum, quo vnus alteri obligatur in particulari.*
9 *Regula Innocentij III. ad diſcernendum, quando impedimentum eſt temporale, & quando perpetuum eſt.*

CASVS LXII.

NICOLAVS exacta ætate matrimonium contraxit cum Iuſtina: cum qua, cum ſit virgo, ineptus eſt ad coeundum; eſt tamen idoneus ad coeundum cum corrupta. *Quæritur, an hæc impotentia coeundi reſpectiua, videlicet re-*

ſpectu

ſpectu huius mulieris, & non reſpectu alterius irritum reddat matrimonium cum iſta, & non cum alia.

In præſenti caſu ſupponimus tamquam certum, quòd aliquis
1 habere † poteſt impotentiam coeundi reſpectu vnius, & non reſpectu alterius: poteſt enim quiſpiam eſſe inhabilis ad deflorandam virginem, qui tamen eſt validus, vt cum corrupta conueniat. Item poteſt quis habere potentiam ad mulierem aliam non ita arctam, & occluſam, & non ad iſtã, quæ eſt ſtrictior, & occluſior. & ſimile eſt de muliere reſpectu viri. Et quærimus, an talis impotentia, quæ dicitur reſpectiua, tollat matrimonium, & reddat illud inualidum. De qua difficultate quamuis Doctores variè ſentiant; & quidem ſi rationes attendamus, pars affimans non appareat improbabilis, quam videtur tenere *Syluester ver. matrimonium*, 8.*q*.16. *dict*.6. & ante ipſum *Palud*. ab eo citatus, & poſt ipſum ſequuntur aliqui recentiores Theologi, & Iuriſperiti, vt refert *Petrus de Ledeſma tractatu de magno matrimonij Sacramento, in addit. ad* 3.*par. D.Thom. q*.58. *ar*.1. Nos tamen reſo-
2 lutoriè reſpondentes, dicimus, impotentiam† qua Nicolaus ſenio confectus, eſt ineptus ad coeundum cum Iuſtina virgine, aptus tamen vt coeat cum corrupta, non irritum reddere matrimonium contractum. Ita docet expreſsè *D.Thom. in addit. ad* 3.*par. q*.58. *ar*.1. *in ſolutione ad* 5. *argum. Sotus* 4.*ſent. diſt*.34. *q*.1. *ar*.2. *poſt* 4.*concl. Petrus de Ledeſma loc. cit. & Io. Baptiſta Corradus par*.2. *reſponſorum ad caſuum quæſita*, *q*.330. & 332.

Et probatur reſolutio hæc, tum ex iure, tum rationibus. Ex iure quidem, quia in *cap. laudabilem*, & *in cap. fraternitatis*, *de fri-*
3 *gidis*, & *maleficiatis*, definitur expreſsè, quòd ſi aliquis † poſt ſeparationem matrimonij reperiatur habilis ad aliam, redeat ad primum matrimonium. Et ita habet vſus Eccleſiæ, in quo vſu, & determinatione Eccleſia maximè erraret, ſi tale matrimonium non eſſet validum: nam poſſet aliquis dicere ſe eſſe habilem ad iſtam, & non ad aliam. ergo tale matrimonium cum tali impotentia validum eſt.

Probatur etiam ratione: Quia impotentia temporalis coeundi non

di non

Digitized by Google

di non tollit matrimonium, vt communiter ſentiunt Doctores Theologi, & Iuriſperiti, & definitur ab *Innocentio III. in cap. fra-*
4 *ternitatis:* atqui talis impotentia † Nicolai ſenis reſpectu Iuſtinæ virginis eſt temporalis, non perpetua, quia, vt dicunt Medici, tale impedimentum ex parte mulieris auferri poteſt abſque periculo corporis, & *D. Thom. in illa ſolutione ad quintum* expreſsè hoc dicit. talis igitur impotentia reſpectiua non tollit matrimonium.

Confirmatur, quia dummodo Medici iudicent impedimentum eſſe medicabile, validum eſt matrimonium, etiam ſi ipſa renuat remedio vti: nam firmitas, & valor matrimonij non dependet ex futura facti contingentia, ſed ex hoc, quòd impedimentum illud ſit medicabile ſine periculo corporali: at clauſura virgini-
5 tatis † per artem poteſt pandi, vt loco citato ait D. Thom. ergo matrimonium in noſtro caſu validum eſt.

6 Præterea, in iure ſolum dicitur, quod impotentia † coeundi perpetua, & frigiditas tollit matrimonium; ſed Nicolaus, & Iuſtina non habent impotentiam coeundi, nec ſunt frigidi, vt conſtat: nam poſſunt habere copulam carnalem ſimpliciter loquendo. igitur talis impotentia non tollit matrimonium.

7 Quibus poſitis colligit D. T*hom. loc. cit.* hanc regulam, † *Qui eſt habilis ad vnam, eſt habilis ad omnes;* & ita matrimonium cum qualibet tenet.

Neque huic noſtræ reſolutioni obſtat, ſi arguatur, Nicolaus habet impotentiam perpetuam reſpectu Iuſtinæ virginis. ergo talis impotentia tollit omnino matrimonium cum ea: nam ſicut impotentia naturalis, & perpetua coeundi cum omni muliere, tollit omnino matrimonium cum omni muliere, vt patet in ſpadonibus, & eunuchis; ita impotentia coeundi perpetua cum iſta muliere, nimirum cum Iuſtina virgine, annullat matrimonium cum ea, ob paritatem rationis.

Reſpondetur enim negando antecedens: quia non poteſt eſſe impotentia perpetua reſpectu Iuſtinæ virginis, cum tolli poſſit per artem. Et ad probationem, negatur ſimiliter, quòd poſſit eſſe impotentia coeundi naturalis perpetua cum iſta muliere, & non cum alia, puta cum corrupta: quia impotentia reſpectu iſtius non

eſt

eſt impotentia ſimpliciter; & quamuis eſſet impotentia, non eſt perpetua; nam tolli poteſt per artem.

Nec etiam obſtat, ſi dicatur, Quando quis non poteſt ſe obligare ad ſoluendum debitum matrimonij, contractus matrimonij eſt nullus, vt patet, quia ad hoc ſe obligat in contractu matrimoniali: Nicolaus autem in caſu non poteſt ſe obligare ad ſoluendum debitum matrimoniale Iuſtinæ: quoniã nullus poteſt ſe obligare ad id, quod dare, vel ſoluere non poteſt; & Nicolaus non poteſt ſoluere carnale debitum Iuſtinæ, quamuis poſſet ſoluere alteri mulieri corruptæ. igitur iſta impotentia, qua eſt inhabilis ad ſoluendum debitum coniugale, reddit contractum matrimonij nullum.

Nam reſpondemus negando minorem propoſitionem, ſcilicet quod Nicolaus in caſu non poſſit ſe obligare ad reddendum debitum; quia ſimpliciter poteſt reddere debitum, imo etiam huic: quamuis cum difficultate, quæ tamen difficultas tolli poteſt per artem: & ideo contractus matrimonij eſt validus.

Quod ſi inſtes, Quando materia contractus non eſt idonea ad finem, ad quem ordinatur contractus, talis contractus eſt nullus: in præſenti verò caſu materia huius contractus in particulari non non eſt idonea ad finem, ad quem ordinatus contractus matrimonialis: cum Nicolaus in ordine ad Iuſtinam virginem non habeat potentiam coeundi, vt ſupponimus; itaque talis contractus inter Nicolaum, & Iuſtinam nullus eſt.

Reſpondetur concedendo maiorem propoſitionem, & negando minorem: & dicimus quòd Nicolaus eſt materia idonea huius contractus: nam quamuis in ordine ad Iuſtinam virginem habeat impotentiam coeundi; illa tamen impotentia non eſt perpetua, ſed temporalis: & ita non facit, quòd illi non ſint apta materia huius contractus matrimonialis in particulari.

8 Si iterum vrgeas, Contractus matrimonialis † reſpicit indiuiduam perſonam; & ita dicitur in eius definitione, eſt legitima maris, & fæminæ coniunctio indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens; & matrimonium eſt vinculum, quo vnus alteri obligatur in indiuiduo, & in particulari. igitur ſi Nicolaus habet impotentiam

tiam reſpectu huius mulieris in particulari,ſcilicet Iuſtinæ,quamuis aliàs habeat potentiam,inualidum erit matrimoniũ,&nullum.

Reſpondetur,ſine dubio matrimonium reſpicere indiuiduam perſonam, & eſſe vinculum, quo vnus alteri obligatur in particulari; attamen dicimus, quòd Nicolaus non poteſt habere potentiam reſpectu vnius, & non reſpectu alterius, loquendo abſolutè; nam ſicut diximus, ſi habet impotentiam reſpectu huius, nempe Iuſtinæ, illa impotentia eſt temporalis, & non perpetua.

Aduertendum tandem hic eſt,quòd ad diſcernendum,quando impedimentum eſt temporale, & quando perpetuum, eſt regula
9 *Innocentij* † *III.cap.fraternitatis,de frig.& maleſ.*nempe,quòd illud non eſt perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo potuit remoueri; ſecus ſi per miraculum: quia natura matrimonij non pendet ex miraculo.

Ex quo fit, quòd quamuis vir ineptus ſit ad virginem, nihilominus matrimonium tenet, ſi aptus eſt ad corruptam; quoniam ſi non eſt alia clauſura,quam virginitas,profecto per artem poteſt reſerari, vt *loco ſupra citato* ait D.*Thomas*.

Hæc ſint dicta, ſalua ſemper meliori ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Propria vis, & ſignificatio huius vocis, lucrum ceſſans.*
2 *Diſcrimen inter lucrum ceſſans, & damnum emergens, & n.* 24.
3 *In pecunia duplex eſt potentia ad lucrandum: vna, quæ naturaliter ipſam conſequitur: altera,quæ eam conſequitur prout ſubeſt induſtriæ negotiatoris. prima eſt remota, ſecunda eſt proxima.*
4 *Ratione prioris potentiæ, quæ eſt communis cuique pecuniæ, nullus poteſt recipere aliquid vltra ſortem.*
5 *Quandocunque quis mutuat inuitus, licitè poteſt lucrum ceſſans exigere.*
6 *Ob moram in ſoluendo mutuum, etiam mutuanti licet recipere lucrum ceſſans à mutuatario, imò quoque à principio conuenire de illo, & num.* 12.

7 *Sed an quando quis mutuat ad preces mutuatarij, vel ſponte ex charitate, licitè poſſit in pactum deducere, vt ſibi ſoluatur lucrum ceſſans, opinio Innocentij, Ioannis Andr. & Soti eſt negans. Sed communis, & probabilior eſt affirmans, n.11.*

8 *Qui mutuum dat, compenſationem damni ex eo, quod de pecunia non lucratur, non poteſt in pactum deducere. Explicatur auctoritas hæc* D.*Thom. n.24.*

9 *L. cum quidem, ff. de vſuris, in qua dicitur à Iuriſconſulto, vſuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infliguntur, explicatur n.27.*

10 *Mutuator vltro offerens pecuniam ſuam mutuatario nihil poteſt accipere vltra ſortem ratione illius, quamuis eam negotiationi expoſitam habeat. limita vt n.29.*

11 *Quicunque mutuans pecunias ſuas, quas deliberate paratas habet ad gerendum negotium lucratiuum, poteſt deducere in pactum lucrum ſibi ceſſans, & exigere aliquibus conditionibus ſeruatis.*

13 *Sponte mutuare non efficit, quin pecunia, vt ſubeſt induſtriæ mercatoris, verè lucratiua ſit, & quin dominus eius impediatur à lucro ante moram, ſicut poſt moram.*

14 *Mutuans inſtrumenta ſuæ artis poſtulanti illa, poteſt deducere in pactum lucrum, quo priuatur ex eorum defectu.*

15 *Pecunia ſub induſtria mercatoris negotiaturi cum ſpe probabili lucri plus valet illi, quam ſecundũ ſe valeat, aut quàm valeat altera tanta in manu alterius qui non eſt cum ea negotiaturus*

16 *Venditor pro r r ſibi magis vtili, quam emptori, ac cæteris, iuſtè accipit aliquid amplius, quam res emptori valeat.*

17 *Vis non poteſt vſuram licitam facere.*

18 *Lucrum ceſſans, quod erat in via, & proxima potentia, eſt reuera damnum, etſi non æſtimandum tanto pretio, quanto cum res actu poſſeſſa iniquè aufertur.*

19 *Ponuntur conditiones, quæ ad lucrum ceſſans ex mutuo iuſtè accipiendum requiruntur. Prima eſt, vt detrahantur expenſæ, labores, & pericula.*

20 *Secunda conditio eſt, vt reuera ceſſet lucrum ratione mutui.*

21 *Tertia conditio eſt, vt lucrum habeatur in ſpe certa, ſeu probabili.*

22 *Quarta*

22 *Quarta conditio eſt, vt æſtimatum pretium lucri ceſſantis non ſoluatur ſtatim.*

23 *Lucrum ceſſans ex mutuo dupliciter poteſt in pactum deduci.*

25 *Differentia inter reſtitutionem, & recompenſationem hæc eſt; quòd reſtitutio eſt ſatisfactio debiti ſiue in totum, & ad æqualitatem, ſiue in partem; recompenſatio verò eſt in integrum, & æqualiter.*

26 *Leges determinantes damnum emergens accipi poſſe pro mutuo, conſequenter determinant de lucro ceſſante.*

28 *Pecunia non eſt maioris vtilitatis poſt moram, quàm ante moram cæteris paribus.*

30 *Differentia inter mutuare in propriam vtilitatem, & in vtilitatem mutuatarij eſt: quoniam mutuatarius eſt cauſa moralis ceſſationis lucri, cum mutuans mutuat in vtilitatem ipſius; deſinit enim in eius vtilitatem negotiari, ſicut inſtituerat: at ſi mutuat in propriam vtilitatem, nequaquam, & n. 31.*

32 *Quando non magna neceſſitas mutuatarij interuenerit, de conſilio diſſuadendi regulariter erunt contractus, quibus aliquid vltra ſortem pro lucro ceſſante exigitur, propter latentes contrahentium fraudes.*

CASVS LXIII.

HABET Octauius aureos mille dicatos, & deliberatè paratos ad negotium, in quo detractis impenſis, laboribus, ac periculis probabiliter lucraretur quinquaginta; Michael verò, qui grauem ſuorum bonorum iacturam paſſurus eſt ex defectu mille aureorum, rogat Octauium, vt dictam pecuniæ ſummã ſibi mutuo tradat: mutuat igitur Octauius, ſed cum pacto ſolutionis lucri ceſſantis. *Quæritur, an hic contractus ſit licitus. quod eſt quærere, an liceat Octauio mutuanti ducere in pactum lucrum ceſſans.*

Antequam ad reſolutionem huius caſus accedamus, qui eſt vnus ex grauioribus, & difficilioribus, qui in materia de vſuris occurrere ſolent, & maximè inter Doctores controuerſus, explicanda eſt primum propria vis, † & ſignificatio huius vocis, lucrum ceſſans. Lucrum quippe ceſſans in mutuo eſt, quando ea pecunia mutuo traditur, quæ actu erat parata ad negotia lucratiua, deſinitque mutuans habere lucra, quæ ex illis negotijs habuiſſet, & quæ cenſebantur probabiliter iam eſſe velut in actu, vel ſaltem in maximè proxima potentia: Quia cum ceſſatio à lucro ſit quædam priuato lucri; quemadmodum in naturalibus non conſtituitur priuatio niſi in ſubiecto apto, & nato habere oppoſitum habitum; ita quoque ceſſatio lucri non conuenit alicui, niſi in ea pecunia, quæ erat in via, ac vera, & reali habitudine, & diſpoſitione ad lucrum, qualis eſt ea, quæ eſt expoſita negotiationi, & cum qua dominus illius actu, & reuera intendebat exercere aliquod negotium ſibi vtile, & lucrum afferens, & ab illo negotio amouet, vt ſubueniat amico ea indigenti, ac mutuo eam poſtulanti. Explicatur idem à Doctoribus hoc accommodato exemplo. Quemadmodum, quia quies motus priuatio eſt, non dicitur quieſcere, qui non fuit motus, vel ſaltem inſtituit ſtatim moueri: ita qui non habet pecuniam lucro expoſitam, vel non habet paratam, vt ſtatim exponatur alicui certo negotio lucratiuo, non eſt dicendus ceſſare à lucro.

1 (margin number beside "da eſt primum")

2 Ex his colligitur diſcrimen † inter lucrum ceſſans, & damnum emergens, in quæ diuidi ſolet à Iuriſperitis intereſſe. Lucrum enim ceſſans importat ceſſationem lucri acquirendi, iuxta *l. ſi commiſſa, ff. rem ratam haberi*; vt ſi propter mutuationem pecuniæ negotiatoribus deſtinatæ, à lucro, quo ſperabas impediaris. Damnum verò emergens continet iacturam in bonis iam acquiſitis, ſiue ſtatim, ſiue in poſterum ſequatur, *l. damnum, ff. de damno infecto*: vt ſi propter mutuationem pecuniæ, quam ad reparandam domum, vel emendum frumentum tempore meſſis deſtinaueras, ruina domus ſubſequatur, vel carius poſtea frumentum emere cogaris.

Secundo aduertendum eſt cum Caiet. 22. q. 78. ar. 2. *in ſolutione*

tione ad 1. & *Aragone, ac Salone ibidem controu.* 9. duplicem eſſe
3 in pecunia † potentiam ad lucrandum: vnam, quæ naturaliter conſequitur ipſam pecuniam abſolutè conſideratam, ſcilicet in quantum poteſt eſſe inſtrumentum ad lucrandum ſiue per negotiationem, ſiue per emptionem alicuius rei. Alteram, quæ conſequitur ipſam pecuniam non ſecundum ſe, & abſolutè ſumptam, ſed prout ſubeſt induſtriæ negotiatoris, & quatenus ad negotiationem ab homine induſtrio aſſumi poteſt. Prima eſt illi velut naturalis, ſed remota: ſecunda eſt velut artificialis & proxima, quæ non ſemper illi conuenit, neque vbicumque, ſed quando eſt expoſita negotiationi, aut eſt in proxima potentia, vt exponatur: quod pendet ex intentione, & animo habentis illam; nec ſemper eſt eadē, ſed maior, aut minor, prout induſtria negotiatoris maior, vel minor fuerit.

Huius duplicis potentiæ in pecunia elegans, & accommodatum exemplum affert *Caietanus* in tritico: triticum enim duplicem habet potentiam ad fructificandum; vnam naturalem, & remotam, quæ conuenit omni tritico, ſiue ſit in horreo, vt conſeruetur, ſiue in foro, vt vendatur; eo namque ipſo quòd triticum eſt, habet talem potentiam, & aptitudinem: præter hanc verò remotam, & communem habet aliam proximam, & particularem, quando ſcilicet aut eſt iam ſeminatum, & terræ commiſſum, aut purgatum, & paratum iam ab agricola, vt in proximo ſeminetur.
4 Ratione illius prioris potentiæ, † quam pecunia habet ad lucrandum, nullus poteſt accipere aliquid vltra ſortem: & in hoc omnes conſentiunt: quia cum illa potentia ſit communis cuicumque pecuniæ, à quocumque habeatur, idem iudicium eſt de illa, quod de ipſa pecunia: Vnde ſicut non licet aliquid accipere vltra ſortem ratione ipſius pecuniæ mutuatæ, ita nec ratione illius potentiæ, quam habet ad lucrandum. Cæterum de ſecunda potentia, quam habet pecunia ad lucrandum, prout ſubeſt induſtriæ mercatoris qui eam negotiationi expoſitam habet, quæritur in præſenti caſu, vtrum ratione illius poſſit Octauius mutuator aliquod accipere à Michaele mutuatario vltra ſortem.

Adhuc tertio notandum eſt, conuenire inter auctores omnes,
5 poſſe lucrum ceſſans † exigi, quandocumque quis mutuat in-

uitus. Verbi gratia, mutuat Octauius Michaeli, quia ei minatur interitum, vel alia grauia mala, licet minora morte. Item mutuat, quia vult Princeps vt mutuet, alioqui probabiliter timet Principis iram; in his, & ſimilibus caſibus Octauius dicitur mutuare inuitus. Item conuenit etiam inter auctores, quod ſi ab initio, cum Octauius mutuat, fiat conuentio, vt ſi mutuatarius
6 † ſtatuto tempore ei non ſoluerit pecuniam mutuatam, teneatur ei ſoluere lucrum ceſſans ob moram reſtituendi mutuum; in hoc caſu licitum eſſe Octauio huiuſmodi lucrum ceſſans exigere: quia poſt moram prædictam lucrum ſibi ceſſat inuito. Tota igitur difficultas eſt inter auctores, an quando quis mutuat ob preces mutuatarij, vt Octauius in caſu noſtro; vel ſponte ex charitate, & beneuolentia, licitè poſſit in pactum deducere, vt ſibi ſoluatur lucrum ceſſans: & de hoc ſunt duæ opiniones, vna negat, altera affirmat.

7 Primæ opinionis negantis † poſſe in pactum deduci, vt lucrum ceſſans ſoluatur ex eo, quod mutuamus alteri, eſt *Innocentij in cap. fin. de vſuris*, *Ioannis Andr. Ioannis Calderini*, *Petri de Anchar. Ant. de Butrio ibidem*, & *Laurent. de Rodulph. in cap. conſuluit, de vſuris, par.* 2. *q.* 2. & hanc ſententiam ſequitur *Sotus* 6. *de iuſt. & iur. q.* 1. *ar.* 3. *conc.* 4. quamuis non damnet oppoſitam, cui videtur fauere S. *Thom.* 22. *q.* 78. *ar.* 2. *ad* 1. vbi ait, quòd qui mutuum dat, poteſt de damno paciſci; quia non vendit
8 pecuniæ vſum, ſed damnum euitat. at compenſationem † damni ex eo, quòd de pecunia non lucratur, non poteſt in pactum deducere; quia non debet vendere id, quod non dum habet, & quod poteſt multipliciter impediri. Ex quibus verbis formatur hæc ratio: Nullus poteſt vendere id quod non habet, neque lucrum exigere, quod incertum eſt, & poteſt multipliciter impediri; ſed Octauius mutuans non dum habet pecuniæ lucrum, & multis vijs impediri poteſt, licet ſit pecunia negotiationi expoſita, vt conſtat experientia: imò hoc eſt proprium mercaturæ, & quod talem artem inter alia reddit licitam, eſſe lucra illius incerta, & expoſita mille periculis. ergo non poteſt illud vendere, neque deducere in pactum, vt ſibi ſoluatur.

Secun-

Secundo probatur hæc opinio; quia nulla iuris aut canonici, aut
ciuilis lex exiſtit, quæ hoc concedat, ſiue permittat, præcipuè ante
moram mutuatarij, nam poſt moram extat *lex, cum quidem, ff. de*
9 *vſuris*, vbi Iuriſconſultus hæc verba ponit; *Vſuræ* † *non propter*
lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infliguntur.
vbi nomine vſuræ ſignificantur non vſuræ iniquæ, quæ exiguntur
ex vi mutui; ſed intereſſe damni emergentis, vel lucri ceſſantis,
quod patitur mutuator propter moram mutuatarij. ergo ſi nulla
eſt lex, quæ hanc lucri ceſſantis pactionem ante moram concedat, aut permittat, non eſt licita.

Tum quia tunc lucrum alicui ceſſare dicitur, quando ipſe ab eo inuoluntariè cohibetur, & impeditur; ſed quando aliquis rogatus mutuat, vt Octauius in caſu, non inuoluntariè à lucro cohibetur, ſed potius voluntariè id facit: quia nullus patitur inuoluntarium, niſi quando vi, aut metu, aut ignorantia aliquid facit, vt docet *Ariſt. 3. ethic.* ergo non dicetur ratione mutui illi lucrum ceſſare, atque adeo non poterit illud in pactum deducere: Nam communes amicorum preces, beneuolentia, & pietas non efficiunt inuoluntarium, ex *D. Thom. 1 2. q. 6. ar. 6.*

10 Et confirmatur, quia ſi Octauius negotiator † vltro offerat pecuniam ſuam mutuo Michaeli, nihil poteſt accipere vltra ſortem ratione illius, quamuis eam negotiationi expoſitam habeat, vt omnes Doctores concedunt. ergo nec ſi rogatus mutuet; quia nihilominus ſpontaneus rogatus facit, quàm ſi alterum præueniret.

Confirmatur ſecundo: ſi quis mutuet liberè intendens ſuam vtilitatem, & commodum, non poteſt deducere in pactum lucrum ceſſans: quia ita reciperet duo lucra, nempe & commodum illud proprium, ob quod mutuat, & lucrum ceſſans. ergo neque ſi mutuet ob commodum mutuatarij, poteſt aliquid accipere vt lucrum ceſſans. Conſequentia probatur, tum quia ad rationem mutui parum refert, quod commodum intendat mutuans, num proprium, an alterius: cum ratio mutui ſolum conſiſtat in eo, quod eſt gratis dare, vt tantundem poſt tempus recipiatur. Tum quia recipere aliquod eo, quòd mutuum ſit in vtilitatem mutuatarij, eſſet vendere illi rem ſuam: quod non licet.

His tamen non obſtantibus reſpondeo ad caſum propoſitum,
11 affirmatiuè, nempe licere † Octauio mutuanti Michaeli pecunias ſuas, nempe mille aureos, quos dicatos, & deliberatè paratos habet ad gerendum negotium lucratiuum, ad exercendum ſcilicet mercaturam, deducere in pactum lucrum ſibi ceſſans; detractis tamen expenſis, laboribus, & periculis, alijſque conditionibus debitis ſeruatis.

Hæc reſponſio duas habet partes: quarum altera eſt, quod licitum eſt Octauio in caſu deducere in pactum lucrum ceſſans: Altera verò, quòd in huiuſmodi pacto de lucro ceſſante ſoluendo, deducendi ſunt labores, expenſæ, & pericula, & quædam aliæ conditiones ſeruandæ.

Prima pars iam nunc eſt ſententia communis, & ab omnibus ferè recepta; in quibus eſt *Conradus de contractibus, q.30. Caiet. in ſummula ver. vſura, §.2. caſu 5. & 22. q.78. ar.2. in ſolutione 1. argum.* vbi *Aragon. & Salon. controu. 9. Adrianus in 4. de reſtitutione quæſt.* quæ incipit, *quia tactum eſt de intereſſe.* Almainus *in 4. diſt. 15. q.2. Gabriel. eadem diſt. q.11. ar.1. notab.2. Ioannes Maior eodem lib. & diſt. q. 30. Ioannes Med. q.3. de rebus per vſuram acquiſitis, Angelus ver. vſura 1. n.16. Sylu. eodem ver. q.19. D. Anton. par.2. tit.7. cap.7. Lopez par.2. Inſtruct. cap.61. & 62. Nau in Man. cap. 17. n.211. & 212.* vbi citat *Ioannem de Lignanis*, quem vocat grauiſſimum Doctorem. & idem *Nau. commentario de vſuris, notab.15. a n.43.* vbi hanc ſententiam probat 14. rationibus. *Molina de iuſtitia, diſp.313. n.5. Rebellus de oblig. iuſt. par.2. lib.8. q.5. conc.3. Azor. 3. par. inſt. mor. lib.5. de vſur. cap.5. Couarru. lib.3. var. reſol. cap.4. n.5.* vbi citat pro hac ſententia *Hoſtienſem, & Panorm. in cap. ſalubriter, de vſuris*, *Ananiam in cap. conqueſtus, de vſuris, Archid. in cap. vſura, 14. q.3.* citat etiam *Decium*, *Alex. Romanum*. Et probatur his potioribus rationibus.

12 Primo, quia ſi mutuatarius ſit in mora † reſtituendi mutuum, tenetur omnium conſenſu non ſolum ad damna emergentia, ſed etiam ad lucra ceſſantia: cuius aſſerti ratio potiſſima eſt; quia propter illam moram deſinit mutuans lucrari, quæ pecunia ſua

ſibi

ſibi reſtituta,& negotijs tradita lucratus fuiſſet: ſed cum primum Octauius negotiator mutuat Michaeli pecunias ſuas, ſcilicet mille aureos, quos inſtituerat negotijs lucratiuis tradere, deſinit lucrari quæ cum illis mille aureis negotijs traditis fuiſſet lucratus. ergo cum primum mutuat Octauius negotiator pecunias illas Michaeli, poteſt ducere in pactum lucrum ceſſans, atque exigere: non enim ſunt minoris vtilitatis illæ pecuniæ Octauio ante moram, quam ſint poſt moram, neque Michael mutuatarius minus cauſa eſt lucri ceſſantis Octauio negotiatori, & cur ille priuetur tali lucro ante moram omnem, & à principio, quàm poſtea.

Neque valet reſponſio *Soti* dicentis non eſſe parem rationem de ſolutione lucri ceſſantis poſt moram, & ante illam: quia ante non impeditur mutuator inuitus à negotiatione: ſed poſtea impeditur inuitus: quia illa iniuria, quæ fit ei poſt moram, dimouet mercatorem mutuantem inuitum à ſua negotiatione. Nam hæc reſponſio non tollit vim argumenti: quia eſto liberè, & ſponte ante moram Octauius negotiator mutuauerit, hoc tamen non eſ-
13 ficit, † quin pecunia illa ipſi negotiatori verè lucratiua ſit, & quin perinde dominus illius impediatur à lucro ante moram, ſicut poſt moram, in quo conſiſtit iuſtitia, & vis exigendi intereſſe à mutuatario. Differunt quidem iſta in eo, quod poſt moram impeditur mutuator quaſi inuitus, & reclamans, ante moram verò conſentiens: non tamen conſentit ſimpliciter, ſed ſub ea conditione, vt compenſentur lucra ſibi ceſſantia: quæ conditio, ſi non impleatur, non voluntariè mutuat. quod apertè exprimit, cum ducat illa lucra in pactum.

Secundo probatur, quia ſi in gratiam Michaelis Faber aliquis
14 † omnia ſua inſtrumenta fabrilia commodaſſet, iure poſſet à Michaele exigere lucrum, quod ſibi ceſſat.

Item ſi Michael petat ab operario, qui in ſingulos dies operas ſuas locare ſolet, vt non locet hodiernam operam in gratiam ipſius, ſed aliquid aliud faciat, iure poteſt operarius à Michaele exigere mercedem diurnam, quam accepiſſet, ſi operam ſuam locaſſet.

Et ſimiliter piſcator, qui poteſt vendere iactum retis, ſi preci-

bus

Digitized by Google

bus Michaelis deſiſtat à iaciendo reti, iure poteſt exigere lucrum, quod acquirere poſſet ex iactu retis. ergo cum Octauius ob mutuationem pecuniarum ſuarum, quæ mercatori ſunt inſtrumenta lucrandi, deſiſtat à ſua negotiatione, & à lucro alioquin futuro impediatur, poteſt ducere in pactum, & exigere tale lucrum ceſſans à Michaele mutuatario. Conſequentia patet ex paritate rationis, vi illius Regulæ iuris traditæ ab Innoc. Vbi eadem eſt ratio, eadem quoque debet eſſe iuris diſpoſitio.

15 Præterea: pecunia ſub induſtria † mercatoris negotiaturi cum ſpe probabili lucri, plus valet illi, quam ſecundum ſe valeat, aut quam valeat altera tanta in manu alterius, qui non eſt cum ea negotiaturus: qua de cauſa ſi mercatori ſurripiatur, non ſolũ illa, ſed etiam quantum pro lucro ceſſante in ſpe æſtimauerit prudens, reſtituendum erit, ſecundum *D. Thom. 22. q. 62. ar. 4. ad 2.* ergo ſimiliter ſi Octauius negotiator eandem mutuet, pro lucro adempto aliquid exigere poterit à Michaele mutuatario. Confirma-
16 tur, quia ſicut venditor † pro re ſibi magis vtili, quam emptori, ac cæteris, iuſtè accipit ratione maioris vtilitatis venditæ aliquid amplius, quam res emptori valeat, iuxta *D. Thom. 22. q. 77. ar. 1.* communiter receptũ ſecundum *Nauar. comment. de vſuris, n. 54. & Rebellum loc. cit. n. 4.* ſic in prædicta pecunia res ſe ſe habebit: mille enim aurei plus valent mercatori illis ſtatim negotiari volenti, quàm alijs, quibus id faciendi animus non eſt. ergo illud amplius ſine vſura recipere poterit: imò niſi recipiat illud plus, quod ſibi valent mille aurei, dictus Octauius negotiator à mutuatario habebit minus, quam debet habere: quod eſt iniquum, & iniuſtum.

Accedit, quia quod aliquis liberè, & ſponte mutuet, hoc tantum præſtat, vt non mutuet cum iniuria, nec ceſſet ei lucrum cum iniuria, quam fuiſſet paſſus, ſi per vim, aut metum fuiſſet compulſus ad mutuandum. non tamen tollit, quin re vera ceſſet illi lucrum, vel quod pecunia illa, quæ re vera erat expoſita negotiationi, non haberet maiorem valorem, quam alia non expoſita: in quo fundatur ratio *Caietani*.

Et confirmatur, quia idem Sotus fatetur, quod intereſſe lucri

ceſſan-

Digitized by Google

ceſſantis, culpa, & mora non præcedentibus, accipi poteſt ab eo,
15 qui vi aliqua mutuet: at vis † non poteſt vſuram licitam facere, cum illa iure naturali, & diuino prohibita ſit, vt omnes Theologi docent. igitur ob interuentũ vis huiuſmodi intereſſe lucri ceſſantis accipere non licebit; aut quamuis illa non interueniat, licebit.

Confirmatur ſecundo: quia ſi mutuanti per vim, aut coactè, ſeu poſt moram mutuatarij nullum ceſſaret lucrum; nec poſſet illud exigere, nec recipere, ſecundum omnes: quia tunc mutuatio, vel non ſolutio mutui non eſſet cauſa ceſſationis lucri: ergo ratio, & cauſa propter quam poteſt illud recipere, non eſt illa vis, & coactio, ſed ceſſatio lucri, ſiue valor, & vtilitas pecuniæ, qua priuatur, qui compellitur illam mutuare.

18 Ad hæc, lucrum ceſſans, † quod erat in via, & proxima potentia, eſt re vera damnum, etſi non æſtimandum tanto pretio, quanto, cum res actu poſſeſſa iniquè aufertur, vt conſtat ex *D. Thom. 22. q. 62. ar. 4. in corp. & ad 2.* dicente, quòd aliquis damnificatur dupliciter: Vel quia aufertur ei, quod actu habebat, & tale damnum eſt ſemper recompenſandum ſecundum reſtitutionem æqualis: vel quia impeditur, ne adipiſcatur, quando erat in via habendi, & tale damnum non oportet compenſare ex æquo; quia minus eſt habere aliquid virtute, quam habere actu: ſed licet deducere in pactum damnum emergens, vt conſtat. ergo & lucrum ceſſans, quando erat pecunia in proxima potentiæ ad illud, licet minori pretio ad arbitrium prudentis.

Fauent denique huic ſententiæ quæ habentur in *l. at qui naturæ*, §. *non tantum ff. de negotijs geſtis*, & in *l. fin. ff. de eo, quod certo loco*, & in *cap. Nauiganti, de vſuris.* in quibus locis intereſſe, mutuantis, & negotiantis ſatis apertè dicitur illi compenſandum, ac ſine labe vſuræ poſſe illud recipi.

Secunda pars noſtræ reſponſionis, ſcilicet, quòd in ſolutione
19 † huiuſmodi lucri ceſſantis deducendæ ſint impenſæ, labores, & pericula, nonnullæq. aliæ conditiones ſeruari debeant, probatur.

Et quidem de impenſis à ſumma lucri ceſſantis deducendis, omnes conueniunt: Illæ enim non ſunt Octauio mutuatori ſublatæ, ſed penes ipſum manent.

Pro

Pro laboribus, & periculis, (quicquid dicat *Sotus loc.cit.*) aliquid detrahendum eſſe de lucri æſtimatione, etiam communiter Doctores aſſerunt. Ratio eſt: Quia Octauius niſi mutuaſſet, ſed negotium exercuiſſet, oportuiſſet eum labores iſtos, & pericula ſubire, quibus carere pretio æſtimabile eſt, & recipere quod pretio æſtimabile eſt ex vi mutui, vſurarium. Non tamen deducendi ſunt dicti labores cum rigore, iuxta ſententiam *Victoriæ, & Salonis*, ſed in aliqua parte iuſta, & moderata ad arbitrium periti, & prudentis viri in arte mercaturæ.

Requiritur etiam alia conditio, ſcilicet quòd mutuatio ſit cau-
20 ſa amiſſionis lucri, id eſt vt reuera † lucrum ratione mutui ceſſet, ita vt niſi mutuatio fieret, lucrum veriſimiliter ſubſecutum fuiſſet, vel ſaltem ſubſecuturum re vera crederetur. Quare ſi mutuans habet aliam pecuniam ocioſam in arca, qua negotiari poſſit, non valet pro pecunia mutuata, qua negotiaturus erat, accipere lucrum ceſſans, niſi illam ad alios fines, veluti ad fortuitas neceſſitates deſtinauerit, quod opus prudentiæ eſt.

21 Tertio requiritur, vt lucrum † habeatur in ſpe certa, ſiue probabili: nam ſi re vera nulla ſpes eſt habendi, lucrum non ceſſat propter mutuum, vt oſtendit apertè Salon loco citato condit. 4.

22 Demum requiritur, vt æſtimatum pretium † lucri ceſſantis non ſoluatur ſtatim cum mutuum recipitur. Tum quia ex huiuſmodi ſolutione lucrum ceſſans imminueretur, vnde plus iuſto pro lucro ceſſante reciperetur, quod ſi non vſuram, ſaltem iniuſtitiam continet; vt exemplo declarat *Rebellus condit.* 3. Tum quia huiuſmodi ſolutiones anticipatæ videntur ſapere vſuram manifeſtam, vt notat *Azor. loc. cit.* quia perinde eſſet, ac ſi Octauius nongentos, & quinquanginta aureos Michaeli mutuaret, vt poſtea ſibi redderentur mille, ſi mutuaret mille, & ſtatim reciperet pro lucro ceſſante quinquaginta. Tum quia fieret iniuſtitia mutuatario: quoniam mutuo petit mille, & tamen ipſi ſolum dantur nongenti quinquaginta, retinente ſibi quinquaginta mutuante.

Adhibentur à Conrado, Sylu. & alijs nonnullæ aliæ conditiones, vt lucrum ceſſans rectè exigatur, quæ vel neceſſariæ profectò non ſunt, vel continentur in his.

23 Modi

23 Modi verò † deducendi in pactum ab initio mutuationis, vt ſoluatur lucrum ceſſans in fine mutui, duo ſunt præcipui. Primus eſt, vt tantum ſoluatur, quantum iudicauerit vir bonus, & prudens: vt ſi dicat Octauius mutuans Michaeli mutuatario, dabis mihi ratione lucri, quod mihi ceſſat ex hoc, quod tibi mutuo, quantum iudicauerit Ioannes. Secundus, vt certum quid ſoluatur, prout plus, minuſue iudicatur fore lucrum ceſſans, ſpectatis circumſtantijs à prudente æſtimatore. De his diffuſius agit *Rebellus*, *loc. cit. q.6.* & *Azor. q.1. dub.1.*

Reliquum nunc eſt argumenta à principio allata diluere, quæ huic noſtræ reſolutioni aduerſari videntur.

Ad auctoritatē *D.Thom.* reſpondetur, illum non negare, ſi rectè intelligatur, poſſe exigi lucrum ceſſans, quando pecunia eſt in proxima potentia ad lucrum, cum illud apertè doceat *q.62. ar.4.*
24 ſed conſtituere ſolum ibi in ſolutione ad primum diſcrimen † inter damnum emergens, & lucrum ceſſans, ita vt damnum emergens poſſit exigi in integrum; quia patiens illud expoliatur re, quam actu habebat; lucrum vero ceſſans non poſſit ita exigi, ideſt in integrum: quia eſto ſit in proxima potentia, incertum tamen eſt, & poteſt multis vijs impediri. Neque obſtat, cum dicit de mutuante, quòd recompenſationem damni ex eo, quod de pecunia non lucratur, non poteſt in pactum deducere: quia recom-
25 penſatio propriè accepta † apud D.Thom. & alios DD. & reſtitutio differunt: Nam reſtitutio eſt ſatisfactio debiti ſiue in totum, & ad æqualitatem, ſiue in partem: recompenſatio verò eſt ſatiſfactio in integrum, & æqualiter: Et quia lucrum ceſſans non eſt reſtituendum in integrum, ſicut damnum emergens, ſed ad arbitrium prudentis, ideo D. Thom. dicit recompenſationem lucri ceſſantis non poſſe deduci in pactum. Et ad rationem primam formatam ex verbis D.Thom. cum dicitur in maiori propoſitione, nullus poteſt vendere, quod non dum habet, dico verum eſſe, ſi non habet neque in actu, neque in potentia proxima. Modo licet Octauius non habeat lucrum illud pecuniæ in actu, habet tamen in ſpe certa, ſiue probabili, & in potentia maximè proxima: & quod quis ſic habet, bene poteſt vendere, licet non pro tanto pretio,

tio, quantum in actu valeret. Et ad id quod dicitur de lucro incerto, dico, quod hæc incertitudo efficit, ne poſſit lucrum ceſſans deduci in pactum in integrum, ſicut damnum emergens, non tamen ne poſſit aliqua ratione duci in pactum ad arbitrium prudentis. ſicut iactus retis, licèt incertus ſit, eſt nihilominus reſtituendum lucrum, quod ex illo haberi poteſt, ab eo, qui illum impediret.

Ad ſecundum negatur antecedens, ſcilicet quod nulla lex ciuilis, aut canonica permittat lucrum ceſſans deduci in pactum, &c. quia cum idem iudicium ſit de lucro ceſſante, & de damno
26 emergente quantum ad hoc, † leges determinantes damnum emergens accipi poſſe pro mutuo, conſequenter determinant de lucro ceſſante. Agitur autem de damno emergente in iure canonico *cap. Nauiganti, de vſuris*, & in iure ciuili, præcipuè, *ff. de eo, quod certo loco, l. 3. §. fin.* & ideo Iudices in foro exteriori non ſolum præcipiunt ſolui damnum emergens, verum etiam & lucrum ceſſans.

Ad dictum Iuriſconſulti *l. cum quidem*, Reſpondetur cum *Salone* non negare ibi Iuriſconſultum, quin ab initio mutui, vel contractus poſſint contrahentes inter ſe paciſci, & conuenire de in-
27 tereſſe damni emergentis, vel lucri ceſſantis: ſed illud † tantum aſſerere, quod vbi debitor fuerit in mora, propter quam creditor patitur aliquas vſuras, ideſt aliquod intereſſe vel damni emergentis, vel lucri ceſſantis (huiuſmodi enim nocumenta vocat ibi vſuras) debere Iudicem debitorem illum moroſum ad vſuras illas, ideſt ad nocumenta illa compenſanda compellere, vt qui mora, & culpa ſua alteri nocuit, nocumenta illa reſarciat; cuius oppoſitum nos minimè docemus. Quare negatur, quod non poſſit aliquid recipi pro intereſſe lucri ceſſantis, niſi quando mutuatarius
28 eſt in mora ſolutionis: cum pecunia † non ſit minoris vtilitatis ante moram, quam poſt moram cæteris paribus.

Ad tertium dico, quod in illa maiori propoſitione, debet addi, ſolum vt argumentum ſit bonum. qua particula addita, negatur, quod tunc ſolum alicui lucrum ceſſare dicitur, quando ipſe ab eo inuoluntarie cohibetur, & impeditur, nempe vi, aut

metu

metu impeditur a lucro: quia etiam impeditur, quando volens, ex beneuolentia,& charitate, aut precibus ad inſtantiam alterius ceſſat à lucri acquiſitione,præſertim cum mutuans non vult ceſſare, niſi mutuatarius ea lege accipiat pecunias, vt ſoluat lucrum, quod eius intuitu perdit.

Ad confirmationem reſpondetur, quod ſi mutuator vltro of-
29 ferat pecuniam ſuam mutuatario † ob proprium commodum, & non in vtilitatem mutuatarij, nihil poteſt accipere vltra ſortem:& hoc dicunt Doctores. At ſi offerat illam mutuatario patienti neceſſitatem ex beneuolentia, & charitate, non negant quin poſſit ducere in pactum lucrum ceſſans: nam etiam quando quis ſponte a lucro ceſſat, vt alteri mutuet, ceſſatio illa pretio æſtimabilis, ac compenſabilis eſt.

Ad ſecundam confirmationem conceſſo antecedente, negatur
30 conſequentia: multum enim differt † mutuare in propriam vtilitatem, & mutuare in vtilitatem accipientis pecuniam: Nam quando quis hoc ſecundo modo mutuat, mutuatarius eſt cauſa moralis illius lucri ceſſantis,& propterea poteſt ab ipſo exigi: cum nemo teneatur alteri prodeſſe, ſuo incommodo: quando vero priori modo mutuat,tunc mutuatarius,etiamſi mutuum illud ipſi vtile ſit, re vera tamen non eſt cauſa illius ceſſationis lucri, ſed ipſemet mutuans, qui ſuæ volens conſulere vtilitati extrahit pecuniam illam à negotijs, & mutuo dat, ac propterea non poteſt lucrum aliquod, quamuis illi ceſſet, tunc exigere. Ad primam probationem conſequentiæ concedo parum facere ad rationem mutui mutuate ob propriam vtilitatem, vel alienam, plurimum tamen facere, ſit ne mutuatarius cauſa moralis lucri ceſſantis,vel non: quia ſi illius cauſa ſit, iuſtè ab illo exigitur, ſin minus, iniu-
31 ſtè exigeretur: eſt autem cauſa moralis illius, † quando in eius vtilitatem deſinit mutuans negotiari, ſicut inſtituebat. Ad ſecundam, dico in hoc caſu mutuantem non vendere mutuatario commodum illius, ſed lucrum ſibi ceſſans, quod pretio æſtimabile eſt, & vendibile eo modo, quo diximus.

32 Demum admonemus, de conſilio tamen, quando † non magna neceſſitas mutuatarij interuenerit, huiuſmodi contractus,

quibus

quibus aliquid vltra ſortem pro lucro ceſſante exigitur, regulariter diſſuadendos, propter latentes contrahentium fraudes; quemadmodum quoſdam alios alioquin iuſtos eadem de cauſa diſſuaſit A*lex. III. cap. in ciuitate, de vſuris:* quamuis, ſi adſint conditiones ſuperius tactæ, & explicatæ, iuſtiſſimi ſint.

SVMMARIVM.

1 *Qui multis hinc retro annis falſo aliquem infamauit, nunc debet retractare dictum ſuum apud quos eius famam læſit.*

2 D*ifficile eſt certo ſcire infamiam per obliuionem ſepultam eſſe, cum quod quis vno die non meminit, altero recordetur, & n.6.*

3 T*anto firmius interdum delictum de aliquo credimus, quanto quis poſt tot annos, & poſt tam frequentem* Confe*ſſionem, &* Com*munionem, detractionem, quam fecit, non curat reuocare.*

4 *Qui adoleſcens falſo apud alios adoleſcentes iactauit ſe cum tali puella rem habuiſſe, poſtea ſenex recordatus illius damni illati, tenetur apud eoſdem mendacium reuocare.*

5 *Modus, quo optime, & commode hæc reſtitutio famæ facienda ſit poſt multum tempus.*

7 *Reuocare in aliorum memoriam præſertim in genere delictum fratris, quod forſan iam exciderat, cum retractatione ſui, dicendo ſe falſum dixiſſe, non eſt lædere denuo famam, imò reſtituere & conſulere bonori ipſius.*

CASVS LXIV.

PAMPHILVS multis hinc retro annis infamauit Neſtorem, imponendo ei delictum falſum, quod ex diuturnitate temporis iam omnino creditur obliuioni traditum. *Quæritur, an Pamphilus nunc teneatur ad famam Neſtori reſtituendam.*

Circa hunc caſum exiſtimant nonnulli Pamphilum nunc amplius ad reſtituendam famam Neſtori non teneri, his fortè argumentis adducti.

Tum quia ceſſante damno ceſſat & vinculum reſtitutionis: at ſi qui audierunt, ſunt iam omnino obliti, ceſſauit iam omne damnum, & infamia Neſtoris apud illos. ergo ceſſauit & vinculum reſtituendi famam.

Tum quia vna ex conditionibus requiſitis, vt quis ad reſtituendam famam teneatur, eſt, vt illa ſit læſa: in hoc autem caſu per obliuionem illorum, qui audierunt, deſinit iam fama eſſe læſa. ergo deſinit & obligatio reſtituendi eam.

Tum quia retractare ſeipſum in hoc caſu, eſt reducere in memoriam aliorum, fratris crimen, cuius iam erant omnino obliti, & conſequenter non eſt vulnus ſanare, ſed refricare, non famam reſtituere, ſed infamiam reuocare. non igitur facienda eſt talis reſtitutio, nec conſulenda. ita ſentit *Sylu. verbo detractio q.4.* tribuitur etiam hæc opinio à *Nauarro*, & *Salone loc. infra citandis S.Antonino 2.par. tit.2.par.2. §.3.* ſed re vera ibi *D.Anton.* non tractat hunc caſum. Cui reſolutoriè reſpondemus partem affirmantem probabiliorem, ac ſecuriorem eſſe, quam docet *Caietanus 22.q. 62.ar. 2.ad 2. Aragon ibidem, & Salon controu. 17. Nau. in Man. cap. 18. n.47. & Rebellus par. 1. de obligat. iuſt. lib.4. q.13. n.6. & 7.* nempe Pamphilum, qui ab hinc multis an-
1 nis † Neſtorem falsò infamauit, nunc debere retractare dictum ſuum apud quos eius famam læſit, crimen falſum ei imponendo. Probatur hæc ſententia his rationibus.

Tum quia moraliter loquendo, difficile eſt certo ſcire, illos, apud quos Pamphilus Neſtorem infamauit, crimen illud, quod audierunt, omnino obliuioni tradidiſſe; cum quod quis vno die
2 non † meminit, altero die recordetur. poſſunt ergo illi, qui tale crimen audierunt, licet in præſens ſint obliti, in poſterum facile recordari, & tunc male de illo iudicabunt. vt igitur huic malo occurratur, retractandum eſt dictum, & fama reſtituenda.

3 Tum quia interdum tanto firmius credimus, † quanto quis, poſt tot annos, & poſt tam frequentem confeſſionem, & commu-

nionem, detractionem, quam fecit, non curat reuocare, vnde damnum, quod iniquè intulit, non omnino ceſſat. igitur illi ſuccurrere, ac mederi tenetur; quod præſtare non valet, niſi retractando ſe ipſum.

Tum denique, quia ſingulariter *Caietanus loc.cit.* cui ſubſcri-
4 bit *Nauarrus*, determinauit, eum, qui adoleſcens † falſo apud alios adoleſcentes iactauit ſe cum tali puella rem habuiſſe,& poſtea ſenex illius peccati, & damni, quod proximo intulit, recordatus eſt, apud eoſdem mendacium reuocare teneri; cum per mendacium, puellæ famam abſtulerit. ergo ſimiliter Pamphilus.

5 Sed quomodo hæc reſtitutio † facienda ſit, quando infamia iam oblita exiſtimatur, non tamen certo ſcitur, cum regulariter de tali obliuione conſtare non poſſit: optimè docent *Nauarrus* & *Salon locis citatis*, ſic fieri debere, vt Pamphilus infamator quærat ab eis, apud quos crimen falſsò Neſtori impoſuit; num alicuius delicti, quod ipſis de Neſtore dixerit, recordentur. quod ſi reſponderint negatiuè, addet hæc verba; ſi quando aliquod delictum à me de illo audiſtis, obſecro ne credatis, quia falſum vobis dixi; etſi opus ſit, iuret, ſe nihil vnquam tale in eo notaſſe, nihil particulariter exprimendo: hac enim via non reuocatur in memoriam delictum fratris, quod iam erat obliuioni traditum, ſed conſulitur ipſius honori, ac famæ.

Neque huic reſolutioni officiunt argumenta in contrarium allata. Nam ad primum cum dicitur, ceſſante damno ceſſat & vinculum reſtitutionis; Reſpondetur eſto verum ſit, ſi ceſſat omnino damnum, negatur tamen quod in caſu, qui audierunt ſint omnino obliti criminis, quod Pamphilus Neſtori apud eos falſo impo-
6 ſuit: quia etſi in præſens † non recordantur actu, recordantur tamen virtute, cum facile poſſint recordari; quare non ceſſauit apud illos damnum, & infamia proximi.

Ad ſecundum negatur propoſitio minor, ſcilicet quod in caſu deſinat iam eſſe fama læſa omnino per obliuionem aliorum, qui audierunt: quia licet poſita tali hypotheſi, non ſit læſa actu, eſt tamen læſa in habitu, & virtute, cum quod vno die quis non recordatur, atero die reminiſcatur.

Ad

Ad tertium dicendum, quod reuocare in memoriam aliorum delictum fratris, quod forſan iam exciderat, abſolutè, & ſimpliciter, eſt lædere de nouo famam; at reuocare in memoriam
7 † idem delictum, dicendo ſe falſum dixiſſe, non eſt renouare infamiam, ſed reſtituere famam, & conſulere honori ipſius, vt ſi quæ mala opinio de illo haberetur, aut interim in mentem eorum veniret, ceſſet omnino. Dicimus etiam, quod non eſt neceſſe reuocare in memoriam, ſi ſint obliti, vel exiſtimentur obliti, delictum illud falſo impoſitum proximo in particulari; ſed ſufficit in genere modo, quem ſupra tetigimus.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt ſibi caſus reſeruare.*

2 *Reſeruare Epiſcopum ſibi caſus, eſt auferre, ſeu non concedere Sacerdotibus inferioribus iuriſdictionem abſoluendi ab aliquibus peccatis, licet concedat circa alia.*

3 *Opiniones variæ de eo, quod agere debet confeſſor, qui pænitentem bona fide confeſſum abſoluit inualidè.*

4 *Abſolutio ſacramentalis in nullo prorſus caſu poteſt dari perſonæ abſenti: requirit enim huius ſacramenti forma præſentiam ex vi ſuæ ſignificationis: ſicut & conſecratio corporis* Chriſti *panem præſentem. num. 5.*

6 *Neque etiam talis abſolutio poteſt ferri in pænitentem, quamuis corporaliter præſentem non conſentientem in eam, & ignorantem omnino quid circa illum agatur.*

7 *Ius diuinum præcipit vnicuique peccatori Chriſtiano, vt præuia confeſſione a* Sacerdote *curet verè abſolui.*

8 *Tenetur confeſſor, qui inualidè abſoluit, certiorem facere pænitentem illius defectus, quando nullum ſequitur ſcandalum, ſiue graue damnum: tunc enim monitio confeſſoris prodeſſe poteſt, & non affert alicui nocumentum.*

9 *Si ſequatur ipſi confeſſario, vel alteri graue damnum in vita, vel infama, vel in re familiari, non tenetur certum facere pænitentem; ſed illum in bona fide relinquere.*

Digitized by Google

10 *Remedium, quod adhibere poteſt Confeſſarius, cum abſque facultate abſoluit pœnitentem à peccato reſeruato.*

11 *Si quis baptizaret, vel promoueret aliquem ad ſacerdotium ſine intentione baptizandi, vel ordinandi, nullum damnum excuſaret, quin ille certior fieret, quia inde mille ſequerentur incommoda, & damna.*

CASVS LXV.

CONFESSARIVS quidam obtinuit in Quadrageſima facultatem abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis, ad tempus, nempe vſq. ad Dominicam in Albis incluſiuè: quo tempore elapſo contigit, vt audita confeſſione cuiuſdam pœnitentis habentis caſum reſeruatum, eum ex inaduertentia abſoluerit ab omnibus: & cum talis abſolutio à reſeruatis ſit inualida, *Quæritur, quid confeſſarius in hoc caſu facere debeat.*

Duo in præſenti caſu ſunt certa, & vnum eſt dubium: Certum
1 enim eſt: Primo Epiſcopum † ſibi caſus reſeruare poſſe, hoc eſt
2 auferre, ſeu non concedere † Sacerdotibus inferioribus iuriſdictionem abſoluendi ab aliquibus peccatis, quamuis circa alia concedat. quod conſtat ex communi vſu Eccleſiæ, & ex *can. ſi Epiſcopus, de pœnitentijs, & remiſſ. in 6.* necnon ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & congruentiæ aſsignari poſſunt huiuſmodi reſeruationis, tum vt grauiora peccata grauiori iudicio ſubdantur. Tum præſertim, vt acriori metu correpti homines ab huiuſmodi ſceleribus arceantur, & corrigantur.

Secundo certum eſt abſolutionem à reſeruatis factam à præfato confeſſario, licet ex inaduertentia, eſſe inualidam. quod etiam patet: Quia ad abſoluendum à peccatis requiritur iuriſdictio, quam cum haberet præfatus confeſſor delegatam ad præfixum tempus circa reſeruata, illo finito, ipſo facto ceſſauit: quia gratia, & facultas

& facultas non excedit voluntatem concedentis, nec voluntas operatur amplius, quam per verba explicetur. Si igitur conceſſio tantum fit vſque ad tale tempus, illo finito extinguitur, nec vltra protenditur: abſoluit itaque præfatus confeſſarius à reſeruatis abſque iuriſdictione debita, & conſequenter inualidè. Id verò dubium eſt, quid in hoc caſu confeſſor agere debeat, an teneatur pænitentem illum bona fide confeſſum, & inualidè abſolutum admonere de defectu illo, vt legitimam, & validam quærat abſolutionem, an aliquod aliud remedium adhibere poſſit.

Ferunt caſum hunc diſputatum fuiſſe in *Concilio Baſileenſi*, ſed ibidem ob varia Doctorum iudicia non fuiſſe deciſum. Sunt
3 igitur tres † præcipui modi reſpondendi.

Primùs eſt aſſerentium poſſe interdum confeſſarium ſupplere defectum per ſe ipſum, nihil dicendo pænitenti: poteſt enim licentiam à Superiore obtinere illum abſoluendi, & abſoluere eum abſentem, quando ille in gratia eſſe videbitur, vt dicit Nau. ſeu vt dicunt alij, ſi ab vltima confeſſione adhuc creditur perſeuerare in gratia, maximè quando eius præſentia haberi non poteſt, vel timetur ſcandalum, ſi illum certiorem faciat de defectu. Ita ſentiunt *D. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 12. Sylu. ver. Confeſſor. 3. in princ. & confeſſor 4. §. 6. Nau. in* Manuali *cap. 26. n. 14. & Thom. Zerola Epiſcopus* Minorenſis *in praxi Sacramenti pænitent. cap. 24. q. 26.* & huic aſſertioni fauent *Armilla ver. confeſſio, n. 23. Tabien. ver. confeſſio, 2. n. 4.* & multi alij relati à *Suarez tom. 4. in 3. par.* D. *Thom. diſp. 19. ſect.* 3. opinantes abſolutionem Sacramentalem poſſe dari perſonæ abſenti.

Verum hoc remedium nullo modo probandum eſt, neque in praxi applicandum, cum iam declarauerit ſummus Pont. *Clemens*
4 *VIII. anno 1603. die 19. Iulij* † abſolutionem ſacramentalem non poſſe in abſentem conferri in vllo prorſus caſu. Ratio eſt in promptu; quia hæc forma Sacramenti pænitentiæ, *Ego te abſoluo*, quam habemus vt eſſentialem ex vſu Eccleſiæ & expreſſa definitione Conciliorum, requirit præſentiam ex vi ſuæ ſignificationis: Nam hæc particula (*Te*) voce prolata natura ſua dirigitur, & ordinatur ad perſonam præſentem: ergo ſignum eſt hanc præſen-

tiam

tiam eſſe de neceſſitate Sacramenti. Simili enim argumento do-
5 cent Theologi † Sacerdotem non poſſe conſecrare panem abſen-
tem: quia illud ſignum (hoc) in forma contentum ex vi ſuæ ſi-
gnificationis indicat rem præſentem.

Secundo, licet demus pænitentem eſſe corporaliter præſentem,
6 non poteſt † abſolutio ferri in ignorantem omnino quid circa il-
lum agatur, nec formaliter, nec virtute conſentientem in præſen-
ti abſolutione: quia valor Sacramenti non tantum pendet ex in-
tentione dantis, ſed etiam ex voluntate recipientis. In dicto autem
caſu voluntas hæc non interuenit; nã quamuis pænitens petierit,
& voluerit priorem abſolutionem, non tamen hanc poſteriorem,
de qua nihil cogitauit.

Secundus modus reſpondendi eſt *Io. Medinæ C. de confeſſ. q.* 31.
qui affirmat in eo caſu confeſſorem teneri ad ponendum poſteà
pænitentem defectus illius; quod etiam ſentit *Sotus 4. ſent. diſt.* 18.
q.4. ar.6. & Corduba in ſumma q.7. & idem *Nau. cap. 1. de pæni-
tentia diſt.6.n.6. & Sylu. ver. confeſſor. 3. in principio.*

Probatur à *Medina* hac ratione: Quia quamuis pænitens ille
per bonam fidem excuſetur, ne legitimam teneatur quærere ab-
ſolutionem; tamen non deſinit diuinum ius in re ipſa violari, quod
7 præcipit † vnicuique peccatori Chriſtiano, vt præuia confeſſione
à Sacerdote curet verè abſolui: quod pænitens ob ignorantiam
minimè curabit. Hæc autem diuini iuris violatio, & tranſgreſſio,
cum alicui eorum ſit imputanda, Sacerdoti imputabitur, qui de-
dit cauſam illius; quia abſoluit, quem non poterat. Sacerdos er-
go, qui nouit defectum, tenetur certiorem illius facere pæniten-
tem, ne huiuſmodi iuris diuini violatio, & trangreſſio continuetur.

Confirmatur ab eodem Med. hæc ratio exemplo Sacerdotis
baptizantis aliquem ſine intentione verè baptizandi, aut aqua
non naturali, & Epiſcopi promouentis aliquem ad ſacerdotium
non habentis intentionem eum ordinandi; qui tenentur eos ad-
monere propter ſpiritualia incommoda, quæ ſequuntur. ergo ſi-
militer in præſenti caſu. Hæc ſententia vera eſt, per ſe loquendo,
niſi aliquid obſtet, ſiue aliquod graue intercedat incommodum.

Ideo tertius modus reſpondendi, quem amplectimur, eſt, ſi

poteſt

Digitized by Google

8 poteſt fieri ſine ſcandalo,† hoc eſt ſine aliquo graui damno ipſius confeſſoris, aut alterius in vita, vel in fama, vel in honore, vel in re familiari, (quod ſæpius poterit, ſi Sacerdos prudens ſit) tenetur præfatus Confeſſor certiorem facere pœnitentem illius defe-
9 ctus; ſed ſi ſubſequeretur tale damnum, † non teneretur certiorem illum facere, ſed eum in bona fide relinquere.

Prima pars huius reſolutionis, ſcilicet quod tenetur confeſſor admonere, quando ſine graui damno ipſius, & ſine ſcandalo fieri poteſt, probatur ratione *Medinæ*: Nam tunc poteſt prodeſſe monitio Confeſſoris, & non affert nocumentum alicui. ergo ego tenetur eam facere: quia ipſe fuit in cauſa, vt diuinum præceptum non impleretur in re ipſa; igitur tenetur alium admonere, vt in re ipſa impleat. Vbi aduertendum eſt, quòd cum talis confeſſor abſoluere potuerit ab aliquibus, licet non ab omnibus, ſufficiet reconfiteri illa ſolum, à quibus abſoluere non potuit, habenti auctoritatem. ita ſentit *Sylu. ver. confeſſor* 3. *n.*1. *in fine.*

Secunda pars etiam probatur: Quia tota ratio, quare Confeſſarius huiuſmodi defectus certiorem facere teneatur pœnitentem, eſt tantum, vt ille confiteatur integrè ea peccata, quæ deceptus prima confeſſione occaſione confeſſarij prætermiſit; ſed hoc non obligat cum tanto diſpendio, ſicut neque integritas ipſa. ergo non tenetur certiorem illum facere, ac illi incommodo remedium adhibere cum graui ſuæ vitæ, vel famæ, vel honoris detrimento. Hæc eſt ſententia *Suarez tom.* 4. *in* 3. *par. D. Thom. diſput.* 32. *ſect.*6. *&* *Vaſquez tomo* 4. *in eadem parte* D. *Thom. q.* 93. *ar.* 3. *dub.*8. quam etiam recipiunt *D. Anton. Sylu. & Nau. loc. cit.*

10 Medium † autem non ſpernendum, quo huic malo mederi poſſimus in caſu, videtur mihi illud, quod inſinuat D. Anton. & Syluester, ac probat Suarez: ſcilicet, vt procuret Confeſſor, obtenta facultate abſoluendi à reſeruatis, pœnitentem illum iterum ſibi confiteri de peccatis poſt priorem confeſſionem commiſſis; & in ea confeſſione generaliter eum interroget, an de omnibus præcedentibus peccatis doleat; eaque ſi neceſſe ſit, quantum poteſt confiteatur: Nam hoc ſatis eſt, vt noua abſolutio cadat in totam illam ſuperiorem materiam, quæ in illo vno verbo ſufficienter

tunc explicatur huic perſonæ, ſuppoſita diſtincta confeſſione illi facta, quamuis inualida. Quod ſi hoc non ſufficit, quod maximè continget, quando non poteſt induci pænitens, vt eidem Sacerdoti iterum confiteatur; tunc clarius admonendus eſt de priori errore, vt emendetur. Hoc autem intelligendum eſt, vt diximus, quando ſine ſcandalo, & graui incommodo fieri poteſt.

Limitanda eſt igitur ſententia *Medinæ, & Soti* in defectu confeſſionis reſarciẽdo, vt ſatis conſtat, & etiam adnotauit Corduba, Vaſquez, & Suarez: ſecus eſt in illis Sacramentis, quæ in exemplum adducit. Non enim eſt ſimile de Sacramento Baptiſmi, vel
11 Ordinis, & de Sacramento Confeſsionis: quia ſi quis † baptizaret, vel promoueret aliquem ad Sacerdotium ſine intentione baptizandi, vel ordinandi, nullum damnum excuſaret, quin ille certior fieret: quia inde mille ſequerentur incommoda, & damna irreparabilia in non baptizato, & falſo Sacerdote, vt conſtat. Nam ſi baptiſmus non fuit validus, nec cætera Sacramenta erunt valida. Et ſi aliquis æſtimetur Sacerdos, cum non ſit, inualidè cætera Sacramenta miniſtrat: ſecus in confeſſione, vbi tantum defectus eſt non confiteri illa, quæ putat pænitens abſoluta iam eſſe.

Hæc dicta ſint ſalua ſemper meliori ſententia.

FINIS.

INDEX

COPIOSISSIMVS EOERVM, QVÆ IN hoc opere continentur, alphabetico ordine digeſtus.

C. caſum, N. numerum, P. paginam indicat.

Abſolutio eſt actus pruden-tiæ, qui verſatur circa materiam in particulari, & quæ ſit iſta materia. Caſ. 39. *num.* 3. *pag.* 236. & *num.* 13. & 15. *pag.* 241

Abſolui debet, qui confitetur in extremis ſe aliquod mortale commiſiſſe, nec venialis recordatur in particulari. ibidem, nu. 11. *pag.* 240

Abſolutio ſacramentalis in nullo prorſus caſu poteſt dari perſonæ abſenti. c. 61. *n.* 4. *p.* 421. *Neque poteſt fieri in pœnitentem, quamuis corporaliter præſentem non conſentientem in eam, & omnino ignorantem quid circa illum agatur. ibid. n.* 6. *p.* 422

Abundantia mercium, quæ eſt præſens in loco, vel proximè futura, communiter cognita, valorem minuit, & penuria auget. c. 37. *n.* 11. *p.* 226

Abundatia futura ſcientia vnius, vel alterius non imminuit communem æſtimationem, nec pretium mercium. ibid. n. 7. *p.* 224

Accepta, ne ſint obnoxia reſtitutioni, quatuor requiruntur. c. 8. *n.* 12. *p.* 54

Accipiens aliquid, ne ſacrilegium faciat, ne furtum, ne homicidium, vel vt audiat miſſam, tenetur acceptum reſtituere in foro animæ. c. 35. *n.* 2. *p.* 218

Accuſator non quodcunque crimen poteſt in iudicium adducere, ſed tantum quod poteſt probare. c. 40. *n.* 1. *p.* 244

Accuſatus de vero crimine, quod probari non poteſt, non tenetur manifeſtare veritatem ibid. n. 4

Actio redhibitoria, & quanti maioris, quando emptori competant, & quæ ſint. c. 31. *n.* 9. *pag.* 183

Actus agentium non operantur citra intentionem eorum. c. 15. *n.* 5. *p.* 90

Actus purè interni non ſubijciuntur iudicio humano. c. 57. *n.* 7. *p.* 363

Actu voluntatis ſolùm interiori non transfertur rei dominium. ibid. nu. 12. *pag.* 364. & *num.* 21 *p.* 367

Adoleſcens, qui falsò apud alios adoleſcentes iactauit ſe cum tali puella rem habuiſſe, poſtea ſenex recordatus illius damni illati tenetur apud eoſdem mẽdacium reuocare. c. 64. *n.* 4. *p.* 418

Alex. III. in cap. Cum tu, De vſuris, quando præcipit poſſeſſiones vſurarij eſſe vendendas, quomodo intelligatur. c. 2. *n.* 9. *p.* 129. & *n.* 12. *p.* 130

Alienum reſtituendum eſſe vero domino; quomodo intelligatur. c. 2. *n.* 12. *p.* 21

Amicitiam, & beneuolentiam in communi licet mutuo quærere. c. 17. *n.* 6. *p.* 102

Amicitia non recipit obligationem, & debitũ;

Digitized by Google

ſed eſt maximè libera, & ſpontanea. ibid. n.9.p.103

Amici opera, vt nobis placeant, inimici verò diſpliceant, à natura nobis inſitum eſt. c.55. n.6.p.350

An leges concedant emptionem, & venditionem citra dimidium veri pretij tanquam iuſtam, vel ſolum permittant iure fori, non iure poli. c.13.p.77

An liceat, rem carius vendere ementibus pecunia credita, quàm in præſenti valet. c.10.p.62

Anticipatæ ſolutionis cauſa aliquid vilius emere, vſurarium eſt. c.25.n.10.p.145

Approbatus in vno epiſcopatu non eſt vbique approbatus, ſeu idoneus. c 61.n.10.p.394

Auctoritas D. Ambroſii dicentis: in contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi iubentur, &c. quomodo intelligenda ſit. c.31. n.18.pag.186

B

BAptizare ſub conditione non licet, quem quis ſcit domi fuiſſe baptizatum. c.15. n.1.p.89. Solùm permittitur in illis, de quibus dubium eſt. ibid. n.7.p.91. Conditio illa, ſi baptizatus es, non te baptizo, &c. tollit intentionem rebaptizandi hominem baptizatum, & ſuſpendit actum. ibid. n.8. operatur, vt ſic baptizans non incidat in irregularitatem. ibid. n.4.p.90

Beneficentia eſt effectus beneuolentiæ. c.55. n.8.p.350

Bona profectitia filij ad patrem pertinent tam quoad dominium, quam quoad vſumfructum. Limitatur hoc dictum. c.23.n.13. pag.135

Burcardus Epiſcopus refert, varias pœnitentias graues pro leuibus peccatis aſſignatas olim ab Eccleſia. c.30.n.11.p.177

C

CArnis integritas quid ſit. c.18. nu.16. p.108. & n.18. ibid.

Cap. ſicut Epiſcopum. 1 q.2. vbi ait D. Greg. quòd eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione proceſſit, germanus ſenſus. c.51.n.16.p.324

Caſus ſibi ſuperiorem reſeruare quid ſit. c.65. n.2.p.420

Catechiſmus quid ſit. c.12.n.1.p.72. An per illum contrahatur affinitas impediens matrimonium contrahendum, referuntur opiniones, Soti, Emanuelis Sà, & Gloſſæ, ac reijciuntur. ibid. n.2. & 3.p.73.74. & 75 in Catechiſmo fit quædam profeſſio futuri baptiſmi. ibid. n.3.p.75. Contrahitur quidam modus cognationis ſpiritualis impediens matrimonium contrahendum. ibid. non fit puer membrum Chriſti. ibid. n.9.p.76

Cauſa duplex, ſimpliciter cauſa, & conditionalis prima eſt effectrix, non ſecunda. c.54. n.8.p.344

Cauſa inſtrumentaria reducitur ad genus cauſæ efficientis. c.60.n.12.p.382

Cauſæ neceſſaria, ob quam aliquid datur, duplex eſt. c 35.n.1.p.210

Cauſa ſine qua non, poteſt eſſe minus principalis. c.46.n.7.p.286

Cæſares in l. Curabit Præſes, loquuntur de venditione imperfecta. c.1.n.10.p.7

Chriſtus ita nos dilexit, vt expoſuerit vitam pro noſtra ſpirituali ſalute. c.3.n.7.p.26

Circumſtantia peccati quid ſit. c.18. nu.2. pag.106

Circumſtantiæ ad confeſſionis integritatem ſpectantes ſunt neceſſario confitendæ. ibid. n.3. & quæ mutant peccati ſpeciem ex vna in aliam. ibid. n.11.p.107. & c.30. num.1. p.172. & circumſtantia virginitatis in peccato cogitationis, & conſenſus in actum venereum. c.18.n.9.p.106

Circumſtantiæ ſeptem actuum moralium, ſeu peccatorum explicantur. c.18. num.1. pag.105

Circumſtantias peccatum mortale intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantes laudabile eſt, & tutius confiteri. c.30. nu.3. p.173. Non tamen neceſſarium eſt neque propter integritatem confeſſionis, neque ob æquitatem ſatisfactionis, ibid. n.8.p.176 Fuit olim in antiqua Eccleſia, conſuetum earum rationem habere. ibid. n.10.p.177. De circumſtantia quantitatis furti. ibid. n.15.p.179

Circumſtantiam complicis tenetur pœnitens explicare, licet inde ſequatur eius infamatio apud confeſſarium, ſi aliud non ſupereſt remedium. c.36.n.1.p.217

Circumſtantiam neceſſario confitendam, ex obliuione omiſſam poteſt pœnitens confiteri pecca-

peccate non confeſſe.c.50. n.9 p.315

Clerici beneficiati, & alij in ſacris ordinibus conſtituti peccant mortaliter, ſi frequenter alea ludant.c.23.n.3.p.132

Clerico licet ita diſtributiones expetere, vt niſi ei eſſent conferendæ, non iret ad chorum.c.46.n.8.p 286

Clericus occidens inuaſorem, vt ſe, ſuaque bona defendat, non eſt deponendus: explicatur verus ſenſus huius Can. c.45.n.12. pag.282

Coeundi impotentiam quis habere poteſt reſpectu vnius mulieris, nempe virginis, & non reſpectu alterius.c.62.n.1.p.398

Coeundi impotentia perpetua tollit matrimonium.ibid.n.6.p.399

Cognatio ſpiritualis proprie ſumpta contrahitur ſolum per duo Sacramenta, ſcilicet per Baptiſmum, & Confirmationem.c.12. n.5. p.75.& n.8.p.76

Compenſatoria vſura, quæ verè ſint, declaratur.c 1.n.24.& 25.p.11

Complicis reuelatio in confeſſione, quomodo non eſt contra naturale præceptum non infamandi proximum.c.36. n 9 p.219

Conditiones.quæ ad lucrum ceſſans ex mutuo iuſtè accipiendum,requiruntur.c.63.n.19. & ſeqq. p.411

Confeſſio eſt eſſentialiter peccatorum accuſatio. c.27.n.4.p.154

Confeſſio informis quæ vocetur. ibid num.2. pag.153

in Confeſſione informi verè homo abſoluitur à ſacerdote, & conſequenter à Deo, & ſi non quantum ad efficaciam rationi obicis ſaltem quantum, ad ſufficientiam ibid. n.9. p.156. Per eam impletur confeſſionis præceptum.n.14 p.157

Confeſſio, in qua totaliter deficit dolor, & deteſtatio peccati, eſt inualida, & iteranda, ibid.n.3.p.154

Confeſſio exiſtimantis ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum, quamuis verè non ſit, eatenus valida eſt, vt non ſit neceſſario iteranda. ibid.n.5.p.155

Confeſſio potuit ita inſtitui, vt quiſque teneretur confiteri numerum, & ſpecies peccatorum, & non circumſtantias augentes malitias.c.30.n.6.p.175

Confeſſor, qui inualidè abſoluit pœnitentem à peccato reſeruato, quid agere teneatur. c.65.n.10.p.423.quando nullum ſequitur ſcandalum, certiorem facere debet pœnitentem. ibid.n.8

Confeſſarius abſolutionem pœnitenti non debet negare in caſu dubij.c.39. n 16.p.242

Confeſſarius, quid conſulere debeat viro, qui pollicitus eſt mulieri pecuniam, poſt obtentam copulam.c.8.n.19.p.57

Confeſſarius iuſtè reo abſolutionem negat, ſi nolit retractare dictum ſuum, veritatemque fateri iudici iuridicè interroganti. c 48.n.6.p.302.Non fit irregularis, ſi reus morte plectatur, quia verum crimen, illius ſuaſione aperuit. ibid. & n.8.& 9.p.303. Caueat, ne reo vitam, aut animam perdere faciat.ibid.n.14.p. 304

Confeſſarij diligentes eſſe debent in examinandis intentionibus mutuatorum pœnitentiũ. c.46.n.18. p.290

Confitenda ſunt peccata in ſpecie, vt eorum agnoſcatur grauitas, & ſtatus peccatoris. c.50.n.12.p.316

Confiteri per interpretem nemo tenetur, eſt tamen licitum.c.36.n.10.& 11.p.220

Confirmatio quid ſit.c.12. n.2.p.73

Conſenſus puellæ in violationem non tollit, quin corrumpatur integritas carnis. c.18. n.18.p.108

Conſulere alteri non licet, quod ipſe non poteſt bene facere, verum eſt abſolutè, ſed conditionaliter licet, ad vitandum maius dãnum.c.54.n.11.p.345

Conſulens, vt fiat minus malum vni, ad vitandum maius ab altero, peccat, & ad reſtitutionem tenetur. ibid.n.4.p.342

Conſulere minus malum, ſeu damnum ad euitandum maius, quod aliquis paratus eſt omnino perpetrare, licitum eſt. ibid. n.3.p. 342. Quia non tam eſt conſulere malum, quàm auocare à malo maiori. ibid. n.6.p.343. Nec eſt idem quod facere, ſi conſulat conditionaliter; eſſet tamen idem, ſi conſuleret abſolutè. ibid.n.10.p.345

Conſulendum eſt ſubimet potius, quam alteri in pari caſu innocentia. c.2.nu.6. p.18. & n.8 p 19.& n.14.p.22

Conſulendum quid ei, qui in peccato mortali teſtamentum fecit ad pias cauſas.c.55. n.19.p.354

Contractus eſt vltro, citroque obligatio.c.28. n. 9.p.162

Contractus emptionis, & venditionis quando abſoluitur, & perficitur. ibid. num.15. p. 164. pertinet ad iuſtitiam commutatiuam.c.1.num.19.p.8.tenet, in quo non ſit deceptio vltra dimidium. c.13.nu.1 p.77. Neutra pars in eo debet ab alia grauari. ibid.n.6.p.80

Contractus, qui dicitur ſtocholus, in quo rem carius venditam ad creditum idem mercator vilius ſtatim emit pecunia numerata, etſi pretio iuſto, fugiendus eſt ratione ſcandali, & ſuſpecta iniquitatis.c.14.n.2. p.84. Reddi tamen poteſt iuſtus nonnullis conditionibus ſeruatis.nu.4.& 7.p.85.& n.8.& 9.p.86. quomodo ſcandalum ex eo tolli poteſt.ibid.n.12.p.87

Contractus, quibus aliquid vltra ſortem pro lucro ceſſante exigitur, de conſilio diſſuadendi regulariter ſunt.c.63.nu.32.p.415

in Contractu, in quo debitum certo ſuo tempore ſoluendum eſt abſque impenſis, labore, & moleſtia, ſi minoris emitur, eſt mutuũ, & vſura, non formaliter, ſed virtualiter. c.25.n.13.p.146

Contra reuerentiam Baptiſmo ſuſcepto debitam eſt illum reiterare etiam ſub conditione.c.15.n.2.& 3.p.89

Contritio vt eſt actus virtutis, non poteſt eſſe informis, ſed bene vt eſt pars ſacramenti. c.27.n.12.p.157

in Concilio Florentino ſolum determinatur in genere, quod contritio eſt pars ſacramenti pœnitentiæ.ibid.n.13.p.157

Cooperatores in vſura qui teneantur ad reſtitutionem. c.60.n.6.p.385.& n.7.& 8. pag.386

Copia emptorum augens rei pretiũ [illegible] n.10.p.66

Creditor, qui vt terminum ſolutionis faciendæ differat, accipit aliquid, peccat. c.10. n.7.p.65

Credito vendenti ad lucrum ceſſans requiritur, vt habeat actu paratum alium emptorem reddentem ei totum pretium in numerato.c.1.n.9.p.6

Crimen publicum in vno loco commiſſum non eſt peccatum mortale referre in alio, quo probabiliter, & moraliter infamia cito eſt peruentura. c.58.n.7.p.372

Crimen eius, qui infamiam contraxit per euidentiam facti, euulgare alibi, vbi bene viuendo famam ſuam recuperauit, peccatum mortale eſt.ibid.n.10.p.373

An ſit idem, quando quis in iudicio factus eſt infamis, & poſtea bene viuendo alibi bonam habet exiſtimationẽ.ibid.n.15.p.374

Cui licet velle finem, licet etiam velle omnia media honeſta, & neceſſaria ad illum conducentia.c.43.n.9.p.269

Cuſtodiam ſuarum pecuniarum ſecuriorem intendere licet, non tamen cum alterius damno.c.6.ſub n.14.p.388

D

Damnum alteri dare idẽ eſt, quod quippiam ei auferre.c.5.n.9.p.36.

Damnum emergens quid ſit.ibid.n.1.p.34

Damnum illatum in corpore, vel membris, quando non poteſt refici in eodem genere, reficiendum eſt in pecunijs.c.52.n.10.p.329

Damnum, quod nullo modo eſt volitum, non eſt reſtituendum.c.20.n.6.p.119

Dans ob maleficium dimittendum non ſolum habet ius repetendi, ſed etiam ius ad rem, retinetque dominium.c.4.nu.18.p.33.& n.10.p.3

Datio, & acceptio illicita, ſeu turpis tribus modis contingere poteſt.c.4. n.1 p.29

Damnatus, pro venialibus perpetuo punietur.c.55.n.17.p.354

Debita in futurum ſoluenda vocantur à doctoribus paga acerba. & quare.c.25. n.1. p.142. Si earum ſolutio eſt difficilis, & incerta, poſſunt ante terminum, arbitrio boni viri minoris emi. ibid.n.2.non autem ſi ſint certò ſuo tempore ſoluenda abſque impenſis, labore, & moleſtia. ibid.num.8. pag.144

Debitor moroſus eſt in culpa nõ reddens, quod tenetur reddere, & ſic æquiparatur furi. c.43.n.12.p.269

Debitor non tenetur ad offerendum vltra pœnam conuentionalem incurſam. c. 43. n.18.p.271

Debitor, qui eſt in mora, tenetur ratione moræ ſoluere intereſſe.c.5.n.7.p.36. Tunc eſt in mora, quando adueniente tempore ſibi conceſſo non ſoluit. c.1.n.6.p.4

Debitor reſtituens creditori ſui creditoris, eſt liber à reſtitutione in foro animæ, etiam ſi reſtituat inſcio ſuo creditore. c.49. n. 2. p.307.

p.307. & n.11.p.310. Facit id, quod ſuus creditor facere debuiſſet, remq. eius vtiliter gerit. ibid.n.3. p.308. & n.4. Poſſent ita inter ſe conuenire, & paciſci debitor, & creditor crediteris debitoris, vt ipſe debitor decem aureos daret huic vltimo creditori pro decem, qui ei debentur à ſuo creditore, ibid.n.8.p.309

Debiti matrimonialis negatio non eſt praeceptum, ſed conceſſio in fauorem innocentis. c.24.n.9.p.139

Deceptio, qua aliquis à ſeipſo decipitur ſine culpa, & mendacio dicentis, quando alteri vtilis eſt, ipſi verò decepto nullum infert incommodum, moraliter eſt bona, & deſiderari poteſt. c.47.n.17.p.297

Defendendi res ſuas vnuſquiſque ius habet. c.45.n.3.p.279

Definitio trãſlationis dominij.c.57.n.3.p.362

Defloratio puellæ ſub cura patris exiſtentis, & adulterium, paria videntur, quantum ad caſum homicidij. c.42.n.13.p.260

Deflorator puellæ prabet cauſam patri occidendi filiam ad vindicandam ignominiam illam. ibid.n.10. intendendo actum deflorationis per ſe, intendit, & vult homicidium per accidens, & indirectè. ibid. n.16 p.261

Delictum de aliquo, tanto firmius interdum credimus, quanto quis poſt tot annos, & confeſſiones non curat detractionem, quam fecit reuocare. c.64.n.3.p.417

De peccatis non factis, ſed perpetrandis confeſſis, an cadant ſub ſigillo, opinio Alex. Alenſis.c.56.n.1.p.356

Depoſitarius poteſt rem apud ſe depoſitam, quam deinde cognoſcat eſſe furtiuam, reſtituere latroni deponenti.c.2. n.8.p.19

in Depoſito fidelitas tanta ſeruanda eſt, vt ex tacita conditione nec compenſationem admittat: in reliquis vero debitis realibus eiuſdem rationis licita eſt compenſatio. c.49.n.10.p.310

Detractio proximi duplex, formalis, & materialis, & quæ vtraque.c.36.n.3.p.217

Detractor tenetur etiam ad reſtitutionẽ dãni temporalis, ſi quod cauſa illius iniuria paſſus eſt infamatus.c.45.n.19.p.298

Deus celat peccata remiſſa, & ſacerdos confeſſa, ſed non tantum remiſſa.c.56. n.10. p.360

Differentia eſt non parua inter pœnam & intereſſe; & ſolutionem pœnæ, & ſolutionem intereſſe. c.43.n.16.p.270

Differentia inter reſtitutionem, & recompenſationem. c.63.n.25.p.413

Differentia inter confiſcationem bonorum, & pœnam pecuniariam. c.11.n.2.p.69

Differentia inter mutuare in propriam vtilitatem, & in vtilitatem mutuatarij.c.63. n.30.p.415

Dilatio ſolutionis habet rationẽ mutui. c.10. n.7.p.64

Diligere plus proximum vnuſquiſque tenetur ordine charitatis quantum ad ſalutem animæ, quàm proprium corpus. c. 3. n.3.p.25

Diligendi proximum ratio eſt conſociatio in plena participatione beatitudinis.ibid.n 3

Diligendi corpus ratio eſt participatio beatitudinis per redundantiam. ibid.n.5

Diſcrimen inter actionem ad rem fructiferam, & non fructiferam. c 25.n.16.p.147

Diſcrimen inter lucrum ceſſans, & damnum emergens. c. 63.n. 2.p.404

Diſcrimen inter offerre fidem, & dare fidem. c.29.n. 3.p. 166

Diſcrimen inter petentem mutuum ab vſurario, & deponentẽ pecuniam ſuam apud illum. c.60.n.14.p.388

Diſcrimen inter rem alienam acceptam, & acceptionem eiuſdem circa obligationem reſtituendi. c.7.n.2.p.44

Diſpenſatio eſt relaxatio legis cauſa cognita. c.6.n.6.p.41. Fit vel à Papa, vel ab inferiori Papa. ibid.n.3 .p.40. Papa à quibus diſpenſet, & quomodo. ibid.n.4

Diſpenſare cum ſubdito non poteſt Epiſcopus circa legem ſuperioris ſine iuſta cauſa. ibid.n.5

Diſpenſatio à Legato facta, etiam auctoritate Papæ ſibi commiſſa ſine iuſta cauſa non valet. ibid. n.8.p.41

Diſpenſatus à ieiunio non ob id ab eſu carnium eſt diſpenſatus. ibid.n.15.p.43

Diſtinguere non debemus, vbi lex non diſtinguit. Gloſſatur hæc regula. c. 28. n. 12. p.163

Dolus duplex, dans cauſam contractui, & tantum incidens in contractum: & quid vterque ſit. c.31.n.8.p.183

Dominium eſt ius in rem, quod actus interior

neque dat, neque tollit. c.57.n.15.p.365

Dominium duobus tantum modis transferri poteſt, nempe aut domini voluntate, aut lege: voluntate adhuc dupliciter, per contractum mutuum, & per donationem. ibid.n.1.p.362

Dominium rei venditæ in venditione, & emptione transfertur omnino in ementem, etiam ſi fides habeatur de pretio. c.1. n.3. & 8. p.3. & 5.

Dominium rei non poteſt in alium transferre, qui non eſt eius dominus. Fallit propoſitio hæc in rebus conſumptibilibus, & diſtrahibilibus. c.22.n.11.p.129

Dominium rei acquirendi modus vnus eſt canonica præſcriptio, & vſucapio. c. 38. n.1.p.228

Dominium vtile, & dominium directum in fundo poſſunt ſeparari, & vnum vendi ſine alio. c. 1.n.29 p.13

Dominij tranſlatio quomodo differat ab acquiſitione. c. 57.n.2.p.362

Definitio tranſlationis dominij. ibid.n.3

Dominium rei ſuæ deponere quis valet ſolo animo, & voluntate, & rurſus acquirere, non tamen ad alterum transferre ipſo non conſentiente. ibid. n.20. p. 367. & n. 14. p 365

Donatione alicui facta ſolum actu voluntatis interiori non transfertur rei dominium in illum, neque oritur obligatio ſeruandi eam, imo poteſt liberè reuocari. ibid.n.12. p. 364

Donatio ob cauſam, cauſa non ſubſiſtente, eſt inualida. c.4.n.4.p.30

Donatio eſt datio irredibilis. c.51.n.7.p 322

Donatio non perficitur, niſi acceptetur à donatario. ibid.n.11. p.323. & c 57.n.13. p.365

Donatio, vel promiſſio interior eſt quædam mentalis loquutio apud ſe, ſed non eſt loquutio ad alterum; & ideo ſi mutetur, non eſt verè fractio fidei. c.57.n.26.p.368

Dotem, vel aliquam rem vtilem loco dotis recipere debet vir ex natura contractus dotalis ad ſuſtentationem onerum matrimonij. c.16.n.8.p.97. & n.11.p.99

Dubium, quo verſimiliter dubitatur rem tempore ſolutionis plus, minuſue valituram, non iuſtificat contractum, ſi res vendatur carius, quam valeat de præſenti, niſi venditor ſit eam alioqui ad illud tempus ſeruaturus c.28.n.11.p.163

Duplex cauſa, ſimpliciter cauſa, & conditionalis. c.54.n. 8.p.344

Duplex eſt potentia ad lucrandum in pecunia, remota, & proxima. c.63.n.3.p.405

Durum valde eſt, obligare peccatorem, imo & ipſum confeſſarium ad ſciendum circumſtantias aggrauantes. c.30.n.9.p 176

E

Ebrius, qui iudicio carens interficit aliquem, nec vnquam fuit ſolitus in ebrietate ſumere arma, & alios ferire, non eſt irregularis. c.42.n.15.p 261

Eligendum eſt minus ex duobus malis. c.54. n.5.p.343

Eleemoſinæ nomine donum gratuitum intelligitur. c.35.n.4.p.211

Emens aliquid bona fide à latrone, quod poſtea ſcit eſſe alienum, poteſt contractum venditionis reſcindere, & latroni rem illam reddere, vt pretium recuperet, præſertim ſi alia via recuperare non poteſt. c. 2. n.5.p.17. & n 9. & 10. p.19. & 20

Emi poteſt aliquid verè, & illius ab emptore non haberi notitia certa. c. 34.n.11.p.205

Emptionis finis eſt, vt res ſit vtilis vſibus emptoris. c. 31.n.14 p.185

Emptor fundi cum pacto retrouendendi, poteſt illum locare tàm carè, ac ſi abſolutè eum emiſſet. c.34.n.14.p.207

Emptorum quæ copia auget rerum pretium. c.10. n 10.p.66

Epiſcopus circa legem ſuperioris non poteſt ſine iuſta cauſa cum ſubdito diſpenſare. c.6.n.5 p.40

Epiſcopus poteſt ſibi caſus reſeruare c.65.n.1. p.420

Epiſcopus prohibere poteſt parochis ne dent licentiam ſuis parochianis, vt parocho alterius diœceſis confiteantur. c. 61. n. 17. p.396

Epiſcopo ſeruiens ita, vt non illi ſeruiret niſi expectaret ab eo beneficium, non in mercedem ſui ſeruitij, & obſequij, ſed ex beneuolentia, & gratitudine, non eſt ſimoniacus. c.46.n.13.p.288

Aequalitas, quæ requiritur in contractu emptionis, & venditionis, in quo conſiſtat. c.1. n.20.p.9

Aequa-

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Aequalitas inter pretium, & mercem ſeruanda eſt in omni contractu emptionis, & venditionis. c.10.n.1 p 62. & c.13.n.8.p.80

Aequitas in iniungendis pœnis pro peccatis, quando ſeruanda eſt. c.30.n.12.p.178

Equites D. Ioannis ex priuilegio ſummorum Pontificum habent, vt non comprehendantur ſub iure aliorum Religioſorum quantum ad odia, & rigores. c.53.n.14 p.337

Aequius eſt in impoſitione penſionis locatorum attendere ad pretium ſolutum, quàm ad pretium, quod fundus abſolutè valet. c.34.n.17.p.207. Cauere tamen debet, ne in inſtrumento locationis taxetur penſio ad rationem tot, puta quinque, vel ſex pro centenario. ibid.n.15.p 207

Eunuchi, & ſpadones non ſunt idonei ad matrimonium contrahendū. c.59.n.2.p.377

Exceſſus quicunque iuſti pretij in venditione, & defectus in emptione, etiam ſi ſit citra dimidium, peccatum mortale eſt ex ſuo genere, & cum vinculo reſtituendi. c.13.n.5.p.80

Ex natura contractus dotalis debet vir recipere vel dotem, vel aliquam rem vtilem loco dotis, ex cuius fructibus leuet onera matrimonij. c.16.n.8.p.97

Explicationes variæ Doctorum cap. ſalubriter, de vſuris. c.16.n.4.& 5.p 94. & n.8. p.97

F

FAma an ſemper reſtituenda ſit in eodem genere, vel liceat aliquando eam reſtituere in alio genere, vt in pecunia. c.52. p.326. Aeſtimari poteſt pecunia, cum ſit bonum temporale. ibid.n.9.p.329. Illuſtris viri fama longe præſtat famæ plebei. ibid. n.8. Non poteſt reſtitui ſine infamia reſtituentis: quod verum eſt in ſuo genere. ibid.n.11.p.330

Fama proximi quibus modis læditur. c. 47. n 1. p. 292. Quomodo eam reſtituet, qui falſum crimen alteri impoſuit. ibid. n.2. Quomodo, qui crimen occultum reuelauit. n.8.p.295.& n.10 p.296. In eius reſtitutione non licet mentiri. ibid.n.3. p.292

Famam alterius qui læſit, an teneatur ad eam reſtituendam, quando ex diuturnitate temporis creditur iam omnino infamia illa obliuioni tradita. c.64.p.416

Fauores ſunt ampliandi, & priuilegia large interpretanda. c.21.n.6.p.123. Limitatur hoc axioma. n.7.& 8.p.124

Fœmina, ſicut non habet dominium aliorum ſuorum membrorū, ita nec ſuæ integritatis virginalis, & corporalis. c. 18.n.19.p.108

Feſto die qui locat operas ſuas, licet id ſit prohibitum, non propterea tenetur ad reſtitutionem mercedis. c.8.n.15.p.55

Fideiubere, & obligare ſe ad mutuandum ſunt paria: ſed non mutuare, & fideiubere. c.32.n.8.p.192

Fideiuſſio eſt obligatio onereſa ex ſe, ac pretio æſtimabilis, redditq. mutuationem vſurariam, ſi ſub ea obligatione fiat. ibid. n.4. p.190. Non eſt mutuum, nec ſpecies mutui, ſed obligatio ſoluendi pro alio. ibid. n. 9. p. 192. Pro fideiuſſione pretium vel maius, vel minus accipi poteſt. ibid. n. 6. p.191.& n.11.p.193

Fideiuſſor poteſt à creditore, cui ſe obligauit, dato pretio illam obligationem redimere, & creditor pretium illud pro remiſſione acceptare. ibid.n.5.p.191

Fideiuſſor ciuiliter obligatur ad aſſecurationem, & ad mutuandum pecuniam principali, ſi opus fuerit. ibid.n.10.p.192

Fideiuſſores in contractibus humanis à quibus exigantur. c.32.n.1.p.188

Fides, quam alteri damus, pertinet ad iuſtitiam, imo eſt ipſum iuſtitiæ fundamentum. c.29.n.9.p.169

Filiusfamilias extra domum paternam degens quantum poſſit quotannis in ludis inſumere. c.23.n.9.p.133

Finis emptionis eſt, vt res ſit vtilis vſibus emptoris. c.31.n.14.p 185

Finis iuſtitiæ eſt, conſtituere æqualitatem omni ex parte inter contrahentes. c.31.n.15. p. 185

Finis matrimonij duplex, principalis, qui eſt generatio prolis, & proximus, qui eſt vſus matrimonij, per quem ordinatur in remedium concupiſcentiæ. c. 59. n. 12. & 13. p 381

Finis præcepti minimè cadit ſub præcepto. c. 9. n.5.p.59.& c.27.n.6.p.156

Formalis integritas, quæ eſt de eſſentia confeſſionis, quæ ſit. c.33.n.11.p.196

Forma profeſſionis Equitum D. Ioannis. c.53. n.10.p.336

Forni-

Fornicarius poſt habitam copulam tenetur in conſcientia meretrici pretium ſoluere. c.8. n.1. p.50

Fructus accipere non licet de re aliena. c.1. n.2. p.3. & n.31. p.14

Fructus rei venditæ ſunt emptoris. ibid. n.8. p.5

Fructus fundi empti pecunia aliena ſunt ipſius ementis. c.5. n.16. p.38

Fur, & quilibet poſſeſſor malæ fidei ſemper eſt in mora reſtituendi. ibid. n.8. p.36. & c.7. n.7. p.46

G

GEner, cui datur pignus fructiferum donec ſoluatur ei dos, fructus pignoris ſuos facit. c.16. n.3. p.94

Ratio, propter quam Genero licet fructus pignoris non computare in ſortem dotis, non eſt propter damnum emergens, & lucrum ceſſans, vel propter gratuitam donationem. ſed propter onera matrimonij ſupportanda. ibid. n.4. & 5. p.95. & n.6. p.96

Genero licet, quamdiu non ſoluitur ei dos, quotannis certam pecuniam accipere, non computando illam in ſortem principalem. ibid. n.7. p.96. & n.10 p.98

Genero, qui ſemel accepit dotem, & illam mutuat Socero, nec penſionem aliquam annuam, nec fructum pignoris licet accipere, non computando illos in ſortem dotis. ibid. n.2. p.94

Genero ſoluere volens dotem Socer, ſi nolit illam recipere, non tenetur Socer certam ei penſionem dare, aut relinquere fructus pignoris. ibid. n.1. p 94

Gladium committens furioſo, aut virginem impudice, peccat grauiter, & tenetur ad compenſandum damnum, ſi fuerit aliquod inde ſequutum. c.60. n.9. p.387

Gratia Dei eſt vita animæ. c.55. n.2. p.348. Dat homini eſſe ſupernaturale. ibid. n.5. p.350

Gratia, & facultas non excedit voluntatem concedentis. c.65. ſub n.2. p.420

Gratiani opinio de diſſolutione matrimonij rati per impotentiam coeundi perpetuam ei ſuperuenientem ante conſummationem, reijcitur. c.59. n.9 p.380

Grauitas malitiæ, quam confeſſarius debet attendere in confeſſione, eſt numeri, & ſpecierum peccatorum. c.30. n.14. p.178

H

HOmicidium, vt ſit irregularitatis inductiuum, debet eſſe aliquo modo volitum. c.42. n.1. p.257. & c.45. n.10. p.281 Velitum inquam vel directè in ſe, vel indirectè, & in ſua cauſa. ibid. n.9. p.259. & 282. n.14. Propinqua, per ſe intenta. ibid. n.4. p.257. Quid dicatur cauſa propinqua homicidij. ibid. n.14. p.261

in Homicidio, ex quo contrahitur irregularitas, non attenditur, fuerit ne actus virtutis, vel vitij: ſed deficiat ne repreſentatio debita, ſcilicet bonitatis, & manſuetudinis Chriſti. c.45. n.11. p.281

Homines non ſunt compellendi ad actus heroicos, & difficiles. verum eſt de non debitis, ſed ſub conſilio. c.48. n.11 p.304

Homines prudentes licet certi eſſe nequeant, ſint ne in gratia Dei, non ob id dubitant, an præceptum confeſſionis impleuerint. c.27 n.8. p.156

Homo non ſe obligat alteri homini, niſi more hominum, hoc eſt, niſi internum mentis conſenſum verbis, aut ſignis declaret. c.57. n.16. p.365

Homo nunquam eſt certus, quod ſit in ſtatu gratiæ. c.27. n.7. p.156

Homo quamuis certus ſit, quod per obliuionem eſt omiſſurus multa peccata in confeſſione, nihilominus tenetur confiteri de alijs. c.33. n.12. p.297

Homo vrgente legitima cauſa non tenetur ad confitendum aliquod peccatum. ibid. n.4. p.194

I

IDem eſt in culpa eſſe, & dare operam rei illicitæ. c.42. n.19. p.262

Ieiunia omnia Chriſtianorum inſtituta ſunt iure humano. c.6. n.1. p.40

Ieiunium quadrageſimale, cũ Doctores ſancti affirmant eſſe præceptum lege diuina Euangelica, quomodo intelligendi ſunt. ibid. n.2. Qui excuſantur à ieiunio, & non ab eſu carnium, & lacticiniorum. ibid. n.12. p.42. In diebus ieiuniorum, præterquàm ieiunij quadrageſimalis, iure communi permittitur eſus ouorum, ac lacticiniorum,

niorum,

Digitized by Google

niorum, niſi obſtet conſuetudo . ibid. n.14. p.42. Comedens ſæpius, quàm ſemel in die ieiunij , non qualibet vice, ſed tantum ſecunda peccat mortaliter . c. 9. n.1. p.58. Duæ negationes continentur ſub præcepto ieiunij, videlicet ; Non veſci carnibus, cibiſque vetitis, & non comedere pluſquàm ſemel in die; ſed non eodem modo. ibid. n.8. p.60. Ponit enim hoc præceptum, certum limitem in comedendo , ne ſæpius quam ſemel ieiunans comedat. ibid. n.3. p.59. Obligat iuxta Eccleſiæ præcipientis intentionem. quæ duplex eſt, vna de materia, altera de fine: ad intentionem primam implendam quilibet tenetur : non autem ſecundam . ibid. n.4. p.59

Ignobilius pro nobiliori exponi debet ſecundum rectam rationem. c.3. n.6. p. 25

Ignorantia circumſtantiæ , quæ venditionem facit iniuſtam , non liberat venditorem à debito reſtituendi . c.37. n.6. p.224.

Impediens lucrum alteri debitum in proxima potentia, tenetur ad reſtituendum , non in remota . c.11. n.8. p.70

Impedimenta dirimētia matrimonium quot , & quænam ſint. c.12. n.2. p.73

Impotentia coeundi perpetua , & non temporalis tollit matrimonium. c.62. n.6. p.399

Impotentia reſpectiua, qua aliquis ineptus eſt ad coeundum cum virgine , aptus tamen ad coeundum cum corrupta, non tollit matrimonium contractum . ibid. n.2. p. 398. Senis impotentia reſpectu virginis, & non reſpectu corruptæ eſt temporalis . ibid. n.4. p.399

In actibus moralibus diſſoluitur ſpecies ratione paruitatis materiæ, vt id , quod ex ſua ſpecie erat mortale, ratione paruitatis materiæ ſolum cōtingat eſſe veniale. c.52. n.14. p.330

In contractu emptionis , & venditionis abſoluta , & perfecta transfertur rei dominium in emptorem, etiam quando fides habetur de pretio. c.1. n.3. p.3. & n.8. p.5

Indigens extremè ſi occupauerat aliena antequam in extremam incideret indigentiam, tenetur ſatisfacere, cum ad pinguem fortunam deuenerit. c.44. n.1. p.274

Indigēti extremè qui de debitis aliquid elargitur , tenetur tantundem creditori reſtituere, ſi poſtmodum poterit. ibid. n.6. p.275. Qui accipit aliena, vt ei ſubueniat , cum non habeat propria, non tenetur ſic accepta reſtituere . ibid. n.8. p.276. Sufficienter eidem ſubuenitur per debitorem , ſi debitor nomine ſuo , non crediteris illi neceſſaria ſubminiſtret. ibid. n.10. p.277

Induſtria eſt cauſa principalis lucri, pecunia verò inſtrumentalis . c.5. n.15. p.38

Infamatus eſſe quis poteſt dupliciter , nimirum de iure, & de facto . c.58. n.3. p.371.

Infamatum per ſententiam publicam in vno loco de aliquo crimine qui infamat in alio, non peccat mortaliter . ibid. n. 4. p. 371. Amiſit hic infamatus ius ad ſuam famā. ibid. n.14. p.374

Infamia quid ſit. c.52. n.16. p.331

Infamiam per obliuionem omnino ſepultam eſſe, difficile eſt certò ſcire. c.64. n.2. p.417

Inferior ſe habet ad legem ſui ſuperioris Principis, ſicut ille ad legem Dei. c.6. n.7. p.41

Infirmo exiſtenti in articulo mortis conferri poteſt abſolutio , non ſolum ſi aliquod peccatum confitetur in particulari vel voce , vel nutu ; ſed etiam cum tantùm confitetur in genere. c.39. n.1. & 2. p.235. & n.4. p.237. Neceſſitate vrgente ſufficit confeſſio in communi, quando aliud fieri non poteſt. ibid. n. 14. p.241

In inferno nulla eſt redemptio . c. 55. n.18. p.354

In iure ille tantum eſt irregularis , qui aliquo modo vuult homicidium vel per ſe , & directè, vel per accidens, & indirectè . ſcilicet in ſua cauſa propinqua. c.42. n.20. p.263. & c.88. n.8. p.303

In iure imponitur irregularitas cōtra omnes voluntarias occiſiones ſiue iuſtas, ſiue iniuſtas. excepta occiſione ob propriam vitæ defenſionem. c.45. n.10. p.281

In moralibus, quod parum diſtat, nihil diſtare videtur , & quod eſt in potentia proxima , iam fere iudicatur in actu . c.58. n.13. p. 374

Iniuria omnis, per quam inter prudentes iuſte diſſoluitur amicitia, peccatum mortale eſt contra charitatem. c.29. n.6. p.168

In neceſſitatis articulo poteſt quilibet, etiam laicus ſacramētum baptiſmi conferre; imò tenetur etiam cum periculo propriæ vitæ infantem morti vicinum baptizare . c. 3. n.1. & 2. p.25. & n.8

In pari cauſa turpitudinis potior eſt conditio poſſidentis.c.8.n.7 p.52

In ſtipulatione pretoria non exigitur pœna ſi non intereſt. De qua pœna hoc Iuriſtarum dictum intelligendum ſit.c.43.n.20.p.272

Inſtrumenta alicui conferens, quibus alteri noceat, cooperatur peccato illius. c. 60. n.11.p.387

In toto iure ciuili communi non ſit vlla diſtinctio inter ludentem pecunia appoſita, & fide data. c.26 n.8.p.150

In venditione ad creditum admiſcetur virtualis, & voluntaria mutuatio pretij. c. 1. n.21.p.10

In vera promiſſione duo ſunt, veritas in promittendo, & fides in adimplendo. c. 29. n.13.p.170

Inuolantarie datur, quod pro re gratis debita emittenda, vel facienda datur. c. 4. n.14.p.32.& n.17.p.33

Ioſeph præuiſa futura ſterilitate ſeptem annorum, magnam frumenti copiam antea currenti pretio emit, & poſtea carius vendidit Aegyptijs. c 37.n 8.p.225

Irregularitas non incurritur, niſi ſit expreſſum in iure. c.15. n.10.p.92. Neque contrahitur ob opus, quod quis non poteſt ſine peccato omittere, ſaltem quantũ ad vſum ordinis.c.48 n.9.p.303. Neque à ſacerdote, qui puerum domi baptizatum in eccleſia ſub conditione baptizat.c.15.n.4.p 90. Incurritur tamẽ ab eo, qui defloranit puellam ſub cura patris exiſtentem, vnde eius interemptio ſecuta eſt.c.42.n.2.p.259

Iubilei tempore tranſacto non poteſt confeſſarius oblita vota cõmutare. c.21.n.1.p.122

Iudas quam promiſerat Thamar meretrici mercedẽ perſoluit ex iuſtitia c 8.n.5.p.52

Iudices iuſta ſententia obligant ſocerum reddere aliquam annuam penſionem genero, quandiu non perſoluit dotem. c. 16. n 9. p. 97

Iudex quare poſſit emptorem bonæ fidei cogere ad reſtituendam rem emptam domino, & non latroni, licet in conſcientia ſit tutus talis emptor, ſi latroni reſtituat.c.2.n.15. p. 23

Iudicis d legati poteſtas non ſe extendit vltra limites in conceſſione præfixos. c. 21. n.1. p.122

Iudicis ſententia legitime expoliat aliquem ſua fama propter certa delicta. c.58 n.5. p. 372

Iuram entum promiſſorium non obligare niſi in virtute præcedentis promiſſionis; Quomodo intelligendum ſit. c.57.n.24. p.368

Iurandi aſſiduitatem, non ſimpliciter iuramentũ interdixit nobis Chriſtus Matth.5. c 24.n.11.p.140

Iurans ſoluere vſuras tenetur ad illas ſoluendas ex religione, & reuerentia diuini nominis. c.26 n.1.p.149

ſub Iuramento promittens ſoluere, & non repetere, tenetur ad vtrunque ſeruandum eadem de cauſa. ibid.

Iure ciuili communi datur actio ei, qui perdidit alearum ludo, ad repetendum ſi ſoluerit. c.26.n.11.p.151

Iure natura vnaquæque res domino ſuo fructificat.c.1.n.4.p.4.& n.8. p. 5. Tenetur quilibet proximo ſuo facere, quod ſibi vellet fieri rationabiliter. c.31. n.19. p. 186. Eodem iure promiſſio facta de re licita, maximè ſi mutua ſit, ſeruanda eſt. c.26.n.3. p.149. & n.7.p.150

Iure ſuo vti vnuſquiſque poteſt, etiamſi aliquod incommodum alteri ſequatur. c. 36. n.6.p.218

à Iure antiquo non eſt recedendũ, niſi quoad illud ſolum, quod in nouo eſt expreſſum. c 12.n 7.p 75

Iuriſdictio vel ordinaria, vel delegata neceſſaria eſt in miniſtro ſacramenti pœnitentiæ.c.61.n.1.p.390.& c.65.n.2.p.420

Ius cognoſcendi delictum habens, habet etiam ius cognoſcendi illius circumſtantias.c.36. n.5.p.218

Ius diuinum præcipit vnicuique peccatori christiano, vt propria confeſſione à ſacerdote curet vere abſolui.c.65.n.7.p.422

Ius naturæ docet, vt ſeruentur promiſſa. c.8. n.4.p.51

Ius, ſeu actio ad rem tantum valet, quantum ipſa res, ad quam eſt actio. c.25 n.12. p.145.& n.14.p.147

Iuſta ſententia in fauorem alicuius prolata reddit ipſum tutum in conſcientia. limitatur hæc propoſitio. c.12.n.13.p 82

Iuſti pretij exceſſus in venditione ſcienter acceptus; & defectus in emptione collatus, etiam ſi ſit citra dimidium, peccatum mortale eſt ex ſuo genere, & cum vinculo re-

ſtituen-

ſtituendi. c 13. n. 5. p. 80
Iuſtitia dupl x. legalis, ſeu ciuilis, & naturalis, diſcrimenq. inter eas. c. 29. n. 15. p. 170. & n. 19. p. 171
Iuſtitia recipiendi lucrum ceſſans ſumitur ex eo, quod alicui verè ratione mutui, & in commodum mutuatarij ceſſet lucrũ. c. 63. n. 20. p. 412
Ad Iuſtitiam pertinet ſuperiori debitam obedientiam reddere. c. 35 n. 16 p. 214
Iuſtitia actus eſt reddere rem ei, à quo accepta eſt, & eam in ſuum ſtatum reſtituere. c. 2. n. 16. p. 23
Iuſtitia contractus non repugnat venditorem ſe conſtituere in tuto, & emptorem per accidens in periculo. c. 37. n. 13. p. 226
Iuſtitia eſt reddere debitum, & omne promiſſum verè eſt debitum. c. 29. n. 10 p. 169
Iuſtitia finis eſt conſtituere æqualitatem omni ex parte inter contrahentes. c. 31. n. 15. p. 185

L

Laici alea ludentes non peccant mortaliter. c 23. n. 2. p. 132
Latro tenetur reſtituere valorẽ, ſeu pretium, quod res habuit tẽpore venditionis, quamuis in tempus vilioris pretij à domino aſſeruanda foret. c. 7. n 3. p. 45. Et tenetur reſtituere ratione rei retentæ, ſcilicet pretij, quod ſuccedit loco rei, quidquid ſit de dãno illato. ibid. n. 10. p. 47
Latro, qui lucratus eſt cum furtiuis pecunijs, non tenetur reſtituere. c. 5. n. 16. p. 38
Legata pia à teſtatore relicta pro ſalute animæ ſuæ conſiderari poſſunt bifariam, ſcilicet in virtute operis operantis, & in virtute operis operati. c. 55. n. 3. p. 348. Nihil proſunt animæ ipſius quoad meritum, aut quoad ſatisfactionem, ordinata in ſtatu peccati mortalis. ibid. n. 4. p. 350
Legatum non eſt propriè promiſſio, nec firmitatem vllam habet ante mortem teſtatoris. c. 29. n. 6 p 170
L. curabit Preſes, germanus, & verſus ſenſus. c. 1 n. 10. & 11. p. 7
L. Generaliter. ff. de verbor. obligat & l. Iuris gentium ff. de pactis. § ſiue ob maleficium, quomodo intelligantur. c. 8. n. 9. & 10. p. 53
L. vt puta, ff. de condict. ob turpem cauſam. quare ſolius repetitionis meminit. c. 4. n. 15. p. 32
L. inter omnes, §. rectè. ff. de furtis, in qua aſſeritur, quod contrectans, & accipiens rem alienam, credendo inuitum eſſe dominum, committit furtum, ſed furti non eſt obligatus, ſi dominus erat volens, verus intellectus. c. 51. n. 13. p. 324
L. cum quidam. ff. de vſuris, in qua dicitur à Iuriſconſulto, vſura non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infliguntur, explicatur. c. 63. n. 27. p. 414
Lex in certis caſibus permittit patrem occidere filiam, & maritum vxorem adulteram. c. 42. p. 260
Lex nulla derogare poteſt preceptis naturalibus. c. 13. n. 7. p. 80
Lex poteſt transferre dominium rei inuito domino, vel in pœnam alicuius criminis ab ipſo commiſſi, vel in vtilitatem ipſius reipublicæ. c. 57. n. 4 p. 362
Lex poſterior explicat, & declarat priorem. c. 28. n. 13. p 164
Lex, qua crimen punitur confiſcatione bonorum, eſt rigidior inter omnes leges pœnales, c. 11. n. 6. p. 70. Hec lex non obligat delinquentem, vt reddat bona ſua ſtatim Fiſco. ibid. n. 7
Leges determinantes damnum emergens accipi poſſe pro mutuo, conſequenter determinant de lucro ceſſante. c. 63. n. 26. p. 414
Leges, & canones quomodo permittant in venditione exceſſum, & in emptione defectum citra dimidium veri pretij. c. 13. n. 9. & 10. p. 81. & n. 12. p. 82. & c. 31. n. 6. p. 182
Leges humanæ poſſunt impedire tranſlationem dominij in alios, & etiam priuare ciues dominio rerum ſuarum ob bonum commune, & transferre illud in alios; & quare. c. 38. n 10. p 231
Leges prohibentes ludum, dominij translationem non impediunt. c. 23. n. 5. p. 132
Legis auctoritate quod fit, iuſtè fit: intelligitur de lege iuſſoria, non de permiſſoria. c. 13. n. 11. p. 21
Legi obtemperare nemo tenetur ante ipſius promulgationem. c. 48. n. 5. p 302
In legibus, quæ ſtatuunt confiſcationem bonorum, à die commiſſi criminis transfertur dominium in Fiſcum, non tamen vſus, & poſſeſ-

poſſeſsio : c. 11. n. 10. p. 71

Licitum aliquā do dicitur aliquid ſecundum legem, quod per legem non punitur. c. 31. n 5. p. 182

Licitum eſt ei, qui contra ius à Iudice interrogatur, vti verbis dubijs, & amphibologicis. c. 40. n. 18. p. 250

Locare fundum emptum cum pacto retrouendendi ad rationem ſex pro centenario, quomodo ſit licitum. c. 34 n. 12. p. 206

Loth filias ſtuprandas offerens, peccauit; excuſatur tamen à ſanctis patribus à tanto, ſed non à toto. c. 54. n. 14. p. 340

Lucrum ceſſans quid proprie ſignificet. c. 63. n. 1. p. 404. Quale dicatur. c. 5. n. 2. p. 34. An poſsit reduci in pactum à principio cõtractus mutuationis. c. 63 p. 403. Non eſt reſtituendum in integrum. c. 5. n. 10. p. 36. Vt poſsit in mutuo deduci in pactum, quæ conditiones requirantur. c. 63 n. 19. p. 411. Dupliciter poteſt ex mutuo in pactum deduci. ibid. n. 23. p. 413

Lucrum ceſſans recipere mutuanti licet poſt moram in ſoluendo mutuum. c. 63. n. 6. p. 406. Diſcrimen inter lucrum ceſſans, & damnum emergens. ibid. n. 2. p. 404

Lucrum ceſſans, quod erat in via, & proxima potentia, eſt reuera damnum. ibid. n. 18. p. 411

ad Lucrum ceſſans vendenti credito requiritur, vt habeat actu paratum alium emptorem ſoluentem totum pretium in numerato. c. 1. n. 9. p. 6. & c. 10. n. 12. p. 66

Lucrum exigere pro re credito vendita nefas eſt, & vſuram continet. c. 1. n. 6. & 7. p. 5

Lucrum impediens alteri debitum in proxima potentia, tenetur ad reſtituendum non in remota. c. 11. n. 8. p. 70. & c. 63. n. 15. p. 410

Lucrum ex mutuo, ſeu in mutuo dupliciter poteſt intendi, vel vt debitum ratione iuſtitiæ, ſeu tanquam pretium mutuationis: vel vt debitum ex beneuolentia, vel gratitudine. c. 46. n. 4. p. 285

Lucrum aliquod ex gratitudine expetere eſt conditio honeſta, & poteſt actioni libera mutuationis apponi, ſicut cauſa determinant. ibid. n. 9. p. 286

Lucrum, vt pretium, & vt debitum ex mutuo intendere, animi vſurarij eſt. ibid. n. 16. p. 289

Lucrum pecunia aliena acquiſitum non eſt reſtitutioni obnoxium. c. 5. n. 12. p. 37. & n. 16 p. 38. Et quare, n. 14. & 15

Lucrans in ludo prohibito non tenetur ad aliquam reſtitutionem neque iure naturali, neque diuino; neque iure ciuili, aut canonico, niſi aliqua alia circumſtantia ludus vitietur. c. 23. n 4. p. 132

Lucrans à filiofamilias exiſtente in domo patris, & à quibuſcunque alijs, qui non poſſunt alienare, ad reſtitutionem tenetur. ibid. n. 7. p 133

Lucrans alea ludo pecuniam à filiofamilias, quam pridie cum eodem perdiderat, poteſt illam ſibi tuto retinere. ibid. n. 10. p. 134

Lucro ex induſtria filij acquiſito, & ludo cõparato, ſolent parentes communiter cedere. ibid. n. 11. p. 135

Ludus eſt contractus pertinens ad iuſtitiam commutatiuam. c. 26. n. 4. p. 150

Ludus aleæ lege prohibitus. c. 23. n. 1. p. 131

Ludens pecunia credita, ſeu promiſſa poteſt lucrari à ludente pecunia præſenti. c. 26. n. 5. p. 150. Et retinere pecuniam ſibi ſolutam, donec in iudicio repetatur. ibid. n. 10

Ludens taxillis pecunia abſente, data ſolum fide, tenetur deinde ſoluere perdita in ludo. ibid. n. 2. p. 149. & n. 6. p. 150

in Ludo debet eſſe æqualitas inter ludentes. ibid. n. 4. p. 150

Luxuriæ ſpecie, alia eſt velle fornicari cum virgine, vel cum ſit virgo; alia velle fornicari cum corrupta, vel cum ſit corrupta. c. 18. n. 12. p. 107

M

Mandans non tenetur ex mandato, cum mandatarius mandati limites exceſſit, quos obſeruare facillimum ei fuit. c. 20. n. 5. p. 119. Vbi mandatum, licèt illicitum, non dirigitur in aliquod delictum per ſe, aut immediatè, non tenetur mandator de delicto illo ſequute. c. 20. n. 7. & 8 p. 120

Matrimonij fides conſiſtit in duobus, ſcilicet in reddendo debitum coniugi, & nulli alteri commiſceri. c. 24. n. 3. p. 137

Matrimonio ineptus eſt, qui non habet potentiā coeundi, ſeu ſeminandi. c. 59. n. 7. p. 377

Matrimonium fieri non poteſt ſine obligatione reddendi debitum, ſed conſeruari poteſt ſine ta-

Digitized by Google

ne tali obligatione. ibid.n.11.p.380. Contrahere nequeunt ſpadones, & eunuchi. ib. n.2.& 5.p.377. Poſſunt verò ſenes impotentes ad generandum, non tamen impotentes ad coeundum. ibid.n.6 p. 378

Matrimonium ratũ non poteſt diſſolui quantum ad vinculum, niſi per profeſſionem Religionis. ibid.n.10. p.380.& c.53.n.1. p.332. Diſſoluitur autem per profeſſionem auctoritate Chriſti diſpenſantis, diuineq. priuilegio. ibid.n.2.p.333

in Matrimonio rato eſt tacita conditio, niſi alter coniugum velit tranſire ad Religionem. ibid.n.3

Matrimonij finis duplex, principalis, qui eſt generatio prolis: & proximus, qui eſt vſus matrimonij, per quem ordinatur in remedium concupiſcentia. c. 59. n. 12. & 13. p.381. Matrimonium enim ſolum ordinat copulam carnalem in remedium concupiſcentiæ. ibid.n.14

Matrimonium reſpicit indiuiduam perſonã, & eſt vinculum, quo vnus alteri obligatur. c.62.n.8.p.400. Redire debet ad primum matrimonium, qui poſt ſeparationem matrimonij reperitur habilis ad aliam. ibid.n.3.p.398. Qui eſt habilis ad vnam, eſt habilis ad omnes, & ita matrimonium cum qualibet tenet.n.7.p.399

in Matrimoniali contractu genero confertur dos ad omnia onera futura, nec augetur illi ex progreſſu annorũ, & onerum. c.16. n.10.p.98

Medicus, & operarius poſſunt mercedem ſui laboris exigere, etiam ſi cum neceſſitate præcepti id faciant. c.35 n.13.p.313

Mendacium, aut falſum dixi, de eo, qui verũ dixit, verificari non poteſt in ſenſu aliquo recepto: ſed bene ego ſum deceptus, inueni me fuiſſe mendacem.c.47.n.9.p.295. & n.11.& 14 p.296

Mendacium & fidei violatio diuerſa ſunt peccata. c.29.n.14.p.170

Mendacium nulla prorſus de cauſa licitum eſt. c.40.n.7.p.245

Mendacium quid ſit. c.57.n.25.p.368

Mendax non eſt, qui non adimplet promiſſionem mentalem, quamuis promiſſio talis ſit quædam mentalis locutio. ibidem, n 26. p.368

Mendax non ſignificat eum, qui mentitur, ſed qui mentiri ſolet, aut certè peccatorem. c.47.n.14 p.296

Mentiri aliqu.m ad cauendum ſibi, vel alteri mortẽm, non eſt mortale, ſi fiat ſine alterius iniuria, nempe Iudicis, partis læſæ, teſtium, &c. c.48 n.13.p.304

Mercatori, & mutuatori an liceat augere pretium, vel aliquid plus accipere ob lucrum ceſſans. c.10.n.11.p.66

Mercatori non licet carius vendere merces ſuas, quàm pretio rigoroſo, ob dilatam ſolutionem ad annum. ibid.n.6.p.63

Mercator, qui rem carius venditam ad creditum vilius ſtatim emit pecunia numerata, etſi pretio iuſto, an peccet contra iuſtitiam, c.14.n.4.p.85.& n 9. p.86

Mercator, vt carius vendat merces ſuas expectata ſolutione, quàm præſente, an ſit neceſſaria hæc conditio, vt ſeruaturus fuiſſet eas in aliud tempus. Caietani opinio eſt negans. c.28.n.5.p.160. Sed affirmans eſt vera. n.7.p.161. & n.2.p.160

Merx ad terminum vendita non plus valet, quàm ſi ad ſtatim venderetur. ibid. n.10. p. 162

Merx minoris valet, cum rogatur emptor, quàm cũ rogatur venditor. c.10.n.4.p.63

Merces valent, quanti in præſenti communiter æſtimantur, etiam ſi in errore futuræ abundantiæ ea æſtimatio fundetur. c. 37. n.5. p 223

Merces vltroneæ vileſcunt.c.10.n.4.p.63

Meretrix turpiter facit, quod ſit meretrix, ſed non turpiter accipit. c. 3. n. 13. p. 54. & n.15.p.55

Meretrix publicè expoſita, & quæ ſecretè fornicatur, in quo differant, & conueniant. ibid. n.14

Minoris ætatis fauor: particula poſita in l.curabit, quid indicet. c. 1.n.15.p.8

Minus malum, quamuis abſolutè ſit malum, reſpectu tamen maioris mali eſt bonum. c.54.n.9.p.345

Modi nocendi, quibus quis dat cauſam, vt aliquis alterum damnificet.c.30.n.3.p.118

Mortale, & veniale non differunt ſpecie in genere actus moralis: ſed in genere offenſæ differunt pluſquam ſpecie c 30.n.2. p.173

Mutuans, & mutuatarius, ſi viciſſim ſe obligant in futurum ad mutuandum, non interuenit vſura.c.19.n.8.p.114.Imo ſi mutuans

tuans ciuiliter ſe obligat de præſenti ad mutuandum, licitum eſt ei obligare mutuatarium ad ſibi aliud mutuandũ eodem tempore, dummodo ex parte rei mutuatæ ſeruetur æqualitas. ibid. n 5. p. 113. & n 9. p. 114 Quando mutuator dat rem cuius eſt inopia, non ſeruatur æqualitas. ibid. n. 10

Mutuans inuitus licitè poteſt lucrum ceſſans exigere c. 63. n. 5. p. 405. Imo & mutuans ſponte. ibid. n. 11. p 408. Non enim mutuare ſponte efficit, quin demerius pecuniæ impediatur à lucro ante moram, ſicut poſt moram. ibid. n. 13. p. 409

Mutuans inſtrumenta ſuæ artis poteſt deducere in pactum lucrum, à quo impeditur ob eorum defectum. ibid. n. 14

Mutuans licitè poteſt mutuare ſub ſpe recipiendi aliquod lucrum ex gratitudine mutuatarij prouenturum, vt niſi illud ſperaret, non mutuo traderet. c. 46. n. 3. p. 285

Mutuans, qui de animo dubitat mutuatarij, num ex liberalitate, an inuoluntariè lucrum tribuat; peccatum vſuræ committit, ſi animo retinendi cum tali dubio recipiat. ibid. n. 19. p. 290

Mutuanti licet ſperare à mutuatario id quod iure naturali ei debet, nempe antidoralem remunerationem. ibid. n. 11. p 287

Mutuanti licet accipere lucrũ ceſſans à mutuatario ob moram in ſoluendo mutuum. c 63. n. 6. p. 406

Mutuare alteri cum pacto, vt ille tibi in poſterum tantundem mutuet, ſine quicquam aliud, non licet, imo feneratitia eſt conuentio. c. 19. n. 1. p. 110. Sed an mutuare alteri cum pacto, vt ille remutuet in præſenti, ſit vſuraria conuentio, ſunt opiniones variæ. ibid. n. 2 p. 111

Mutuare alteri cum pacto, vt teneatur deferre ſuum triticum ad molas mutuantis, vel mittere ſuas ſegetes iuſto pretio, vſura eſt. c. 17. n. 5. p. 102

Mutuatio virtualis pretij admiſcetur in venditione ad creditum, & in emptione facta ſolutione anticipata. c 1 n. 21. p. 10

Mutuator ad reſtituendum vſurarium lucrum obligatur; quia illud, vt pretium eius, quod gratis præſtare tenebatur accepit. c. 4 n. 13. p. 32

Mutuator poteſt pecunias, quas habet negotiationi expoſitas, offerre illi, qui patitur neceſſitatem, lucro ceſſante petito. c. 63. n. 29. p. 415

Mutuatarius eſt cauſa moralis lucri ceſſantis mutuantis, quando in eius vtilitatem deſinit mutuans negotiari ſicut inſtituerat. ibid. n. 30 p. 415

Mutuatarius non donat voluntarie, cum mutuator non accipiat lucrum, vt ſibi datum liberaliter, & gratis. c. 51. n. 15 p 324

Mutuatarius, ſeu debitor tenetur in conſcientia pœnam conuentionalem impoſitam ſoluere petente mutuatore, ſiue creditore etiã ante iudicis condemnationem. c. 43. n. 10. p. 269

à Mutuatario iniuria affecto exigere propter mutuum remiſſionem iniuriæ, & vt liti cedat, interueniente pacto, illicitum eſt. c. 17 p. 101. & n. 3

Mutuo accipiens centum, & ſecreto reſtituens ſi conuenitur à mutuante exigente ab eo, in iuditio ſolutionem centum, poteſt iurando negare ſe accepiſſe ab eo mutuo centum. c. 41. n. 1. p. 250

per Mutuum contrahitur obligatio, & ceſſat per ſolutionem ibid. n. 8. p. 254

Mutuo quærere amicitiam, & beneuolentiã in communi licitum eſt. c. 17 n. 6 p. 101.

Mutuum date nihil inde ſperantes. Luc. 6. intelligitur, inde, hoc eſt ex mutuo. c. 46. n. 14 p. 289

in Mutuo quotieſcunque interuenit obligatio ex pacto, committitur vſura, ſi talis obligatio ex pacto non fiat reciprocè. c. 19. n. 13. p. 116

De ratione intrinſeca mutui eſt, vt recipiens illud teneatur aliquando reſtituere ei, à quo recepit, poſſitque ad id compelli. c. 34. n. 3. p. 201

N

N *Auarri opinio de pretio ſumpto à meretrice poſt copulã refertur, ac reijcitur. c. 8. p. 50. Eiuſque argumenta ſoluuntur. ibid. n 18 p. 56*

Neceſſitas extrema omnia facit communia. c. 44 n. 2 p. 274 & n. 9. p. 276

Neceſſitas extrema debitoris adueniens, debitum antiquum non extinguit, ſed ſuſpendit ad tempus. ibid. n. 3. p 274. & n. 5 p. 275

Negans

Digitized by Google

Negans veritatem in iudicio, quam fateri tenetur, primo, & per ſe impedit condemnationem delicti, ſecundario condemnationem ad pœnam: quæ autem ſecundario impediuntur non ſunt reſtituenda. c.11. n.9. p.70.& 71

Negatio debiti coniugi frangenti fidem non eſt præceptum, ſed conceſsio in fauorem innocentis. c 24.n.9 p.139

Nemo cog.ndus eſt de ſuo alteri beneficium facere. c.35.n.12.p 213

Nemo debet cum alterius iniuria, ſiue iactura locupletari. c.10.n.10. p.66. & c.38. n.12 p.132. *Quomodo hæc Regula vera eſt.*

Nemo expoliandus eſt re ſua, niſi per Iudicis ſententiam. c.4.n.2.p.29

Nemo obligatur ad ſolu.ndum pœnam ante Iudicis condemnationem. c.11.n.3.p.69

Nemo obligatur reſtitu.re, quod iuſtè poſsidet. c.38.n.9.p.231

Nemo tenetur alteri prodeſſe ſuo incommodo. c.63.n 30.p 415

Nemo tenetur ſuis ſtipendijs pro alio militare. c.35. n.11.p.213

Nihil prodeſt homini ieiunare, & orare, niſi mens ab iniquitate reuocetur. c. 55. n.9. p. 351

Nobiles, qui multis annis inuitis mercatoribus pecuniam detinent, qua multa alia bona lucrari poſſent, & peccant, & reſtituere tenentur lucrum ceſſans. c.5.n.11.p.36

Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. quomodo hæc regula intelligenda ſit. c.52.n.12.p.330

Nos diſtinguere non debemus, vbi lex non diſtinguit. intelligentia huius regulæ. c.28. n.12.p.163

Nou.m modi, quibus quis dat cauſam, vt aliquis alterum damnificet. c.20.n.3.p.118

Nulla lex præſcripſit aliud maius pretium pro mercibus venditis ad creditum, quam pro vendibilibus de præſenti numerata pecunia. c.10 n.7.p.65

Nullo iure quis tenetur rem ſuam per venditionem alienare concedendo pretij dilationem. c.1.n.7.p.5

Nullus patitur iniuſtũ volẽs. c.46.n.12.p.287

Nullus ratione rei ſuæ tenetur aliquid alteri ſoluere. c.1.n.4.p 4

Nullus videtur velle emere, quæ penitus ignorat. c.34.n.8. p.205

O.

Obligatio ciuilis, quæ naſcitur ex pacto, eſt pretio æſtimabilis. c.17.n.4 p.102. *Ex duplici capite.* c.32.n.7.p.191

Obligatio duplex, realis, & perſonalis, & differentia inter eas. c.22.n.3.p.126

Obligatio duplex, qua quiſpiam fieri poteſt obligationi obnoxius, ciuilis ſcilicet, & naturalis, & quæ ſit vtraque. c.20 n.1.p.117

Obligatio naturalis cõtrahitur ex triplici radice, videlicet ex iniuſta rei alienæ acceptione, retentione, & cauſa data iniuſtæ acceptioni, vel retentioni. ibid.n.2.p.117

Obligatio includit in ſui ratione ordinem ad alterum, qui eſſe non poteſt per ſolũ conceptũ intentiorẽ inter homines. c.57.n.17.p.366

Obligatio mutuandi vendi poteſt. c 32. n.3. p. 190

Obligatio reſtituendi accepta, adueniente neceſsitate extrema manet ſuſpenſa, non extincta. c.44.n.7.p.275

Obligatio reſtitutionis ex duplici radice naſcitur. c.7.n.1.p 44. & n.11.& 13.p.48

Obligari non poteſt quis voluntate ſola, niſi ei, qui voluntatis eſt cognitor, ideſt niſi Deo. c.57.n.19.p 366

Occidens inuaſorem ob defenſionem propriæ vitæ, nec peccat, nec tenetur ad aliquam reſtitutionem. c.40.n.17.p.249. *Neque occidens pro defendendis proprijs bonis, modo ſint alicuius momenti.* c.45.n.1.p.279. *In irregularitatem tamen hic incurrit.* ibid. n.9. p.280

Occultatio defectus rei venalis, quæ eſt vtilis emptori, ſi ipſe non exprimit aliquem diſſenſum, non eſt propriè fraus, & dolus. c.31.n.17.p. 186

Offenſus tenetur ad deponendum odium ex animo, non autem ad in.uriæ damnum condonandum. c.17.n.11.p.104

Olim in antiqua Eccleſia ſummo rigore pœnitentiam iniungebant. c.30.n.10 p.177

Opera moralia ſunt in triplici differentia, alia ſunt viua, alia mortua, alia mortificata. c.55.n.1.p.348

Operam noſtram indigenti impendere, quomodo ad iuſtitiam, & charitatem ſpectet. c.35.n.16.p.214

Opinio Caietani, & Soti de negante crimen eccul-

occultum, de quo accuſatus eſt apud Iudicem. c.40.n 8 p.245.

Opinio Gratiani aſſerentis, quod impotentia perpetua coeundi, ſi ſuperueniat matrimonio ante conſumationem, diſſoluit matrimonium, reÿcitur à Doctoribus. c.59.n.9. p.380

Opinio Tullij, & nonnullorum Theologorum de mercatore, qui breui ſuperuenturam magnam mercium copiam præſcit, & merces ſuas pretio currente vendit. c.37. n.1. p.222

Opiniones variæ, an dari poſſit aliquid tanquam pretium, & merces actus fornicationis. c.8 p.50

Opiniones variæ de eo, qui infamat aliquem diffamatum in vno loco alibi, vbi infamatus non eſt, an peccet. c.58 n.1.2. & 4. p.370. & 371. Et de eo, quod agere debet confeſſor, qui pœnitentem bona fide confeſſum abſoluit inualidè. c.65.n.3.p.421

Opus aliquod eſt Deo acceptum, quia perſona, à qua procedit, eſt ipſi accepta. c.55. n.7. p.350

Opus, quod non licet alicui facere, non licet illi ſimpliciter conſulere, ſed in caſu. c.54. n.1. p.340

Opus ſatisfactorium oportet, quod ſit Deo acceptum. c.55.n.7.p.350

P

PActum quid ſit, & pollicitatio. c.29.n.1. p. 166

Pactum de retrouendendo in fauorem venditoris appoſitum, eſt licitum. c.34.n.1.p.200 Diminuit iuſtum pretium, quo res æſtimanda eſſet ſine tali pacto venalis. ibid. n.4. p.203. Pars pretij cenſetur. ibid n.5. Quantum diminuit de pretio. ibid n.6

inter Pactum retrouendendi, & retroemendi diſcrimen. ibid.n.18.p 268. Res empta cum pacto retrouendendi poteſt ab emptore ſtatim venditori locari. ibid.n.7.p.204. Sed an ad rationem ſex pro centenario? ibid. n.12.p.206. & n.15.p.205

ex Pacto naſcitur debitum ciuile, & tollitur libertas actuum. c.17.n 10.p.103

Papa in quibus diſpenſet, & quomodo. c. 6. n.4.p.40

Parentes communiter ſolent cedere lucro ex induſtria filij acquiſito, & ludo comparato. c.23.n.11.p.135

Parochus ante Concilium Tridentinum poterat committere confeſſionem ſui ſubditi ſacerdoti non approbato ab Ordinario. c.61. n 2.p.391. Nunc non poteſt talem confeſſionem committere cuipiam, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopo approbationem obtinuerit. ibid.n.3. & 4. p.391. Neque poteſt licentiam dare parocho alterius diœceſis, vt ouium ſuarum confeſſiones audiat, & validè abſoluat in eccleſia ſua parochiali. ibid.n.9.p.394. Poteſt tamen dare licentiam ſuo parochiano, ſecluſa ſpeciali prohibitione ſui Ordinarij, vt parocho alterius diœceſis confiteatur. ibid.n.9.p.393. & n.17.p 396

Parochus extra ſuam diœceſim cenſetur perſona priuata, & ſimplex ſacerdos. ibid. n.12.p.395

Parochus grauiter peccat baptizando ſub cōditione puerum, quem ſcit domi fuiſſe baptizatum. c.15.n.1. p.89. Non tamen in irregularitatem incurrit. ibid.n.4.p.90

Pauperi exiſtenti in extrema neceſſitate tenemur gratis ſubuenire. c.35.n.3.p.211

Peccat mortaliter occidens vxorem in adulterio deprehenſam, vel Tyrannum manifeſtum auctoritate priuata. c.56.n.7.p.359

Peccata commiſſa in pœnitentiali iudicio explicanda ſunt, vt materia abſolutionis, & propoſitum peccati, vt impedimentum illius. c.56.n.5.p.358. & n.9.p.359

Peccatum committendum habet annexum propoſitū voluntatis præſens. ibid.n.8.p.359

Peccata confeſſa confeſſione informi recedente fictione remittuntur per ipſummet ſacramentū, quod fuit informe. c.27.n.15.p.157

Peccata omnia cum ſuis circumſtantijs ſpeciem mutantibus ſunt confitenda eidem ſacerdoti, ex natura confeſſionis. c.33.n.1. p. 194. At vrgente legitima cauſa homo non tenetur ad confitendum aliquod peccatum. ibid.n. 4. & 6. p.195

Pecata reſeruata oblita cur abſoluantur poſt Iubilaum à quolibet confeſſario; vota autem non commutentur. c.21. n.5.p.123

Peccatum inferioris ordinis nunquam poteſt æquari peccato ſuperioris ordinis in malitia, quamuis poſſit in pœna. c. 30. n.13. p.178

Peccatum in genere rei verè vnum eſt: ſed in genere merum multiplex dici poteſt ob multas defoimitates.c.50.n.11.p.316

Peccatum mortale dupliciter conſiderari poteſt, vel quantum ad omnem ſuam defermitatem, & malitiam, quam habet tum ex parte obiecti, tum ex parte circumſtantia: vel quatenus ſolum ex obiecto offenſiuum eſt Dei.ibid.n.14.p.317

Peccatum voluntatis, oris, & operis eiuſdem ſunt ſpeciei, & ſolum differunt ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem.c.18.n.10.p.107

Pecunia eſt quicquid pecunia æſtimari poteſt.c.16.n.10.p.97

Pecunia indigenti non tenetur quis ſubuenire mutuando: ſed ſatis eſt, vt ſubueniat vendendo.c.14.n.11.p.86. & n.13.p 88

Pecunia furtiua eſt materia induſtria, non cauſa effectrix lucri.c.5.n.14.p.38

Pecuniam furtiuam furripiens debet eam reſtituere non furi, ſed domino vna cum intereſſe.ibid.n.3.p.34

Pecunia non eſt maioris vtilitatis poſt morã, quàm ante moram cæteris peribus.c.63.n.28.p.414

Pecunia, vt ſubeſt induſtria mercatoris, vere lucratiua eſt. ibid.n.13.p.409.plus valet illi, quàm ſecundum ſe valeat. ibid.n.15.p.410

Pecunia ſunt inſtrumenta exercentium negotia.c.60.n.13.p.387

Pœna triplex, conuentionalis, iudicialis, & legalis: & quid nã quælibet earum ſit. c.43.n.1.p.265.conuentionalis dupliciter à creditere apponi ſolet.ibid.n.2.p.266. & n.4.p.267.Quando dicitur imponi in fraudem vſurarum.ibid.n.3.p.266 licitum eſt eam imponere mutuatario, ſeu debitori, qui fuerit in mora ſolutionis, vt metu illius non ſit in mora, ſed diligentius ſoluat.ibid.n.6.p.268.& n.19.p.272. Non debetur, quando debitor promiſſum adimplere non poteſt.ibid. n.7.p.268.legalis non debetur ante Iudicis ſententiam.ibid.n.13.p.269

Pœna debet proportionari culpæ.c.9.n.2.p.58

Pœna temporalis per ſe nunquã redit in æternam, ſed bene per accidens ratione ſtatus.c.35.n.16.p.353

Pœnæ eccleſiaſtica, quæ imponuntur propter aliqua delicta, intelligenda ſunt de delictis perfectis, & conſumatis in ſuis ſpeciebus c.15.n.6.p.90

Pœnæ non ſunt extendendæ, ſed potius reſtringenda.ibid n.11.p.92

Pœnitens in foro pœnitentiali, vt accuſator, habet ius accuſandi delictum integre.c 36 n.7.p.218

Pœnitens oblitus confiteri circumſtantiam neceſſariò confitendã, an teneatur ad iterum confitendum peccatum iam confeſſum, an ſatis ſit ei, vt ſolum circumſtantiam illam omiſſam confiteatur.c.50.p.313

Pœnitentia, ſiue ſatisfactio iniuncta in confeſſione, ad quid valeat adimpleta in peccato mortali.c.55.n.14.& 15.p.353

Penſio, quæ exigitur ex re fructifera vendita, ratione fructuum, quorum emptor non dũ dominus eſt, reducitur ad vſuram compenſatoria. c.1.n.25.p.11

Penſio, quæ exigitur ex re fructifera vendita venditione abſoluta, & perfecta, pertinet, ad vſuram lucratoriam, vel certè ad iniquam acceptionem alieni, quod eſt furtum. ibid.

Plus ſoluit, qui ante tempus ſoluit, limitatur hoc axioma, in eo, qui ſoluendo ante tempus patitur aliquod intereſſe. c.25.n.19.p.148

Poſſeſſor malæ fidei ſemper eſt in mora reſtituendi.c.5.n.8.p.36.quocunque modo res pereat aut alienetur, tenetur ad reſtituendum.c.7.n.12.p.48

Poteſtas Iudicis delegati non ſe extendit vltra limites in commiſſione præfixos.c.21.n.1.p.122

Preceptum Eccleſiæ, quando in totum ſeruari nequit, ſeruandum eſt quo ad partem.c.6.n.11 p.41.& c.33.n.14.p.197

Præceptum humanum aliquando poteſt obligare cum periculo vitæ, quando illud cedit in bonum commune c.48.n.12.p.304

Præceptum negatiuum duplex, ſcilicet iuris naturalis, & iuris poſitiui, & eorum diſcrimen.c.9.n.6 p.60

Præcepta poſitiua non obligant cum magno diſpendio, & periculo.c.33.n.5.p.194

Præcepta, quæ homo adimplere tenetur, ſunt duplicia, quædam ad iuſtitiam, quædam ad charitatem ſpectant.c.35.n.5.p.211

Præceptis naturalibus nulla lex derogare poteſt, c.13.n.7.p.80

Prædo etiam ſecundum rigorem iuris eſt poſſeſſori reſtituendus, ex cap. in literis, de reſtitut. ſpoliat. De quo intelligatur. c.5. n.6.p.35

Præſcribere eſt idē, quod acquirere dominium & ius per poſſeſſionem continuatam tempore à lege præſcripto. c.38.n.8.p.230. Qui rē legitime, & bona fide preſcripſit, etiam ſi poſtea inſtruatur, & credat rem illam fuiſſe alienam, tuta conſcientia ipſam retinet. ibid.n.7

Præſcriptio quomodo ab vſucapione differat. ibid.n.2.p.228

Præſcriptio duplex, longi temporis, & longiſſimi, & differentia inter eas. ibid. n.3. Centum annorum eſt neceſſaria contra Eccleſiam Romanam ibid.n.4.p 229. quot, & quæ conditiones ſunt neceſſaria ad legitimè præſcribendum. ibid.n.5. Quæ res iure præſcribi prohibentur. ibid. n 6. fundamentum præſcriptionis eſt bona fides, quæ habetur durante tempore præſcriptionis. ibid. n.11. p.232. Præſcriptionis lex lata eſt ob commune bonum ad tollendum errorem, & confuſionem dominiorum; nec eſt per ſe punitiua, ſed conſultiua. ibid.n.13 p.233

Pretium arbitrarium, ſiue ſecundum vſum fori triplex eſt, videlicet infimum, ſeu pium, medium, ſiue moderatum, & ſupremum, ſiue rigidum, & rigoroſum. c.10. n.3.p 62

Pretium boni pecuniarij non poteſt conferri cū pretio famæ verum eſt ex ſua ſpecie, ſed nō in aliquo indiuiduo c.52.n.13.p.330

Pretium iuſtum duplex eſt, legale ſcilicet, & arbitrarium. c.10.n.2.p.62

Pretium non habet, nec eſt pretio æſtimabilis quo ad contractus humanos res, quæ gratis emitti, vel fieri debet. c.4.n.11.p.31

Pretium rei alienæ venditæ tenetur domino reſtituere fur iure iuſtitiæ ante diſtractionem. c.7.n.9.p.47. & n.15 p.49

Pretium rei, & res ipſa in contractibus humanis pro eodem computantur. ibid. n.4. p.46. ſuccedit loco rei. n.10.p.47

Pretium rei iuſtum non metiri debet ſecundum mercium ſumptus, ſed potius ſecundum vſum fori. c. 10.n. 14.p.67

Pretium pro iniuſta ſententia, pro periurio teſtis, pro homicidio receptum, quare reſtituendum eſt. c.8.n.11.p.53. & n.17.p.55

Probatio duplex, plena, & ſemiplena, & quæ vtraque. c.40.n.2 p.244

Promiſſio interna firmata iuramento in mente ſecundum omnes obligat, non ex vi promiſſionis, ſed iuramenti. c.57. n.23.p.367

Promiſſio per vim, aut metum, vel dolum extorta non obligat in aliquo foro. c.29. n.4.p.167

Promiſſio, quæ fit fœminæ pro turpi actu, quomodo intelligatur eſſe valida. c.8.n 6 p.60

Promiſſio ſimplex quid ſit proprie ſumpta. c.29 n 2 p.166

Promiſſionem, & fidem datam qui violat in re graui, peccat lethaliter, & contra iuſtitiam. ibid 5 p.167. & n.8. & 12.p.169

Promiſſionem qui non adimplet, peccare, & infideliter agere, quia mutat animum. quomodo intelligitur hoc dictum D.Thomæ c.57.n.11.p.364

Promiſſionis natura hæc eſt, vt antequàm acceptetur, non obliget. ibid.n.17.p.366

Promiſſum omne, quod nulla lex prohibet adimplere, eſt debitum iure naturæ. c.26. n.7.p.150

Promittere ſignificat dicere verum obligando ſe cui dicitur ad illud ſeruandum. c.29. n.11.p.169

Promittens dotem ex natura contractus promittit ſimul, implicitè ſaltem, fructus dotis, & lucra, quæ cum illa poſſunt acquiri, ad leuanda onera matrimonij. c.16. n.8.p.97

Promittens, vel donans aliquid alteri ſola mente, non tenetur in conſcientia id ei ſignificare. c.57.n. 18 p.366

Proponere materiam minoris mali, ad euitandum maius, & conſulere, moraliter idem ſunt. c.54 n.13.p.346

Propoſitio illa Matth.9. Non eſt mortua puella. quomodo vera c.41. n 6. p.254. & illa alia Io.7. Vos aſcendite: ego autem non aſcendam. ibid.n.7

Propoſitio illa Marci.13. De die autem illo nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius: quomodo vera. c.47.n.13.p.296

Propoſitum peccandi licet ſit poſtea in re committendum, iam tamen eſt in voluntate commiſſum. c.56.n.4 p.358. & n.8. p.359

Propoſitum tum iterandi, tum de nouo committendi peccatum ſub ſigillo confeſſionis clauditur. ibid.n.2.p.357

Propoſitum peccandi, peruertendi ſcilicet confeſſarium, & inducendi illum ad idem genus peccati, non clauditur ſub ſigillo ſecreti, nec etiam animus illudendi confeſſarium. ibid. n. 7. p. 359

Propria natura, & ratio fructum eſt, vt ſint illius, cuius eſt dominium poſſeſſionis illos ferentis. c. 1. n. 13. p. 7.

Proprium aliquando dicitur, quod non eſt multorum commune, ſed vni ſolum conuenit. c. 50. n. 7. p. 314

Pro ſeruandis præceptis tum iuſtitiæ tum charitatis, quæ ad Deum habenda eſt, & ad ſe, non licet aliquid accipere. c. 35. n. 7. p. 212

Publica honeſtas impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. c. 12. n. 4. p. 75

Proximus indigens aut eſt inops omnino, aut habet aliquid, vel habere ſperat. c. 35. n. 6. p. 212

Q

QVacunque arte verborum quis iurat. Deus ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit. gloſſatur hic canon. c. 41 n. 10. p. 254

Quadrageſimale ieiunium, cum Sancti Doctores affirmant diuina lege Euangelica præceptum eſſe, quomodo ſunt intelligendi. c. 6. n. 2. p. 40

Quadrageſimæ dies aliquot qui non ieiunat, cum poſſit, & cibis non quadrageſimalibus veſcitur, peccat mortaliter non obſtante licentia obtenta. ibid. n. 9. p. 41

Quando aliqua cauſa commiſſa eſt alicui Iudici decidenda infra certum tempus, eo elapſo Iudex non poteſt quidpiam in illa amplius agere. c. 21. n. 2. p. 122

Quando in aliqua propoſitione poſſunt intelligi, & ſuppleri aliqua particula ex circumſtantia loci, & temporis, & perſonarum, quas alteri quiſpiam exprimere non tenetur, idem eſt, ac ſi particulæ illæ expreſſe in illa propoſitione ponerentur, quantum attinet ad veritatem, & falſitatem propoſitionis. c. 41. n. 5. p. 253

Quando non eſt eadem intentio iurantis, & cui fit iuramentum, ſi dolus fuerit ex parte iurantis, iuramentum ſeruari debet ſecundum intentionem eius, cui fit: ſi autem dolus, & violentia fuerit ex parte eius, cui fit, ſeruari debet ſecūdum intentionem iurantis. ibid. n. 3

Qui confitetur in extremis ſe aliquod mortale commiſiſſe, cuius non poteſt recordari, nec venialis in particulari recordatur, abſolui debet. c. 39. n. 11. p. 240

Quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: quando vera eſt hæc propoſitio. c. 20. n. 10. p. 120

Qui decem aureos furto abſtulit, non tenetur eos reſtituere cum iactura centum. c. 52. n. 6. p. 328

Qui delictum aliquod de aliquo audiuerunt, licet in præſens ſint obliti, in poſterum facile recordari poſſunt c. 64. n. 2 p. 417

Qui infert graue damnum proximo, peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur, ſi infert directè, & ex intentione. c. 40. n. 20. p. 250

Qui locat operas ſuas in die feſto, licet ſit id prohibitum, non tamen tenetur ad reſtituendum mercedem ſui laboris. c. 8. n. 15. p. 55

Qui non poteſt reſtituere pecuniam iniquè acceptam alia pecunia, non tenetur illam reſtituere in orationibus. c. 52. n. 4 p. 327

Qui ſolum iubet famulis ſuis, vt occidant aliquem, non tenetur ad reſtitutionem pecuniæ, quam poſtea ſurripiunt. c. 20. n. 4. p. 119

Quod licitè accipitur, non illicitè retinetur. c 8. n. 16. p. 55

Quod pro charitate inſtitutum eſt, non debet contra charitatē militare. c. 33. n. 7. p. 196

Quod propter obliuionem licet, etiam propter moralē impotentiam licitum eſt. ibid. n. 13. p. 197

R

REconciliatio illa, per manus impoſitionem, de qua in concilio Arauſicano c. 3. quid ſit, explicatur c. 39. n. 10. p. 239

Recordari alicuius rei dupliciter contingit, actu, & virtute. c. 64. n. 6. p 418

Reddere rem latroni, a quo quis bona fide emit, eſt medium per ſe ordinatum ad ſeruandum ipſum emptorem indemnem, & ad reſtituendum vero domino. c. 2. n. 14 p. 22

Redimere vexationem ſuam licitum eſt iure naturæ. c. 60. n. 15. p. 388

Regula illa, Si culpa tua damnum datum eſt, iure ſatisfacere te oportet; quomodo intelligenda ſit. c.20.n.9 p.120

Regula Innocentij III. ad diſcernendum, quando impedimentum coeundi eſt temporale, & quando perpetuum c.62.n.9.p.401

Religio Equitum Melitenſium eſt vera Religio. c.53.n.7.& 8.p.335

Religionis ingreſſus, & profeſſio eſt quędã mors ſpiritualis, qua aliquis ſeculo moriens viuit Deo. ibid.n.4.p.333

Religionis Chriſtianę fidem, & honorem defendere tenetur quilibet Chriſtianus. c.3.n.9 p.26

Religioſi verè, & propriè ſunt, qui emittunt tria vita ſubſtantialia ſub aliqua Regula à ſede Apoſtolica approbata. c.53.n.6.p.335.

Remedium, quod adhibere poteſt confeſſarius, cum abſque facultate pœnitentem à peccato reſeruato abſoluit. c.65.n.10.p 423

Remiſſio vlla non fit aut culpę, aut pœnę, niſi in virtute paſſionis Chriſti, quę non applicatur ei, qui eſt in peccato mortali. c.55.n.11.p.352

Remiſſionem iniurię, & vt liti cedat, exigere à mutuatario iniuria affecto propter mutuum, interueniente pacto, illicitum eſt. c.17.n.2.p.101

Remittere iniuriam, & à lite deſiſtere ſecundum ſe ſunt amicitię ſigna. c.17.n.4.p.102 *Sed obligatio ad hęc, quę naſcitur ex pacto, eſt pecunia æſtimabilis.* ibid.n.8.p.103

Renunciare facultati quę ſibi fit à lege, vnicuique licet. c.26.n.1.p.149

Repugnat iuri naturę, quod idem in ſeipſum ſit agens, & patiens, iudex, & reus. c.11.n.4.p.p.69

Repugnat rationi, vt puniatur aliquis non cõuictus, nec confeſſus. ibid.n.5.p.70

Rei alienę nomine quę ſint intelligenda c.7.n.3.p.45

Rem alienam, qui non accipit, non tenetur eã cum ſuo detrimento domino reſtituere. c.2.n.7.p.18

Res aliena vero domino reſtitui debet, quocunque modo ad manus noſtras venerit, quando ſine æquali damno proprio reſtitui poteſt. ibid.n.12 p.21

Res alioqui vi præcepti debita in votum cedere poteſt, quatenus denuo nos ipſos obſtringimus obligationis nexu, vt eam faciamus. c.50.n.3.p.314. *Poteſt eſſe materia voti non in quantum neceſſaria, ſed vt liberè fit.* ibid.n.4

Res data non efficitur recipientis, cum intentio concedentis, & recipientis diſcordant. c 51.n.10.p.323

Res id tantum valet, quod in præſenti, & in tempore venditionis valet. c.10.n.6.p.64

Res, quę gratis omitti, vel fieri debet, nec habet pretium, nec eſt pretio æſtimabilis quoad contractus humanos. c 4.n.11.p.31

Res, quę nunc in emptoris vſum non venit, non eſt æſtimanda preſenti pretio, ſed illo, quod dum ei tradetur, eſt valitura. c.28.n.4.p.160

Res tanti valet, quanti iure vendi poteſt, explicatur hoc axioma. c.13.n.14.& 15.p.83

Res empta de vſuris ſuccedunt loco pecunię de vſuris accepta. in quo ſenſu hoc verum ſit. c.22.n.13 p.130

Res, quę eſt ſolum in potentia, & ſpe, non tanti æſtimatur, quanti ea, quę eſt in actu. quomodo verum ſit. c.25.n.17.p.147

Reſtitutio eſt actus iuſtitię commutatiuę, qua dat cuique ſuum c.5.n.4.p.35

Reſtitutio in rebus permanentibus facienda eſt in eadem numero re neceſſario; in alijs, quę vſu conſumuntur, vel diſtrahuntur, non ſemper. c.22.n.2.p.125.& n.4.p.126

Reſtitutio fit ad conſtituendam æqualitatem. c.52.n.7.p 328

Reſtitutionis obligatio ex duplici radice naſcitur. c.7.n.1.p 44.& n.11 & 13 p 48

Reſtituenda eſt res aliena, & id omne, in quo quis per illam ditior factus eſt. ibid.n.7 p.46

Reſtituere eſt alterum in ius ſuũ ſtatuere. c.51.n.6.p.322

Retentio competit ei, cui datur actio. Regula vera eſt in hoc ſenſu, vt poſſit retinere, qui poteſt repetere tanquam vere ſuum. non tamen poteſt retinere, qui poteſt repetere beneficio legis. c.26 n.12 p.151

Retractare dictum ſuum non debet, qui multis hinc retro annis falſo aliquem infamauit. c.64.n.1 p.417

Reuelatio peccati proximi non ſemper eſt per ſe mala, ſed illa, quę fit intentione infamandi, aut ſine cauſa rationabili. c.36.n.2.p.217

Reus cum negat crimen, de quo iniuſtè accuſatur, negat eo ſenſu, quo à Iudice interrogari poteſt. c.40.n.11.p.248. *Non mentitur*

tur ibid.n.10.p.247. poteſt verbis ambiguis vti, quæ verum ſenſum generens ſecundum eius mentem.c.41.n.2.p.253. Eius reſponſie ſtrictè accipienda eſt iuxta iudicis interrogationem.ibid.n.4

Reus negans veritatem in iudicio,quam fateri tenebatur, an teneatur in conſcientia ad ſoluendam pœnã legis, ac ſi de ea condemnatus eſſet.c.11 p.68.& n.2.& 3.p.69

Reus iniuſtè in iudicio veritatem negans multis eſt iniurius, videlicet Iudici, accuſatori, ſocijs criminis.& fiſco. ibid.n.1.p.68. ad quid teneatur.ibid.

Reus interrogatur ſecundum iuris ordinem, quando tria concurrunt: & quæ ſint illa tria.c.48.n.4 p.304

Reus legitimè, & ſecundum iuris ordinem interrogatus, tenetur ſub reatu peccati mortalis veritatem fateri, quamuis ob id ſit morte plectendus.ibid. n.1.p.300

S

SAcerdos abſoluit à peccatis auctoritate Dei, & Deus non abſoluit ab vno,& non ab alio.c.33.n.3.p 194

Sacerdos non poteſt conſecrare panem abſentẽ. c.65.n.5.p.422

Sacramentum baptiſmi, & confeſſionis in quo differant, & conueniant. c.27.n.16.p.158

Sacramentum nullum,præter ſacramentũ pœnitẽtiæ,dicitur informe quamuis effectu careat; ſed inefficax.ibid.n.1.p.153

Sacramentum pœnitentiæ dupliciter conſiderari poteſt, videlicet abſolutè, & vt fructuoſum: & quomodo in eo concurrit contritio.ibid.n.11.p.157

Sacramenti valor non tantum pendet ex intentione dantis; ſed etiam ex voluntate recipientis.c.65.n.6 p.422

Satisfactio opus charitatis eſt: vnde opera extra charitatem facta non proſunt nec ad gloriam, neque ad ſolutionem temporalis pœnæ.c.55.n.12.& 13.p.352

Satisfactorium opus oportet, quod ſit Deo acceptum.ibid.n.10.p.351

Scientia confeſſarij poteſt requiri maior in vno Epiſcopatu, quam in alio. c.61.n.11. p.394

Scienti, & volenti nulla fit iniuria. Valet de libera donatione, vel de liberè conſentiente, & citra vllam neceſſitatem, vel coactionem.c 13.n.16.& 17.p.83

Senex impotens ad generandum, dummodo non ſit impotens ad coeundum, validè matrimonium contrahit.c.59.n.6.p.378

Senſus verus, & germanus l.curabit Præſes. c.1.n.10.p 7

Separatio coniugum quo ad thorum tantum fieri poteſt auctoritate priuata,cõperto adulterio: at non quoad cohabitationem, quæ diuortium dicitur.c.24.n.2.p.137

Si coniectura eſt, merces tempore, quo ſunt tradendæ, minus valituras,licitum eſt eas anticipata ſolutione vilius mercari, quàm præſenti foro veneunt.c.28.n.3.p.160

Siluestri expoſitio de ſpe lucri principali reijcitur.c.46.n.6.p.285

Sixti V. diploma, quo Eunuchi, & Spadones vtroque teſte carentes declarantur inhabiles ad contrahendum matrimonium. c.59. n.5.d.377

Si quis baptizaret, vel promoueret aliquem ad Sacerdotium ſine intentione debita, nullum damnum excuſaret,quin ille certificaret non baptizatum, aut non ordinatum. c.65.n.11.p.424

Socerum iuſta ſententia Iudices obligant, reddere aliquam annuam penſionem genero, quamdiu non perſoluit dotem.c.16.n.9 p.97

Sola ſecunda comeſtio in die ieiunij peccatum eſt.c.9.n.1.p.58

Soluere creditori debitoris, in effectu eſt dare debitori.c.49 n.9.p.310

ob Solutionem dilatam, niſi damnum emergens, vel lucrum ceſſans intercedat, vſura eſt aliquid accipere.c.1.n.7.p.5

Spadones, qui ſint.c.59. n.1.p.376. non ſunt idonei ad matrimonium contrahẽdũ.ibid. n.2.p.377.& n.5

Spe amicitiæ alicui mutuare licitum eſt.c.46. n.10.p.287

Spes lucri duplex, principalis, & ſecundaria ſiue minus principalis, & quæ vtraque. ibid.n.5 p.285

Stuprum omne ſiue reale, ſiue mentale eſt diſtincta ſpecies à fornicatione ſimplici. c.18. n.15.p.108

Stupri formalis ratio conſiſtit in illicita virginis defloratione, quæ in ea corrumpitur integritas carnis.ibid.n.17

Vt quis ſit ſtuprator, ſatis eſt, ſi extra matri-

monium

monium carnaliter cognoſcat fœminã, quæ adhuc ſui corporis integritatẽ retinet. ibid. n.21.p.109

Subditus tenetur ſub mortali obedire in rebus grauibus mandatis licitis, & honeſtis ſui ſuperioris.c.48.n.2.p.301

Sub ſigillo ſacro continetur quodcunque peccatum, quod verè aliquis confitetur ſacramentaliter, nempe animo manifeſtandi ſtatum propriæ conſcientiæ.c.56.n.3 p.357

Surripiens triticum alienum, & vendens non ſatisfacit reddendo æquale triticum, & eiuſdem bonitatis, niſi ſit etiam eiuſdem valoris.c.7.n.8.p.46

T

T Eſtimonium teſtium valet pro confeſſione infirmi nihil potentis ſignificare, vt ſacramentaliter abſoluatur.c.39.n.9.p.238

Tranſlatio dominij ſimplex, qualis eſt donatio, nullam ab altera parte obligationem expoſtulat.c.57.n.6.p.363

Tranſlationis dominij diffinitio.ibid.n.3. p.362

Tribus modis ſecundum D. Thomam poteſt deponi pecunia apud vſurarium.c.60. n.7. p.386

Tutor tenetur ex proprijs reddere pupillo, quæ negligentia ſua non fuerit illi lucratus.c. 1. n.16.p.8

V

V Bi eadem eſt ratio, eadem quoque debet eſſe iuris diſpoſitio.c.63.n.14.p.410

Vendens fundum abſolutè pecunia credita nõ poteſt aliquid accipere ratione fructuum. c.1.n.1.& 2.p.3.& n.18 p 8

Vendens pecunia credita nullo alio nomine poteſt carius vendere vltra pretium præſens, quam vt ſeruet ſeipſum indemnem. c.28. n.8.p.162

Vendenti credito ad lucrum ceſſans requiritur, vt habeat actu paratum alium emptorem ſoluentem ei totum pretium in numerato. c.1.n.9.p.6

Vendere licet iactum retis c.63.n.14.p.409

Vendi poteſt dominium directum reſeruato vtili, & è contra. c.1.n.29.p.13

Venditionis contractus, in quo emptor eſt irrationabiliter inuoluntarius, non eſt iniquus, nec inualidus.c.31.n.13.p.185

Venditor etiam ſi præſciat superuenturã mox frumenti copiam, abſque iniuſtitia vendere poteſt ſuum currente pretio.c.37.n.4.p.223. non tenetur detegere emptoribus illam copiã ſuperuenturam, aut ſubtrahere aliquid pretij.ibid.n.9.p.225

Venditor poſſeſſionis reſeruans ſibi fructus pro rata pretij non ſoluti, & locans emptori, poteſt accipere penſionem attento valore fructuum, non autem attento pretio non ſoluto. c.1.n.25.& 27.p.12

Venditor idem ſubiacere debet periculis circa dictos fructus, ſi quæ euenerint. ibid. n.27. p.12

Venditor pro re ſibi magis vtili, quam emptori, iuſtè accipit aliquid amplius, quàm res emptori valeat.c.63.n.14.p.409

Venditor quandoque tenetur detegere emptori vitium rei manifeſtum. c.31. n.3. p.181. quando non tenetur manifeſtare defectum occultum rei.ibid.n.11.p.184

Venditori licet ſe indemnem ſeruare, ſed non cum damno iniuſto alterius.c.10.n.10.p.66

Venditori licet obligare ementem ad aliquid aliud vendendum, ſi obligatio fiat reciproca. c.19. n.14.p.116

Verba externa, & voces vim habent ab interno conceptu: ſed conceptus non ligat abſque verbis exterioribus.c.57.n.22.p.367 Sunt enim inſtrumenta, & media, ſine quibus homo alteri obligari non poteſt. ibid.

Vexationẽ ſuã vnicuique redimere licet. c.17. n.1.p.101. Verum eſt de vexatione iniuſta. ibid.n.17 p.104

Viator conferens latroni pecunias ad redimendum vexationem ſuam, eſte ſciat latronem abuſurum illis in iniuriam tertij, non peccat, aut cooperatur peccato illius. c.60. n.5.p.385

Violans præceptum ieiunij, an toties peccet, quoties eo die poſt primam cibi ſumptionem comederit.c.9.n.1.p.58

Violatio voti eſt contra virtutem religionis, & contra virtutem fidelitatis. c.29.n.7 p.168

Vir diues, & illuſtris infamans plebeum non tenetur dictum ſuum reuocare; ſed poteſt illius famam pecunia, vel alia via compenſare.c.52.n.5 p.328.& n.15.p.331

Virginitas quid ſit ſecundum ſuam rationem formalem c.18.n.14.p.108

Vir-

Virginitatis clauſura per artem pandi poteſt. c.62.n.5.p.399

Virginitatis circumſtantia in peccato cogitationis, & conſenſus in rem veneream, aliqui affirmant non eſſe neceſſario confitendam c.18.n.5.p.106. Contrarium eſt verum. ibid.n.9.& 15.p.107

Vis non poteſt vſuram licitam facere. c.63.n.17.p.411

Vitam temporalem in aliquo caſu ponere tenemur pro ſpirituali proximi.c.3.n.8.p.26

Vitium, quod eſt in Religione non reformata, non eſt vitium ipſius Religionis,ſed Religioſi diſcoli.c.53.n.13.p.337

Vitium rei duplex, manifeſtum, & occultum: & hoc etiam duplex eſſe poteſt. c.31.n.1.p.180

Vnuſquiſque poteſt propria vtilitati conſulere, quando alterius damni non eſt cauſa. c.31.n.2.p.181

Vnuſquiſque ius habet res ſuas defendendi. c.45.n.3.p.279

Volitum duplex, per ſe, & per accidens.c 42.n.2.p.257.directè in ſe, vel indirectè, & in ſua cauſa.ibid.n.9.p.259

Votum, propriè loquendo, dicitur eſſe de meliori bono,id eſt circa materiam conſiliorum. c.50.n.2.p.313.& n.5.p.314

Votum,quod cadit ſupra materiam præceptā, eſt propriè votum, cum ſit vera, & propria promiſſio; materia tamen illius non eſt propria voti, ſed communis illi, & præcepto. ibid.n.6.p.314

Vota oblita commutare Iubilæi tempore tranſacto non poteſt confeſſarius.c.21.n.3.p.122

Votorum ſimplicium commutatio ad quē ſpectet.ibid.n.4.p.123

Vouens rem præceptam vult eam maiori vinculo religare, vt ſic firmius perſoluat.c.50.n.8.p.315

Vouens ſe facturum id,ad quod ſub pœna mortalis culpæ tenetur, vt non fornicari, ſi non implet, tenetur confiteri peccatum cum hac circumſtantia ibid.n.1.p.313

Vſura eſt pretium rei mutuatæ.c.19.n.7.p.113

in Vſura neceſſario interuenit inæqualitas. ibid.n.6

Vſura lucratoria, & compenſatoria: in quo differant, & quæ verè ſint, declaratur, c.1.n.24.& 25.p.11

Vſura ſolum habet locum in mutuo vel palliato, vel aperte.c.34.n.2 p.201

Vſura duobus modis mentalis dici poteſt,ſcilicet purè mentalis, & mentalis non purè,& quæ vtraque.c.51.n.1.p.319

Vſura mentalis non purè in quo diſtinguitur ab alijs peccatis mentalibus.ibid.n.2 p.320 Tribus modis accidere poteſt: primo ex parte mutuantis, & mutuatarij: ſecundo ex parte mutuatarij tantum: tertio ex parte ſolius mutuantis.ibid.n.3

Vſurarius mentalis, qui quod vltra ſortem ei dat mutuatarius beneuolè, non ratione beneuolentiæ, ſed ratione mutui acceptat, an teneatur ad reſtitutionem illius lucri accepti, pars affirmans eſt probabilior. ibid. n.4.p.321

Vſurarius eſt contractus, cum res empta cum pacto retrouendendi locatur venditori, & in conſtituenda penſione ſolum habetur reſpectus ad pecuniam datam, & non ad valorem fructuum rei locatæ.c.34.n.9.p.205

Vſurarius dominium fundi acquirit, quem pecunijs vſurarijs emit, & fructum illius. c.22.n.7.p.127.& n.10.p.129

Vſurarius mutuans ad vſuram pecuniam; quam in depoſito habet, duo peccata committit, vnum infidelis cuſtodiæ, vſuræ alterum.c.60.n.2.p.383

Vſurarius pecuniæ, vel alterius rei per vſurā acceptæ non acquirit dominium. c.22.n.1. p.125

Vſurarius, quando non redditur impotens ad reſtituendum, celebrat ex pecunia vſuraria contractus valides.ibid.n.8.p.128

Vſurarium cenſendum eſſe eum aſſerit Vrban. III. in cap.conſuluit, de vſuris, qui aliàs non mutuaturus, eo animo mutuat,vt aliquid vltra ſortem recipiat, intelligitur ex vi mutui.c.46.n.1.p.284.& n.15.p.289

Vſurariū eſt ratione anticipatæ ſolutionis aliquid vilius emere.c.25.n.10.p.145

Vtilitas rei ſecundum ſe,aut ex occaſione temporis tribuenda eſt rei, & conſequenter domino illius.c.7.n.5.p.46. quæ ſit talis vtilitas, exemplificatur.ibid.n.6

Vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur, quomodo hæc Regula intelligatur.c.33.n.16.p.198

Vti licet verbis æquiuocis,& ambiguis, quando oportet celare veritatem, modo ſenſus,in quo illa proferuntur,ſit verus,exemplo Chri

ſti.

Digitized by Google

ſti, & D. Franciſci. c. 47. n. 12. p. 296

Vxor innocens conſcia adulterij viri ſui, licitè ei negat debitum matrimoniale. c 24. n. 1. p. 137. & n 5. p. 138. Quomodo non tenetur frangenti fidem ſeruare fidē. ibid. n. 3. p. 137

Licitè poteſt virum ſuum iam fornicatum iuramento aſtringere ad fidem in poſterum ſeruandam, ſi cupit, vt ei debitum reddat. ibid. n. 10. p. 139

Vxoris adulterium nocumentum maius infert, quàm viri: tollit enim prolis certitudinem. c. 24. n. 6. p. 138. & n. 7. p. 139

Vxor, & vir quoad ius negandi, vel exigendi debitum pares ſunt. ibid. n. 4. p. 138

Ieſu Chriſto Deo, redemptori noſtro honor, & gloria. Amen.

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg.

Omnes ſunt quaterniones, præter a, quinternionem, & D d, E e, Ff, Gg, duerniones.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ,
Ex Typographia Hæredis Bartholomæi Zannetti. M.DC.XXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

6-4